This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

5512

A 469003

Ralph Lyon, D. D.

888
D3
A43
175






Andra
Blanona
Sidrona
Ceraui
Arsiria
Arauzona
Burnum
Derii
Onporion
Iadera
Scardona
Titius R.
Sicum
Tragurium
Salone
Issa
Corcyra
melena
ADRIATICUM
ITALIA PAR
40
40
a. Leucas
b. Azylia
c. Oenias
d. Chersonesus
e. Calydon
f. Olenus
g. Naupactus
h. Evanthia
i. Delphi
k. Cyrrha

Demosthenes.

ΔΗΜΟΣΘΕΝΟΥΣ

ΛΟΓΟΙ ΔΗΜΗΓΟΡΙΚΟΙ

Δ Ω Δ Ε Κ Α.

DEMOSTHENIS

ORATIONES DE REPUBLICA

DUODECIM;

Cum Wolfiana Interpretatione denuo caſtigata,

ET

Notis Hiſtoricis J. V. Lucchesinii.

Acceſſit Philippi Epistola.

EDIDIT

GUILIELMUS ALLEN, A.M.

VOL. II.

LONDINI,
Impenſis C. Bathurst, in *Fleet-Street*.
MDCCLV.

John S. Lawrence Estate
gt
6-4-1926

IN

DEMOSTHENIS ORATIONES

ANNOTATIONES HISTORICÆ.

ORATIO DE CLASSIBUS.

IN ARGUMENTUM.

[A] CHares Athenienſium dux (qui ſociali bello adverſus Byzantios, Chios, Coos, Rhodios, poſt Magiſtratum plebiſcito abrogatum Iphicrati a Timotheoque, ſuis in Præfectura Collegis, & à ſe malè geſtæ Reipublicæ accuſatis, ſolus claſſi centum viginti navium imperabat) ratus gratiſſimum fore Civibus, ſi ſtipendium militibus incolumi Ærario compararet; Pharnabazo Perſarum Satrapæ, qui à Rege deſciverat, in eam rem pecuniam pollicenti auxiliatum ivit, ipſumque exercitu ſeptuaginta hominum millium à reliquis Satrapis oppugnatum, diffidentemque rebus ſuis victoriæ compotem fecit. Rex iniquo animo injuriam tulit, eamque expoſtulatum Legatos Athenas miſit; palamque minitabatur, ſe claſſe trecentarum triremium Reipublicæ hoſtibus opitulaturum. Id Athenienſes veriti, pacem cum ſuis iiſdem hoſtibus compoſuerunt; non tamen, ob partam ſibi utilitatem, improbatâ Regis injuriâ. Quare hic eò vehementiùs commotus animo, dubitari nequit, quin ſe ad bellum inſtrueret, ac bellici apparatus fama frequentibus nuntiis Athenas commearet. Rumori, opinor, facilè fides adhibebatur, quod vetus erat Medorum Regibus, ac peculiare cum Athenienſibus odium jam uſque à Darii temporibus,

[a] *An.* 1. O. 106. *Diod. Bibl.* lib. xvi.

qui Perſarum tertius Aſiæ Regnum obtinuit, inchoatum. Eo ſiquidem imperante, contra ipſum Ionibus Melanthio Duce auxiliatum venerant, ac Sardes incenderant in poteſtatem redactas. Cujus rei certior factus, & quæ [b] gens Athenienſium eſſet, quam terram incolerent, ſciſcitatus, excuſſa ab arcu in aerem ſagitta, more Perſico vindictam juravit, ſibique ter quotidie, dum cœna apponeretur, denuntiari juſſit: *Here memento Athenienſium*; in quos [c] demum, atque Eretrienſes ſexcentarum triremium claſſem ducibus Dati Medo, atque Artapherne Artaphernis fratris ſui filio tranſmiſit, maxima tamen accepta clades apud Marathonem. Quam cladem, interfectoſque Patris Legatos (in puteum altero, altero in Barathrum dejecto, ut ibi terram & aquam acciperent, quam ſubdolè paulò antequam naves ſolverent, petitum venerant) Xerxes [d] vindicaturus, Helleſpontum ponte conjunxit, ac memorabilem illam præcipuè adverſus Lacedæmonios, Athenienſeſque ſuſcepit expeditionem. Artaxerxi hujus filio altera fuit odii cauſa. Siquidem Reſpublica Cimonem [e] in Aſiam miſerat ad liberandas Perſico dominatu Græcas Urbes; eodemque [f] Duce ducentarum triremium claſſe, magnaque militum vi Inari Ægypti Regis cum illo foverat inimicitias. Quas tantas, aliaſque recentiores illatas Perſis injurias, eaſque nuper à Charete cumulatas cum nemo Athenienſium ignorare poſſet, rumor apud ipſos Medici mox ingruendi belli non parum augebatur. Quod tamen illatum non fuit. Puto enim Artaxerxem Pharnabazi detentum tumultu, qui adhuc manebat Anno quarto hujus Olymp. 106, non potuiſſe Athenienſes ulciſci, aut cum ſibi aliquo modo fuerit ſatisfactum, noluiſſe; quod libentiùs amplector non levi ductus conjectura. Quippe Diodorus eſt Autor, Pharnabazum [g] hoc ipſo anno quarto, Charetis, qui adhuc navium Præfectus per

[b] *Herodot. in Terpſic.* [c] *Id. in Erato, A.* 3. *O.* 72. [d] *Id. in Polymn. Diod. Hiſt.* lib. xi. *A.* 1. *O.* 75. [e] *A.* 3. *O.* 77. *Diod.* lib. xi. [f] *A.* 3. *O.* 79. *Diod. ibid. Thucyd.* lib. i. [g] *Diod.* lib. xvi.

ea

ea maria navigabat, opem denuo poſtulaſſe, eaque denegata ad Thebanos confugiſſe. Dediſſet autem vel ipſa jubente Republica Dux fortiſſimus, ſi nondum iſta commovendi belli ſuſpicio deferbuiſſet. Miror Sigonium virum clariſſimum in Libro, quem de Athenienſium temporibus ſcripſit, affirmaſſe, Pharnabazum hoc eodem Anno contra Regis Satrapas bellum geſſiſſe, Charete Athenienſi, & Pammene Thebano Ducibus, cum Diodorus, cujus ille autoritatem ſequitur, Charetem [h] non hoc anno, ſed hujus, ut diximus, Olympiadis primo. Pharnabazo ſuppetias iviſſe dicat. Sic enim ſcribit: ἅμα δὲ τούτοις πραττομένοις Ἀρταβάζου (Φαρνάβαζος emendari debet, niſi utrumque nomen Perſarum lingua unum idemque valeat) ἀποστάτης ὢν τῆ Βασιλέως διεπολέμει πρὸς τὰς ἀποσταλείσας ὑπὸ τῆ Βασιλέως Σατράπας εἰς τὸν πόλεμον. Καὶ τὸ μὲν πρῶτον συμμαχῶν ἀυτῷ Χάρητος τῆ Αθηναίων στρατηγῆ ἐρρωμένως ἀνθιστάμενος τοῖς Σατράπαις. Ἐκείνης δὲ ἀπελθούσης, μανωθεὶς ἔπεισε τὰς Θηβαίας συμμαχίαν ἀυτῷ πέμψαι. Οἱ δὲ Παμμένην στρατηγὸν ἑλόμενοι, καὶ δόντες ἀυτῷ στρατιώτας πεντακισχιλίους, ἐξέπεμψαν εἰς τὴν Ασίαν. *Quæ dum geruntur, Pharnabazus, qui à Rege deſciverat, bello contra immiſſos à Rege Satrapas decertabat. Et ſanè, initio hujus belli cum ſocium haberet Charetem Athenienſium Ducem, fortiſſimè Satrapis adverſabatur. Quo abeunte deſertus ac ſolus Thebanos ſuaſit ad opem ſibi Societatis nomine conferendam. Hi verò Pammenem Ducem crearunt, eumque, aſſignatis quinque bellatorum millibus, in Aſiam miſerunt.* Deceptus eſt vir doctiſſimus à verbo τὸ πρῶτον, quod non ad primum hujus Anni, ſed ad primum belli tempus referri debet, ut ex verborum complexu, atque è ſuperiori narratione luculenter patet.

Duo fuerunt Perſarum Reges proprio Artaxerxis nomine. Alter [i] Xerxis filius, cognomento Longimanus, qui anno poſtremo O. 78. Alter Darii, Mnemon dictus, qui poſtremo pariter O. 93. regnare cœpit. Tertius, de quo in hac Oratione fit ſermo, Ochus nuncupatus, unà cum Regno, Artaxerxis cog-

[h] *Ibid.* [i] *Diod.* l. xv.

nomentum accepit A. 3. O. 104. Succeſſit enim ſecundo hujus nominis, cujus præſtantiſſimi Principis leniendo deſiderio, captandoque felicitatis omine (ſumma ſiquidem populorum benevolentiâ Imperium adminiſtraverat) Perſæ juſſerunt, omnes deinceps Reges ſuos, eodem nuncupari nomine. Verùm nec valuit omen vocabuli, nam Ochus ob morum aſperitatem, iracundiam, crudelitatemque gravis Civibus, Bagoæ Eunuchi tribuni militum conſilio, Medici opera [k] veneno ſublatus eſt, necatique pariter ejus filii præter Arſetem natu maximum; Nec nomen à cæteris Regibus aſſumptum eſt. Nam Arſes [l] qui Patris Regnum adeptus eſt, ab ipſo Bagoa, ne parricidium ulciſceretur, poſt triennium cum Liberis omnibus è vivis ereptus; & hujus ſucceſſor Darius, Perſarum Regum poſtremus, ab Alexandro Magno devictus, nequaquam ſibi Artaxerxis nomen cooptarunt.

Adnotare lubet hoc loco, me quandoque brevitati, quandoque veritati inſervientem, Libanii Argumentis, quæ Demoſthenis Orationibus præponuntur, nequaquam uti, ſed illa, qualiacumque ſint, proprio marte excudiſſe.

[B] Hanc Demoſthenem omnium primam de Republica Orationem dixiſſe, Prætore Athenis Diotimo anno 3. O. 106. dubitare non ſinunt ea, quæ numero quinto adnotabimus. At gravis hinc oritur difficultas, quod tunc eâ non eſſet ætate, qua liceret de publicis negotiis ad Populum concionari. Jubebant enim Leges Atticæ lib. iii. tit. de Oratoribus: μὴ εἰσελθεῖν τινα εἰπεῖν μήπω τριάκοντα ἔτη γεγονότα, *Ne quis orato minor triginta annis.* Quod etiam refert Græcus Ariſtophanis Interpres ad Nubes: νόμος δὲ ἦν μὴ εἰσελθεῖν τινα εἰπεῖν μήπω τεσσαράκοντα ἔτη γεγονότα, ὡς δέ τινες, τριάκοντα, *Lex eſt, ne quis ad dicendum accedat; niſi quadraginta annos natus, ut verò alii* (dicunt) *triginta.* Demoſthenes autem tunc ſolùm agebat annum vigeſimum octavum. Natus quippe eſt ultimo O. 99. Demophilo Athenis Prætore, ut Dionyſius [m] acuratiſſi-

[k] *A.* 2. *O.* 111. [l] *Diod.* lib. xvi. [m] *Dion. Ep. ad Ammæum.*

mus

mus Demoſthenicorum temporum perſcrutator, quibus & vivere, & orare cœpit, & unamquamque Orationem habuit, nos docet. Non me ſanè latet à Dionyſio Plutarchum diſſentire, qui ipſius Demoſthenis natalem annum quarto O. 98. aſſignat in lib. de x. Orat. ſi tamen ejus eſt. At præterquam quod multa illic non ſatis diligenter ſcripta, pluris facienda eſt Oratoris Vita ab eodem Cheronenſe accuratiùs elucubrata, quamvis in ea quoque non deſint ἁμαρτήματα μνημονικὰ, *memoriæ lapſus*. Hic igitur eum narrat [n] Midianam dixiſſe annos natum 32, de quo nihil ambigi poteſt, cum in eadem Oratione vel ipſe prodat ætatem ſuam. Οὗτος, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, γεγονὼς ἔτη περὶ πεντήκοντα, ἢ μικρὸν ἐλάττω, οὐδὲν ἐμοῦ πλείους λειτουργίας ὑμῖν λελειτούργηκεν, ὃς δύο καὶ τριάκοντα ἔτη γέγονα, *Hic*, de Midia loquitur, *ô Athenienſes natus annos circiter* 50, *aut paulò minus, nihilo magis publicis muneribus defunctus eſt, quàm ego, qui trigeſimumſecundum ago.* At verò contra Midiam oraſſe Callimacho Athenis Prætore certum eſt Dionyſii teſtimonio [o]. Callimachus autem Præturam geſſit An. 4. O. 107, ſi Diodoro [p] credimus. Quamobrem inita annorum ratione natalis Demoſthenis quarto O. 99. conſignandus eſt. Verùm qui fieri potuit, ut legitimam publicè dicendi ætatem præceſſerit? Scio non deeſſe, qui hujuſmodi legem, ut alias, Athenis deſuetudine abrogatam affirmet. Sed hoc pacto obſcuras vetuſtatis difficultates nullo argumento, nullaque enodare auctoritate nec tutum, & fallax exiſtimo. Quamquam & his, qui ita ſentiunt, apertè contradicit Æſchines, à quo in ſua contra Timarchum [q] Concione aliquanto poſt ad Populum habita graviores de Oratoribus leges, ut hæc de ætate, vim ſuam obtinere dicuntur; quin, & Timarchi occaſione ſancitum eſſe, ut ſeveriſſimè cuſtodiantur. Rem potius, opinor, ita explicari poſſe. Inter cæteros magiſtratus, qui Athenis quotannis eligebantur, fuerunt decem Oratores ſorte

[n] *Plut. in Vita Demoſth.* [o] *Dion. Ep. ad Amm.* [p] *Diod.* lib. xvi.
[q] *Æſch. contra Tim.*

ducti,

ducti, quorum id eſſet muneris, ut de Republica, omnique re ad eam pertinente in Eccleſia loquerentur, acceptâ ab Ærario drachmâ, quotieſcumque verba facere debuiſſent. Puto hujus Magiſtratus imaginem Venetiis retineri in iis, qui *Savii grandi* nuncupantur, ubi tamen inter ampliſſimos reputatur. De illo Athenienſium nos docet Ariſtoteles apud Scholiaſtem Ariſtophanis ad iſtum è Veſpis verſum,

Αυτὸς δὲ φέρει τὸ συνηγορικον δραχμήν.

Ελάμβανον γὰρ οἱ ῥήτορες δραχμήν, ὅτε συνηγόρευν ὑπὲρ τῆς πόλεως, ἢ ὑπὲρ ἄλλου τινός. Ἐκ τούτου δὲ φαίνεται, ὅτι μισθόφορος ἦν ἡ ἀρχή. Κληρώτους δὲ γενομένους δέκα συνηγόρους Ἀριστοτέλης φησί.

Ipſe verò conſequitur patroni drachmam.

Accipiebant enim Oratores drachmam, ut Reipublicæ, aut aliarum quarumcumque rerum patrocinium ſuſciperent. Hinc patet à Magiſtratu mercedem capi. Sorte autem ductos decem Patronos Ariſtoteles ait. De ipſis quoque, utpote in quos à Judicibus inquireretur, mentio fit ab Æſchine, ac Demoſthene in Orat. de Corona. Ad hujuſmodi Oratores publicos Legem Atticam referendam cenſeo, quæ de illorum ætate recenſita à nobis eſt, ac titulo de Oratoribus continetur. Nam cum de ipſis agat, ubi de ceteris Magiſtratibus, non levi quidem argumento eſt, eos dumtaxat ob oculos habuiſſe, qui hoc nomine reputarentur. Quamvis autem ſint Leges aliæ de fama, pudicitia, aliiſque inſtitutis, quæ Attico Jure continentur, & ab Æſchine contra Timarchum referuntur, cunctis, qui publicè loqui vellent, propoſitæ; id tamen non impedit, quin hoc ætatis peculiare ſtatutum decem dumtaxat Oratores illos reſpiciat, quos & hac propria, & reliquis unicuique è ſuggeſtu dicenti communibus ſanctionibus libuit obſtrictos eſſe. Immo neceſſe fuit. Cum enim vel in Senatu decem illi exponere deberent conſilia ſua, Senatoriâ quoque eſſe ætate opus fuit; hanc verò ſuo loco dicemus annis triginta definiri. Cæterum Lex Solonis à ſuggeſtu neminem arcebat, qui Concioni intereſſet, conceſſa tantùm Senioribus

loquendi prærogativa. Sic enim habet. Πρῶτον μὲν τὸν πρεσβύτατον τῶν Αθηναίων σωφρόνως ἐπὶ τὸ βῆμα παρελθόντα, τὰ βέλτιστα τῇ πόλει συμβουλεύειν· Δεύτερον δὲ ἤδη τῶν ἄλλων πολιτῶν τῶν βουλομένων καθ' ἡλικίαν, *Primum Seniorem è ſuperiori loco prudenter optima conſulere Reipublicæ. Deinde & Cives alios, quicumque velint, ſecundùm ætatem.* Iiſdemque verbis eam refert Æſchines contra Cteſiphontem. Nulla hìc triginta annorum mentio. Adeſſe poterant in Eccleſia quotquot è Civibus annum agebant vigeſimum, & Lexiarcho inſcripti fuerant. Hac ætate & accedi ad Rempublicam, & publicè apud Populum Orationes haberi poſſe meminit Lucianus in Jove Tragœdo, ubi Momus Apollinem ex hoc more ſic alloquitur: σὺ δὲ ἦ πάνυ ἤδη ἔννομος εἶ δημηγόρος, προπάλαι μὲν ἐξ ἐφήβων γεγονὼς, ἐγγεγραμμένος δὲ ἐς τὸ τῶν Δώδεκα Ληξιαρχικόν, *Tu valde quidem legitimus es Concionator, qui dudum ex Ephebis exceſſiſti, & in Duodecemvirûm Civitatis libro inſcriptus es.* Ex Ephebis ad virilem ætatem annus decimuſoctavus aditum aperiebat, ut ex Demoſthene contra Aphobum colligitur. Ipſe enim ſeptennis à Patre relictus eſt: Καὶ ἔλιπε &c. ἐμὲ ἑπτὰ ἐτῶν ὄντα. Decem ſub tutela manſit: δέκα ἔτη ἡμᾶς ἐπιτροπεύσαντες. Quo tempore dimiſſus è tutela, contra Aphobum tutorem cauſam ſuam dixit; mandaverat autem Pater in ea eſſe uſque ad virilem ætatem: ἕως ἂν ἐγὼ ἀνὴρ εἶναι δοκιμασθείην. Ad ipſam igitur ſuperato anno decimoſeptimo pervenit. Quæ cum ita ſe habeant, nulla difficultate orare ad Populum potuit, ut verè oravit, anno ætatis ſuæ vigeſimo octavo. Nec quidquam negotii nobis exhibet, quod ait in Orat. pro corona: τῦ Φωκικῦ συςάντος πολέμυ δι' ἐμὲ (ἐγὼ γὰρ δὴ ἔγωγε ἐπολιτευόμην πώποτε) πρῶτον μὲν &c. *Conflato Phocenſi bello &c. non enim tunc Rempublicam adminiſtrabam.* Nam, bellum iſtud incepit anno 2. O. 106. Prætore Athenis [r] Calliſtrato, quo anno vigeſimus ſeptimus Oratoris noſtri agebatur.

[r] *Diod.* lib. xvi.

[c] Jam

[c] Jam uſque ab initio Bœotici adverſus Lacedæmonios belli Athenienſes, qui afflictæ Peloponneſiaco bello accerrimo, & diuturno Reipublicæ vires quotidie magis inſtaurabant, cum Thebanis ſe [r] conjunxerant; iiſdemque Lacedæmoniis clade ſæpius, Chabria Duce, affectis, Peloponneſi Urbes ad ineundam ſecum ſocietatem, deficiendumque à Spartanis ſolicitaverant. Rurſus & Eubœenſium, eodem Chabria [t] Duce, diſſidia foverant, Præſidia impoſuerant. Cycladum alias ſubegerant. Hinc apud eas gentes ipſorum fama, quod res novas moliri cuperent, laborabat. Deinde Thracicis diſcordiis, maritima aucupantes loca, nuper ſe immiſcuerant. Iterum ſuperiori anno, Phocenſis belli occaſione, cum iſtiuſmodi Regionis gente, aliiſque Græcorum populis, fœdus [u] contra Thebanos percuſſerant, magniſque viribus in caſtris fuerant. Quare & Bœotis de novandis rebus in ſuſpicionem venerant. Denique ſtatim ac per id temporis aliqua inter Græcos oriebatur contentio, illico Partium alteri ſuppetias ibant, ut Corcirenſibus, & Mantineenſibus, gratiam, aut Imperium amplificaturi. Proinde non immeritò hac Oratione Demoſthenes eos monet, ut ſibi caveant, exiſtimentque omnium Græcorum oculos in Rempublicam converſos eſſe.

[d] Quæ cum ſint hujuſmodi, videbitur fortaſſe Demoſthenes nimium Patriæ decori indulſiſſe, dum ſæpius hac Oratione affirmat, conducere Græcis omnibus Athenas eſſe. Quis enim credat, non eos potius delendæ Urbi daturos operam, à qua ſibi maximè metuebant? At non ita res erat. Athenis quippe concuſſis, & labefactatis, de omni Græcia actum fuiſſet. Quamobrem tres potentiſſimi Perſarum Reges, qui ad omnem Provinciam ſuo ſubigendam Imperio quàm maximè incubuerunt, Rempublicam nunc armis, nunc blanditiis pertentarunt. Nam, ut reliqua taceam, Mardonius à Xerxe, poſt infinitam illam ex-

[r] *A.* 3. *O.* 100. *Diod.* lib. xv. [t] *A.* 3. *O.* 100. *Diod.* eod. lib.
[u] *A.* 2. *O.* 206. *Diod.* xvi.

ercitus

ercitus tranſmiſſionem, acceptamque ad Salamina cladem, Copiis omnibus præpoſitus Macedonem Alexandrum [x] Amyntæ Filium ad Athenienſes Legatum miſit, qui nuntiaret: Regem tot ab iis acceptas injurias oblivi ſci; urbem, cunctamque regionem armis à ſe occupatam dimittere; aliam, quamcumque cuperent, unà cum libertate obtinendam offerre, ſi cum ipſo fœdus inire vellent. Contra verò ad eos præcipuè conterendos & Darius bellum ſuſcepit, quod Marathone profligatum fuit, & Xerxes maximum illud, de quo ſæpius loquuti ſumus; & hujus filius Artaxerxes ad Patris vindictam adverſus Græcos, hanc primùm ſibi viam munivit, ut magnâ pecuniæ vi Lacedæmonios ad bellum, quod Peloponneſiaci nomen adeptum eſt, contra Athenienſes inflammaret; quin & idcirco ſæpius cum iiſdem Lacedæmoniis fœdere [y] ſe conjunxit, ut eorundem vires contereret. Philippum verò, quis ignorat, in ea Republica ſibi vi, dolo, aut beneficiis obſtringenda omnem ſuam curam, cogitationemque collocaſſe. Primùm in libertatem Amphipoli reſtituta, ampliſſimiſque Legationibus illam ſibi conciliare ſtuduit. Quæ ſua fuerint in ipſam merita, quantaque voluntatis inclinatio, commemorat in Epiſtola, quam hìc Latio donavimus. Deinde potentiores Cives magnificis donis lucratus eſt. Quibus artibus cum non ſatis proficeret, nihil ſibi antiquius duxit, quàm cunctos in eam Græcos ſolicitare; armis atque inſidiis aggredi. Adeo ſuis hoſtibus in hac una Civitate totius Græciæ fortuna repoſita eſſe videbatur. Quamquam non minus apud Græcos ipſos ea invalebat opinio. Quocirca dum confecto Peloponneſiaco bello deliberarent Socii, quid Athenarum factu [z] opus eſſet, Corinthiis ac Thebanis contendentibus Urbem everti oportere, Lacedæmoniorum ſententia obtinuit: nequaquam in rem Provinciæ eſſe, eam deleri Civitatem, quæ in maximo ejuſdem diſcrimine tam utilem navaſſet operam.

[x] *Herod. in Uran. Demoſth. in Orat.* ii. *contra Philipp.*
[y] *Xenoph. Hiſt. Græc.* lib. iv. & alibi. [z] *Xenoph. Hiſt. Græc.* iib. ii.

Jam verò quæ gens Graii nominis, dum periculis involveretur, Athenienſium opem non imploravit? Imploratam quæ non accepit? Acceptæ quæ ſuam aliquando ſalutem non debuit? De ſingulis quidpiam dicemus ſuo loco. Quæ autem diximus, ne cui fidem excedere videantur, animadvertat Græciam ferè undique mari circumfundi; quapropter eidem ex unaquaque parte vel ab hoſtibus cuſtodiendæ, vel auxiliis confirmandæ nihil eſſe magis utile, quàm rem navalem. Hac verò, maritimâque diſciplinâ, ſive loci opportunitate, ſive Civium ingenio Athenæ longè Græcis Urbibus antecellebant, ad eamque ſe Themiſtoclis [a] divino Conſilio Cives ſe toti contulerant. Hinc tantis opibus, potentia, autoritate honeſtabantur; familiari cunctis exemplo, qui claſſibus valent, ac mari plurimùm poſſunt.

IN ORATIONEM.

[E]NEquis de perturbato Demoſthenicarum Orationum ordine me inſimulet, cum videat huic à me primum aſſignari locum, quæ hactenus inter genuinas maximi Oratoris ad Populum Conciones duodecimum occupavit, ſciat me tantæ commutationis prædem non ſolùm dare Dionyſium [b] Halicarnaſſeum, qui hanc illum de Republica primam dixiſſe affirmat an. 3. O. 106. Prætore Athenis Diotimo, ſed ipſo, quod agitur, argumento me rem comprobare. Cæterum Scriptori graviſſimo, ſed quem inter, ac Demoſthenem tantùm interceſſit temporis intervallum, eique nullum ſententiæ ſuæ teſtimonium afferenti, contra vetuſtiſſimum in MS. Cod. hujuſmodi lucubrationum ordinem non ſatis fiderem. Quod igitur argumentum habet Oratio? Id ſanè, ut à laceſſendo Perſarum Rege Athenienſes dimoveat, quem contra Rempublicam ad bellum inſtrui rumore perceperant. Bellum autem, ut dixi-

[a] *Thucyd.* lib. i. [b] *Epiſt. ad Am.*

mus,

mus, parabat, Charetis injuriam vindicaturus, quam accepiſſe a. 1. O. 106, Diodorus [c] eſt Autor. At verò ſub autumnum accepiſſe, dubitare non ſinunt ea, quæ prius eodem anno acciderunt: nimirum Athenienſium Claſſis idoneo tempore contra Samum, & in Helleſpontum educta; Timotheus deinde, atque Iphicrates Athenis accuſati, Magiſtratu depoſiti; Charetis denique exercitu Pharnabazi perduellio confirmata. Quæ omnia nonniſi aliquot menſium ſpatio concludi poſſunt. De hoc igitur argumento non prius haberi potuit Oratio, quàm ineunte hujus anni autumno. Sed neque poſt exactam æſtatem anni tertii memoratæ Olympiadis. Per hanc enim Phocenſes, quibus opitulatum iverant Athenienſes, cladem acceperunt, & Philippus Methonem, Pagaſaſque in ſuam poteſtatem [d] redegit. Hæc autem, quæ non leve attulerant incommodum Reipublicæ, Demoſthenes ad retardandum belli Perſici ſtudium proferre in medium non neglexiſſet. Demum ſi ratio temporis habeatur, quo tot dierum itineribus ad Artaxerxem nuncius ſublevati Athenienſium auxiliis Pharnabazi, illinc Athenas Legati, Athenis ad Regem pervenire potuerunt, iſtiuſque indignatione arma cœpta fuerint expediri, compertum erit unius anni ſpatium tot rebus peragendis anguſtum fuiſſe. Quamobrem Orationis tempus ab initio hujuſce anni tertii enarratæ Olympiadis removeri nequit. Quod verò hæc omnium, quæ ſaltem ſuperſint, prima de Republica à Demoſthene dicta fuerit, argumento eſt, quod in cæteris quidpiam recentiùs geſtum narratur, ut ſuo loco adnotabimus.

[F] Nihil tam familiare Athenienſibus fuit, quàm ſummis laudibus extollere Majores ſuos, qui, ut Pericles ait in ea præſtantiſſima apud Thucydidem [e] Oratione, *τὴν χώραν ἀεὶ οἱ αὐτοὶ οἰκοῦντες, διαδοχῇ τῶν ἐπιγιγνομένων μέχρι τοῦδε ἐλευθέραν δι' ἀρετὴν παρέδοσαν. Καὶ ἐκεῖνοί τε ἄξιοι ἐπαίνου, καὶ ἔτι μᾶλλον οἱ πατέρες ἡμῶν. Κτησάμενοι γὰρ πρὸς οἷς ἐδέξαντο ὅσην ἔχομεν ἀρχὴν, οὐκ ἀπόνως*

[c] *Diod. Hiſt.* lib. xvi. [d] *Diod.* ibid. [e] *Thucyd.* lib. ii.

ἡμῖν τοῖς νῦν προκατέλιπον, *Hanc ipſi regionem ſemper incolentes, eam unà cum libertate huc uſque virtute ſua per manus Poſteris tradiderunt. Quare & ii quidem ſummis laudibus celebrandi ſunt, & magis magiſque Patres noſtri, qui à Majoribus acceptum Imperium, tantâ terrarum parte, quantam nunc poſſidemus, auctum, atque amplificatum non ſine labore nobis reliquerunt.* Hujus conſuetudinis, qua ſummopere excitantur homines ad virtutem, frequentiſſima ſunt exempla in his, aliiſque Demoſthenis Orationibus, apud Iſocratem, Thucydidem, Xenophontem, quin Atticos Oratores nihil ferè lucubraſſe vidimus, quod ampliſſimis Progenitorum laudibus non redundet. Verùm cum nimium celebratio iſta quotidiana in Concionibus invaluiſſet, & qui è ſuggeſtu loquebantur, prope publicarum rerum obliti, huc omnes eloquentiæ nervos intenderent, ac ſæpe vanis hiſce declamationibus callidè aliquando omne dicendi tempus occuparent (quod utrumque reprehendit Orator noſter in Olynt. 3. in ea de Cherſ. rebus, & ubicumque ſe offert occaſio) hunc morem ſummo artificio improbat, ejuſque ob publicam utilitatem à ſe præteriti invidiam non ſine plauſu declinare ſtudet.

[G] Quamquam dum nihil ſibi de maximorum Civium laudibus dicendum ſtatuit, hac unâ omnium præſtantiſſimâ, quicquid earum afferri poſſit, complectitur. Ait enim adhuc neminem ſuis rebus præclarè geſtis, eorundem gloriam coæquaſſe. Et ſanè quis Athenienſium aut conſilio Themiſtoclem, aut Miltiadem fortitudine animi, aut belli diſciplinâ Periclem, Niciam, alioſque ſuorum Civium ſuperavit? Quin etiam per illorum tempora Athenæ maximè floruerunt viribus, imperio, autoritate.

[H] Nullas tum temporis Artaxerxes, cum Græcis palam gerebat inimicitias; ſed cum jamdiu Perſarum Reges ad perdomandam Græciam aſpirarent, atque iſthuc non minus ſuſceptæ in ipſam expeditiones, quàm comparata fœderibus, ſubſidiiſque modò hujus, modò alterius Civitatis amicitia collimaſſent, *illum* Demoſthe-

nes

nes communem Græci nominis hoſtem judicat non immeritò. Accedebant cum aliquibus recentes odii cauſæ. Nam cum Artaxerxi hujus Patri bellum decreviſſet [f] Thacus Ægypti Rex, decem à Græcis militum millia impetraverat, partim publico, partim occulto populorum decreto, quos inter Lacedæmonii, quamvis ab ipſo, dum Peloponneſiacum vigeret bellum, ingentia retuliſſent auxilia, palam Ageſilaum cum mille dilectis ſuppetias miſerant. De Thebanis aliqua fieri poſſet difficultas, ſiquidem ab ipſa Xerxis expeditione arctiſſimo cum Perſis fœdere ſe conjunxerant, multaque erant utriuſque gentis in alteram merita. Quamobrem dum initio Bœotici belli ſimul cum Athenienſibus, Arcadibus, Elæiſque opem ab eodem Artaxerxe poſtulatum miſerant, Rex commemoratis Thebanorum in Perſarum gentem beneficiis, Pelopidam inter cæteros Legatos præcipuis honoribus, ac benevolentia exceperat. Narravit [g] enim, eos dumtaxat ex omnibus Græcis Patri ſuo affuiſſe in Platæenſi prælio; nihil deinde mali Perſis feciſſe; nec ſe latere, nunc etiam Ageſilaum bellum ſibi interferentem ſequi noluiſſe; eoſque idcirco Lacedæmoniorum in ſe iram concitaſſe. Verùm ſi probè res expendatur, Ochus non minus iſtos, quàm cæteros Græcos ſibi graves, atque infidos exiſtimabat, ipſiſque labefactandis æquè ac reliquis inhiabat. Nam & eorum animos exulceraverat conditio impoſita, dum hujus Pater Artaxerxes pacem inter Græcos omnes compoſuit, Bœotiæ in libertatem reſtituendæ, intentatæque renuentibns malorum minæ. Quare Demoſthenes in hac ipſa Oratione affirmare non dubitat, eos percupere inuſtam olim Græciæ injuriam, cum in Perſarum partes conceſſerant, aliquo in iſtos damno inferendo detergere. Hinc pariter anno huic proximo apertè Pammenem cum exercitu, ut narravimus, Pharnabazo opitulatum miſerunt; à qua ſe re profectò cohibuiſſent, niſi Regem ſibi inimicum exiſtimaſſent.

[f] *An.* 3. *O.* 104. *Diod.* lib. xv. [g] *Xeno. de reb. Græc.* lib. vii.

[1] Quamvis autem nulla Græcarum Civitatum ignoraret, odio ſe Medis eſſe implacabili, idque experimento didiciſſent; hos tamen ſibi unaquæque magis fidos, quàm cognatas Urbes reputabat. Adeo acerbâ diuturnâque iracundiâ inter ſe diſſentiebant. Itaque vix dum Principum aliqua vires, aut Imperium, etſi nullo Æmularum damno, augendi ſuſpicionem dabat, ſtatim adverſus illam cum Perſis reliquæ curabant ferire fœdus, ſibique minus perniciosam Barbarorum potentiam, quàm cognatæ Urbis arbitrabantur. Verùm de his hactenus. Nunc autem quos hoc loco Orator præcipuè exagitet conjiciamus. Ego equidem, & fortaſſe non temerè, Lacedæmonios puto. Bellum ſacrum ſuperiori anno inflammatum fuerat adverſus Phocenſes. Occaſionem præbuerat Amphictyonum decretum, quo eorum Regionem Deo devoverant, quem Delphis [h] venerabantur; cauſati agrum Cirræum eidem ſacrum, ab illis excultum fuiſſe, aſportataſque fruges. Pœnam ſubire detrectantibus, bellum communi Concilii nomine indictam. Re cognitâ Philomelus maximæ inter Phocenſes autoritatis, Cives admonet, ut armis terram ſuam tueantur, cui redimendæ nec ipſis pecunia eſſet, nec permittendum impunè auferri. Agmen cogunt, templum Delphicum occupant, cum Locrenſibus, qui primi vim populſabant, decertant, vincunt. Utrique ad comparandas aliorum ſocietates poſteriori anno Græciam obire Legatos jubent. De violato Numinis Templo, ſpretaque Amphictyonum autoritate pœnas repetituri fœdus ineunt Bœoti, Locrenſes, Theſſali, Perrhæbi, aliique. Athenienſes Philomelo ſe conjungunt, ac Peloponnenſium aliqui, præſertim Lacedæmonii, qui poſt Leuctricam pugnam à Thebanis apud Amphictyonas accuſati, quod Phebida Duce Cadmeam occupaſſent, cum ſolvere impoſitam ſibi quingentorum talentûm, gemina-

[h] *An.* 2. *O.* 106. *Diod.* lib. xvi. *Pauſan. in Phoc. Lacon Arcad. Meſſen. Ælian.* lib. xii. *Var. hiſtoria*, 63. *Strabo*, lib. ix. *Athenæus*, lib. vi.

tamque

tamque deinde multam recuſarent, injuriam vindicaturi libenter belli ſocios complexi ſunt. Tunc igitur Athenienſes, ac Lacedæmonii communi fœdere detinebantur. Verumtamen cum vetus eſſet inter has duas principes Civitates diſſidium, quamobrem ſæpius iidem Lacedæmonii Perſarum amicitiam foverant, hanc eos reputare ſibi magis fidam, quàm Athenienſium, Orator indicat; obſcurè tamen, ne palam in ſuſpicionem fœderatos adducere videatur.

[K] Quod ſi perquiramus, qui tunc eſſent, quorum ſaluti Reſpublica provideret, magis magiſque ſententia noſtra vera eſſe comprobabitur. Bello ſiquidem, quòd tum ſolùm agebatur, Phocenſium, Lacedæmoniorumque injurias ab Amphictyonibus illatas ulciſcebatur. In Regis autem ſocietatem ſe Phocenſes daturos nemo dubitare [i] poterat, cum jam uſque à vaſtata prorſus, profligataque Xerxis juſſu Regione ſua cum Perſis inimicum animum gererent. Contra, nunquam interruptâ [k] Athenienſium conſuetudine uterentur, Καλὰ τὴν Αθηναίων ἀιεί ποτε φιλίαν. Proinde nulla difficultate digitum ad Lacedæmonios Demoſthenes intendit hoc loco.

[L] Idque luculentiùs patet, ſi ad ea, quæ hic mirificè Orationem augent, animus adjiciatur. Nulla enim fuerant Phocenſium cum Perſis fœdera; plura Lacedæmoniorum, eaque ſemper adversùs Athenienſes percuſſa. Nam tria Peleponneſiaco bello à [l] Tiſapherne icta ſunt, Darii Nothi nomine. Duæ deinde diſſoluta ab ipſis Lacedæmoniis, ut opem Græcis Aſiaticis contra Regem afferrent, ac præſertim Ageſilao [m] Duce, facilè nunc renovari poſſe Demoſthenes arbitratur.

12. Denique noſtra illa de Lacedæmoniis conjectura ſuperius memorata in aperto lumine collocatur ex iis, quæ Orator ait hoc loco. Scilicet de Græcis quibuſdam, quamvis Reipublicæ familiari-

[i] *Diod.* lib. xi. *Herod. in Uran.* [k] *Thucyd.* lib. iii. [l] *Thucyd.* lib. viii. *An.* 2. O. 93. [m] *Diod.* lib. liv. *Zeno. hiſtor. Græc.* lib. iii. ann. 1. O. 96.

bus,

bus, idcirco timendum eſſe, ne fœdus cum Rege Perſarum ineant, quòd hujus viribus cupiant ſuſcepta olim privatim bella felicius inſtaurare. Nam quibus præter Lacedæmonios ex iis, qui tum temporis cum Athenienſibus ſentiebant, iſtæc Oratio aptari poteſt? Hi ſiquidem commoto adverſus Thebanos, Bœotioſque omnes bello, quod Bœoticum appellatur, primùm ad [n] Leuctra, deinde ad [o] Mantineam protriti ſunt. Cum igitur ægrè ferrent ſe totius Græciæ principes, ac prius Thebanis imperantes, ab iſtis de ſuo ſtatu, auctoritateque dejectos eſſe, quamcumque inituros viam prudenter Demoſthenes ſuſpicatur, ut priſtinam dignitatem recuperent.

13. Nunc ut ſermonem vehementiùs urgeat, ad eos Græcorum exagitandos ſe convertit, qui ſuæ conſulentes utilitati, in Perſarum expeditione illâ maximâ, ac penè infinitâ Xerxi contra Græcos alios ſe junxerunt. Fuerunt iſti Herodoti teſtimonio [p] Theſſali, Dolopes, Enienſes, Perræbii, Locri, Magnetes, Melienſes, Achæi, Phthiotæ, Thebani, ac præter Theſpienſes, Platæenſeſque Bœotorum cæteri. Rem notiſſimam paucis attingo. Xerxes Darii patris injuriam, acceptamque apud Marathonem cladem ulturus, cum ſeptemdecim centenis hominum millibus, quos inter millia Equitum octoginta, & cum claſſe 1208 navium præter onerarias in Græciam venerat. Terram, & aquam à ſingulis Civitatibus, excluſis Athenienſibus & Lacedæmoniis, poſtulavit, pacem pollicitus ſi darent; vaſtitatem, ſi abnuerent, minitatus. Dederunt, quos ennarravi, ſuæ potius, quàm communis Græciæ ſalutis habitâ ratione. Id Theſſalos feciſſe, apertam regionem, occupatuque facilem incolentes, mirari non ſubit. At reliqui, quos Acroceraunii, Ætuſque montes aſperrimi, & confragroſi claudebant, propemodum excuſari nequeunt; cum præſertim conſpicerent Lacedæmonios, eorumque ſocios Duce Leonida Thermopylas inſediſſe, tranſi-

[n] *An.* 1. *O.* 102. [o] *A.* 2. *O.* 104. *Diod. lib.* xv. *Xeno. hiſt. Græc.* lib. vii. [p] *Herod. in Clio. Diod.* lib. xi.

tum

tum prohibituros. De iſthoc ſolùm cum Perſis fœdere hic agit Demoſthenes, non de privatis quarumcumque Civitatum, quæ non ad prodendam Barbaris aliquam Græcarum gentium, ſed ut illorum viribus unaquæque æmulam Urbem obnoxiam ſibi faceret, ſanxerunt. Nec aliò collimare potuit, cum vel ipſi Athenienſes, quos à Græcis proditoribus ſejungit, primi Graiæ gentis Perſarum ſocietatem expetierint, ut eâ freti ſe melius à Lacedæmoniorum [n] potentia tuerentur. Cum enim fuiſſent iſtorum ope à Piſiſtratidarum tyrannide liberati, Iſagorâ, qui, conciliato ſibi Spartanorum præſidio Athenis impoſito, res novas moliri videbatur, cum iiſdem præſidiariis expulſo, Sardes ad Artaphernem Regis Præfectum auxilium, conjuncto inter ſe fœdere, adverſus Lacedæmonios oratum confugerunt.

[o] Maxima ſententia, qua ſemper, qui conſulunt Reipublicæ, moderari oporteret conſilia ſua. Nihil enim pernicioſum magis, quàm magnos animos gerere, viribus non æſtimatis. Cujus rei frequentiſſima nobis præbent exempla quarumcumque Gentium Hiſtoriæ; ſed illa duo memoratu digna, Græcorum alterum, alterum Romanorum. Cum Athenienſes Alcibiadi nimium ferocienti obſequuti, [o] ſpretâque Niciæ moderatione, Syracuſanos bello aggredi ſtatuerunt, dum altero cum Lacedæmoniis detinerentur; ingenti illinc navali clade reportatâ, qua maximè ipſorum vires conciſæ ſunt. Apud Romanos C. Terentii Varronis [p] jactantia contra Fabii Maximi timidiora conſilia, Cannenſi cæde nobilitata eſt.

[p] Græcos belli diſciplinâ, & militari uſu cunctis Aſiæ populis longè excellentiores fuiſſe adeo certum eſt, quàm quod certiſſimum. Nunquam enim cum iis juſto prælio congreſſi ſunt, quin victoriam retulerint, & parva quidem manu contra innumeras Copias retulerint. Tot hujus rei exempla jam adduximus, ut plura nunc recenſere laborioſi hominis eſſet. Hinc nulla in Aſia, aut Ægypto paulò nobilior exorta belli

[n] *Herod. in Terpſich.* [o] *Thucyd.* lib. vi. [p] *Liv.* lib. xxii. Cap. 48.

contentio eſt, quin magnis præmiis pars utraque auxilium ſibi Græcorum non conquiſierit, de quo pariter alius erit dicendi locus. At verò non ſolùm Aſiaticos omnes militari peritiâ ſuperarunt, ſed quotquot aliarum gentium, quibuſcum de imperio, aut gloria decertaverint. Nam & ab iis Carthaginienſes, qui reliquis Africanis præſtabant, in tot Sicilienſibus præliis ſæpius devicti, ac profligati; Thraces contriti; Galli, Hiſpanienſeſque ad aliquot ſuis terris Colonias ſuſcipiendas coacti. Plura pariter Italiæ loca iiſdem Coloniis collocandis vi capta. Ipſa Romanorum bellica virtus, & diſciplina Græcis ſub Rege Pyrrho ceſſiſſe viſa eſt. Quamquam deinceps poſt ſecundum Carthaginienſe bellum Græciam omnem ſummâ facilitate in ſuam poteſtatem redegerit. Nec dubito, quin etiam, nondum adultâ Republicâ, ſi Romanis cum ipſo [q] Alexandro Magno, quæ Livii ſententia eſt, pugnandum fuiſſet, victores evaſiſſent; non propter Imperatorum fortaſſe præſtantiam, quæ cui Parti tribuenda foret, non facilè, opinor, definiri poteſt; ſed propter militarem ſcientiam, armorumque genus, quibus Romani Græcos, ut iſti reliquos, antecellebant. Quæ duo præſertim (ut illuc jam redeam unde digreſſus ſum) Græcis iiſdem militarem peperit gloriam. Hi enim vel viridi ætate conſuevere curſu, laboribus, fictiſque præliis exercere corpora; pœnis animum, inflictâque maximè infamiæ notâ ad obeunda pericula acuere, atque obfirmare. Quæ ſanè Aſiaticis deerant, detenti otio, deliciiſque. Simul verò in militares Ordines diſtribui; ſuum quique locum retinere; conjunctim conferre pedem, aut referre, conglobari, diduci, quo pariter uſu non parum alteri carebant, excellebant Græci, ut ex Hiſtoriarum monumentis colligitur. Ac de Spartanis Plutarchum in Pelopida teſtimonium affero locupletiſſimum: *καίτοι πάντων ἄκροι τεχνῖται καὶ σοφισταὶ τῶν πολεμικῶν ὄντες οἱ Σπαρτιᾶται, πρὸς ἡδονὴν ἔτυπτον ἐπαίοντον αὐτοὺς, καὶ συνεθιζον, ὡς τὸ μὴ πλανᾶσθαι, μηδὲ*

[q] *Tit. Liv. Dec.* 1. lib. ix.

ταράτ-

ταράττεσθαι τάξεως διαλυθείσης, ἀλλὰ χρώμενοι τοῖς πάλαι ἐπισταταῖς, καὶ ζευγίταις, ὅποι ποτὲ συνίσησιν ὁ κίνδυνος καὶ παλαιαμβάνοι, καὶ συναρμόττειν, καὶ μάχεσθαι παρεπλησίως. *Et quidem Spartiatæ, qui cunctos superant belli arte, scientiâque rei militaris, nihil diligentiùs ediscebant, ad nullam se magis consuetudinem conformabant, quàm ne Ordines desererent, aut solverent, aut perturbarent; sed omnes ex omni parte, ubicumque adesset discrimen, Ducum, & Præfectorum defuncti munere, detinerent, componerentque aciem, ac simul pugnarent.* Quod si quidpiam de armorum quoque genere dicatur, præstantiora gerebant Græci, quàm Asiani, sive illa respicias, quæ ad contegendum corpus inventa sunt, sive quæ ad feriendum. Primùm galeâ caput operiebant, eâque ex pellibus, aut metallis. Utramque Homerus designat. Ex ære illam Menelai:

[1] Αὐλὰς ἐπὶ στεφάνην κεφαλῆφιν ἀείρας
Θώρηκος καλχείην·
At galeam extollens capiti
Æream imposuit.

Ulyssi è pelle attribuit, eamque elegantissimè ad unguem describit:

[2] . . . . . ἀμφὶ δέ οἱ κυνέην κεφαλῆφιν ἔθηκε
Ῥινοῦ ταυρείην. Πολέσιν δ' ἔντοσθεν ἱμᾶσιν
Εὐλέατο στερεῶς. Ἐκτοσθε δὲ λευκοὶ ὀδόντες
Ἀργιόδοντος ὑὸς, θαμέες ἔχον ἔνθα καὶ ἔνθα,
Εὖ κατὰ ἐπιστάμενος· μέσση δ' ἔνι πῖλος ἀρήρει.
. . . . . *Ipsi circa caput galeam imposuit*
E pelle factum. Multis intus loris
Fortiter ligabatur. Extra candidi dentes
Apri, cui dentes albi, frequentes hinc atque hinc componebantur
Bene scitèque. In medio, capitis tegumentum è lanâ compactum aptatum erat.

Deinde Thorax, duabus partibus constans, pectus, atque humeros contegebat [3], aliquando pectus solùm, quem qui gestabant ἡμιθωράκιοι dicebantur. Hoc A-

[1] *Iliad.* κ. ver. 30. [2] *Iliad.* κ. ver. 257. [3] *Paus. in Atticis. Pollux, Onomast.*

lexander milites [u] ſuos uti maluit, ne tergum ferro munitum animos ad fugiendum adderet. Thoraces alii è lineis funiculis compacti, qui è liciorum compage bilices, triliceſque vocabantur. Rarus iſtorum uſus in bello, ut Pauſanias [x] monet. Quamquam Ajaci Oilei filio Homerus illum attribuit:

. . . . . Ὀλίγος μὲν [y] ἦεν, λινοθώρηξ.
. . . . . *Parvus erat, lineum thoracem habens.*

& Alexandro Plutarchus, quem ſcribit geſſiſſe Θώρακα λινοῦν διπλοῦν, *Thoracem lineum duplicem.* Dabatur etiam militibus morbo, aut labore fatigatis, ut in Iphicratis vita Cornelius Nepos eſt autor. Cæterùm utplurimùm ex ære, aut ferro conſtabant, ſive in continuas laminas diducto, & Θώρακες ῥάδιοι Euſtathii teſtimonio appellabantur; ſive in parvas diſſecto, & binæ, ternæque corio ſuperinductæ Thoracas διπλᾶς, ἢ τριπλᾶς, *bilices, triliceſque* conſtituebant. Rurſus Κνημῖδες, *Ocreæ*, quæ pariter è metallorum aliquo fabrifactæ, ut eas deſcribit Heſiodus [z], tibias operiebant.

. . . . . κνημῖδες ὀρειχάλκοιο φαεινῆς
Ἡφαίστου κλυτὰ δῶρα περὶ κνήμῃσιν ἔθηκε.
. . . . . *Ocreas ex ſplendido orichalco,*
Inclyta Vulcani dona, tibiis induxit.

Χειρίδες, *Manicæ*, muniebant brachia, & manus. Ἀσπὶς denique, *clypeus*, totum protegebat corpus. Varia hujus materia, & figura. Plerumque è [a] ligno, quandoque è pellibus compacti, ut ille Ajacis apud Homerum [b]:

Ὃς εἰ ἐποίησεν σάκος αἰόλον ἑπταβόειον
Ταύρων ζαήρεφέων, ἐπὶ δ' ὀγδόον ἤλασε χαλκόν.
Qui fecit ipſe ſcutum varium, ſeptem pellibus tectum,
Taurorum præpinguium, octavum ſuperinduxit æs.

Figura aut [c] rotundi, ut Argolici, ἀσπίδες εὔκυκλοι: aut quadrati, πάρμα: aut oblongi, θυρεοί, quod [d] portarum ſimilitudinem ferrent. Quorum omnium imaginem nobis exhibent vetera monumenta. Iique ad

[u] *Polyænus Stratag.* l. iv. [x] *In Attic.* [y] *Iliad.* β. ver. 528. [z] *De Scuto Herc.* ver. 122. [a] *Pollux. Onom.* lib. i. cap. x. [b] *Iliad.* η. ver. 222. [c] *Pollux*, ibid. [d] *Athen.* l. iv. & vi.

hominis

hominis ferè ſtaturam producti; quamobrem dicuntur ab Homero ἀσπίδες ἀμφίβροτοι, ποδηνεκεῖς, ſcilicet, ut Euſtathius interpretatur, ἀνδρομήκεις, *hominis ſtaturam coæquantes.* Idque luculentiùs patet ex familiari cadavera ſuper clypeos ferendi more. Breviores, ut Peltæ, aliique id genus, ad hos gravis armaturæ milites, quos deſcribendos ſuſcepimus, non pertinent. Hæc fuerunt Græcis arma ad defenſionem parata. Ad offendendum verò, lanceæ; eæque vel amentatæ, ad jaculandum; vel minores, ad manus conſerendas; omnes autem graves, & craſſæ. Enſis demum, qui acutus, & longus. Arcus, ſagittæ, ſpicula, haſtæ, fundæ non ſunt ejus generis militum, qui Oplitæ vocabantur, ſeu gravis armaturæ, quique, ut Triarii apud Romanos, robur, ac vires belli conſtituebant. Nam ut Romanis, ita & Græcis triplex fuit militum ordo; & ſicut illi Haſtatos, Principes, Triarios; hi pariter ψιλὸς, πελασὸς, ὁπλίτας habebant, Ψιλοὶ, levis armaturæ milites, arcu, ſagittâ, ſpiculis, fundis utebantur; aperto corpore, ne ad currendum impedirentur; nulloque clypeo, quippe ſiniſtra manu occupatâ. Sed ubi opus foret, pedem referentes, ſub Triariorum ſcuto deliteſcebant, quod egregiè ab Homero[a] deſcribitur:

Τεῦκρος δ' εἶναι ὃς ἦλθε παλίντονα τόξα τιταίνων,
Στῆ δ' ἀρ' ὑπ' Αἰαντος σάκει Τελαμωνιάδαο.
Ἔνθ' Αἴας μὲν ὑπεξέφερεν σάκος, αὐτὰρ ὅγ' ἤρως
Παπτήνας, ἐπεὶ ἄρ' τιν' ὀϊσεύσας ἐν ὁμίλῳ
Βεβλήκει, ὁ μὲν αὖθι μεσῶν ἀπὸ θῦμον ὄλεσσεν.
Αὐτὰρ ὁ αὖτις ἰὼν, πάϊς ὡς ὑπὸ μητέρα, δύσκεν
Εἰς Αἴαντ'. Ὁ δέ μιν σάκεϊ κρύπτασκε φαεινῷ.
Teucer verò nonus venit, tendens renitentes arcus,
Et ſtetit ſub Ajacis ſcuto Telamonii.
Tunc Ajax ſubefferebat ſcutum, quod Heros
Converſis oculis ſpectans, poſtquam jaculatus, aliquem in turba
Vulneraverat, ille deinde cadens amiſit animam;

[a] *Iliad.* θ. ver. 266.

Et ipſe retrocedens, veluti puer ad matrem, ſe ſubmittebat
Ajaci, qui illum ſcuto tegebat ſplendido.

Peltaſtæ breviora ſcuta, oblongas, tenueſque haſtas adhibebant. Reliqui erant Oplitæ, quos diſciplinâ, & armorum genere Aſiaticis militibus præſtare diximus. Qui ſiquidem Aſiatici & turmatim pugnare, & nullo ordine inferre, aut referre pedem; corpus ut plurimùm non armis tegere; clypeis brevioribus, perſæpe vimineis uti, longioribus, ac tenuioribus haſtis, enſibus cæſim, non punctim ferientibus, ut ex Polluce, Xenophonte, aliiſque literarum monumentis percipitur; quæ quidem pugnantibus incommoda eſſe nemo prudens rerum æſtimator inficiabitur. Sed illud quoque ad Græcorum ſtrenuitatem valebat plurimùm, quod iſti ſaluberrimo inſtituto, dum certabatur, arma ad defenſionem parata ſtudebant maximè conſervare[f]; Aſiatici, quæ ad offenſionem; cum tamen ad obtinendam victoriam prius oporteat vitare nocem, quàm aliis inferre. Hinc illis infamia, graviſſimæque pœnæ, ſi clypeum abjeciſſent; nullæ ſi haſtam, aut enſem; hinc pariter filiis ad bellum proficiſcentibus illuſtre Spartanarum Matrum præceptum, ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶν, *aut iſtum* clypeum refer,[g] *aut ſuper iſtum* refertor. Quare ex omni parte patet Græcos milites Aſiaticis longè præſtitiſſe.

[Q] Non aliud tum temporis, quàm bellum ſacrum agebatur, ut diximus. Igitur ii ſolùm, qui ſtabant eo bello contra Athenienſes, palam ſe Reipublicæ hoſtes profitebantur, videlicet Thebani cum reliquis Bœotis, Theſſali, Locrenſes, Perrhæbi, de quibus ſub litera [I] loquuti ſumus.

[R] Ex hoc Demoſthenis loco facile inducor, ut credam, Oratores, qui Regem bello præveniendum contendebant, Concioni ſpem dare, finem hoc bello Græcorum diſcordiis imponi poſſe. Si enim, miſsâ ad Provinciæ populos legatione, commonerentur Regem ipſis imminere, abſtinerent profectò à civili ſanguine,

[f] *Plutar. in Pelop.* [g] *Plut. in apoph. Lacon.*

atque

atque arma contra communem hoſtem conſociarent. Demoſthenes callidè conſilium iſtud, quod cognoſceret plebi gratum, eludit, oſtenditque non ideo Græcos, qui tum Reipublicæ adverſabantur, fœdus cum ipſa & cum Lacedæmoniis inituros, quia plus apud eos poterit amor vindictæ, ac vetus in Athenienſes, alioſque Peloponnenſes odium, quàm Perſici belli periculum. Plurimæ conſtabant hujus odii ac diſſidiorum cum antiquæ, tum recentes cauſæ, de quibus in rem magis erit alibi ſermonem facere.

[5] Nunc examinandæ nobis ſunt maritimæ, ac terreſtres Athenienſium vires, quas in præſenti Orator magnificentiſſimè extollit. Ac primùm mirari ſubit, quod mille ſolùm equites tanti faciat. At ſi probè res expendatur, & cogitemus Atticam montibus occupatam, atque idcirco alendis equis minus idoneam eſſe, hujuſmodi equitatus nequaquam exiguus exiſtimabitur. Initio Athenienſes ſub Regum imperio ſex ſolùm ſupra nonaginta equites numerabant, duos videlicet per unamquamque Naucrariam, ut Pollux [h] refert. Naucrariæ autem octo, & quadraginta, cum quælibet Tribus in earum duodecim divideretur; Tribus verò tum ſolùm quatuor. Quæ turma quamvis perexigua in Marathonico prælio Medis primùm ludibrio fuit, mox terrori, ac diſcrimini. Iis devictis, aucta opibus Reſpublica trecentos equites habuit, quos deinde circa Peloponneſiaci belli tempus, quo illa maximè floruit, auxit ad mille ducentos, ut [i] Thucydides, & Æſchines habent; hujus autem verba mox afferemus. Hic maximus fuit Athenienſium equitatus; quem tamen, urbe tot cladibus debilitata, ad mille redactum fuiſſe arbitror Demoſthenis ætate, cum plures non referat, atque è re ſua foret rem verbis augere potius, quàm extenuare. Erat equeſtris Ordo apud Athenienſes, ut apud Romanos, dignitatis. Ditioribus ſecundæ Claſſis dabatur ab Hipparchis, &, ſi res poſtularet, cenſebantur à Phylarchis, quandoque à Senatu, qui cenſum æſtimabant, habitum, ac

[h] *Onom.* [i] *Thuc.* l. ii. *Æſch. in Orat. de falſa legat.*

vires corporis, cum quiſque per ſe ipſe mereret. [k] Licuit deinde ordinem retinere, ac vicarium in caſtris dare, cum inſtruendus eſſet exercitus. Pedeſtres Copiæ eo numero continebantur, quo Cives à 18. ad 40. annum, quo tempore definiebatur ætas militaris. Verùm [l] à 18. ad 20. caſtra non ſequebantur, ſed Atticam cuſtodiebant, & vocabantur περίπολοι, *excubitores*. Unuſquiſque in ſua Tribu nomen dabat, ut ex Herodoto, Plutarcho, Thucydide colligitur, & legibus in eos animadverti poterat, qui, cum opus foret, in militiam proficiſci recuſarent. Quo circa Demoſthenes ait, tantam eſſe Reipublicæ peditum vim, quantam velit. Sed intervallo temporis labente ad otium plebe, ab ipſo Peloponneſiaci belli tempore mercenariis uti Copiis plurimùm conſuevit. Quod & ſæpius Orator noſter reprehendit, præcipuè in tertia Olynth. & Corinthii in totius Peloponneſi conventu ſubrident; [m] Ὠνηλὴ γὰρ Αθηναίων ἡ δύναμις μᾶλλον, ἢ οἰκεία, *mercenariæ magis Athenienſium vires, quàm domeſticæ*. Per ea tempora utriuſque conditionis peditum non minus viginti novem millibus ſub ſignis habuerunt, ut narrat Thucydides lib. ii. [n] Ὁπλίτας δὲ τεσσχιλίους καὶ μυρίους εἶναι, ἄνευ τῶν ἐν τοῖς φρουρίοις, καὶ τῶν παρ' ἕπαλξιν ἐξακισχιλίων καὶ μυρίων. Τοσοῦτοι γὰρ ἐφύλασσον τὸ πρῶτον, ὁπότε οἱ πολέμιοι ἐσβάλοιεν, ἀπό τε τῶν πρεσβυλάτων, καὶ τῶν νεωλάτων, καὶ μετοίκων, ὅσοι ὁπλῖται ἦσαν. *Armatos autem millia tredecim eſſe, demptis aliis ſexdecim millibus, qui in præſidiis & propugnaculis commorabantur. Tot enim cum ſeniorum, tum juniorum, atque advenarum armati initio cuſtodiebant regionem, cum in eam hoſtis conſcendit.* Attamen nihil hujus potentiam reipublicæ oſtendebat magis, quàm robur navale, cum claſſem vel 300 triremium habuerit omni re ornatiſſimam. Centum primò contra Xerxem inſtruxit, ut ſuo loco dicemus: Eo debellato, alias centum ornavit; ac totidem initio memorati Peloponne-

[k] *Lyſias in Orat. de ordin. deſerto.* [l] *Xenoph. Græc.* l. v. [m] *Thuc.* l. i. [n] *Thuc.* l. ii.

ſiaci

ſiaci belli reliquas cumulavit, ut ſcribit [o] Thucyd. loco laudato, & Æſchines in Oratione de falſa Legatione, his verbis diligenter narrat: ἐν δὲ τούτῳ τῷ χρόνῳ (τὸ πολέμιν Πελοποννησιακὸν) &c. ἑκατὸν τριήρεις πρὸς ταῖς ὑπαρχούσαις ἐναυπηγησάμεθα, &c. τριακοσίους τοξότας Σκύθας ἐπριάμεθα, καὶ τὴν δημοκρατίαν βεβαίως εἴχομεν &c. Εἰρήνην ἔτη τριάκοντα ἠγάγομεν &c. ἑκατὸν δὲ τριήρεις ἑτέρας ἐναυπηγησάμεθα, καὶ Νεωσοίκους ᾠκοδομήσαμεν, χιλίους δὲ καὶ διακοσίους ἱππέας καθεσήσαμεν, καὶ τοξότας ἑτέρους τοσούτους, &c. *Per id vero temporis* (Peloponneſiaci belli) *centum triremes, præter quas jam habuimus, conſtruximus, trecentos equites inſtruximus, ac totidem Scythas ſagittarios comparavimus, ac tutò popularem ſtatum tenuimus* &c. *Pacem deinde per annos triginta egimus, & centum alias triremes compegimus, navalia ædificavimus, mille & ducentos equites conſtituimus, atque alios totidem ſagittarios* &c. Quæ ſanè trecentarum triremium claſſis, quamvis illæ, ut mox referemus, longè à noſtris magnitudine diſtarent, ſi ab una ſolum Civitate conſtructam, ornatamque reputemus, non exiguam potentiæ ſpeciem in omnium oculis collocat.

[T] Satis fuit Oratori noſtro rem indicare, ut Cives plura ſtatim exempla in memoriam revocarent, quibus negotia confecta, aut neglecta fuiſſe, prout ad illa gerenda ſtudium adhibuiſſent, intelligerent. Poterant enim, ne ab iis, quæ uſurpat Demoſthenes, diſcedam, liberatæ à Thebanis Euboeæ meminiſſe, cum ſumma animorum alacritate, Timothei [p] auctoritatem ſequuti, labanti ejuſdem fortunæ auxilium, quàm celerrimè detulerunt. Contra verò cum Megarenſes evertere, Phlyaſios [q] erigere ſtatuiſſent, rem deſeruiſſe.

[U] Solon [r] Athenienſium Reipublicæ inſtaurator, latorque legum ſapientiſſimus, Cives habita fortunarum ratione in quatuor partes diviſerat. Qui è ſiccis, humidiſque, id eſt, è frugibus, vinoque modios quin-

[o] *Thuc. ibi. Æſch. Orat. de falſ. Legat.* [p] *Demoſth. de Cherſon. rebus.* [q] *Idem de ord. rep. A.* 3. O. 26. [r] *Plutarch in Solone. Ariſtot. in 2. de Rep.*

gentos

gentos implebant, fuerunt in prima Classe, & Quinquemodiales nuncupati; qui quadringentos in secunda, & equites dicti; in tertia, qui trecentos, & Zeugitarum; cæteri in quarta, & Thetarum, latinè oppigneratorum, nomen obtinuerunt. Magistratus, & publica munera Thetis, utpote pauperioribus, denegata, reliquis omnibus concessa; additâ lege, quæ ἀντίδοσις vocabatur, ut si quis imparem se dato muneri profiteretur, posset unà cum omni re suâ munus ipsum cum alterius munere & facultatibus commutare. [f] Hinc autem cum lites, dissensionesque plurimæ concitarentur, eâ lege abrogatâ selecti sunt, Periandro autore [t], Archonte Nausimacho è qualibet Tribu centum viginti, ac proinde ex universa Republica Cives mille ducenti, qui re familiari cæteros antecellerent, iisque Magistratuum honor, at simul onus, conferendæ in bellum, aliosque publicos usus pecuniæ demandatum fuit. Cœtus iste in Classes viginti, unamquamque sexagenûm virorum, quas Symmorias vocabant, lege dividebatur; ac rursus, ut ego arbitror, consuetudine quadripartitò; trecentis unicuique parti assignatis juxta census æstimationem, qui, prout cuique ditior, aut exilior, aditum ad unam aut alteram earumdem partium præbebat. In hoc locupletiorum hominum Concilio non Cives vice sua, sed Familias perpetuò adscriptas fuisse, quoad opibus florerent, quibus hujusmodi Census constituebatur, facilè inducor ut credam; quia vel Pupillos in eo concludi, & se hac ætate, Tutorum manu quingentas drachmas in Symmorian persolvisse [u] Demosthenes dicit. Imperata verò pecunia per Classes pendebatur; vicies enim ex ipsarum numero dispertita, seorsum ab unaquaque in Ærarium conferebatur. Sed cum mediocris, aut afflictæ fortunæ Cives plerumque paratam non haberent, ditiores pro sua quilibet Classe in præsenti solvebant, de-

[f] *Demosth in Orat. de Antidosi.* [t] *A. 1. Ol. 86. Demosthen. contra Eubergum Arpocratio.* [u] *Demosth. in 1. contra Aphobum. Demosth. in 2. Olynth.*

inde

inde à cæteris reperturi, ut ipſe [x] Demoſthenes indicat. Hinc ille ditiſſimorum, qui ex altera illa quadripartita diviſione, ut diximus, trecenti erant, in cæteros dominatus. Iſtud Reipublicæ inſtitutum, quo tributa ad ſupplendum Ærarium exigebantur, Demoſthenes retinendum proponit; ſed ut melius conſtituatur, monet iſtud mille ducentorum Collegium octingentis aliis cumulari, ut poſtmodum ex omni numero deletis Pupillis, Virginibus, mittendis Colonis, Societatibus, aliiſque non ſatis idoneis, quibus ſibi, non Reipublicæ conſulendum erat, prior, ille mille ducentorum numerus, ſed æquiori delectu permaneat, ac facilius poſſit, quæ in Rempublicam ſint opus, contribuere. Initio Collegas omnes argentum ex æqua ſingulos parte contuliſſe, pluſne, minuſne opibus fruerentur, ſatis apertè monſtrare mihi videtur nova lex Demoſthene autore ſancita, quæ tributorum onera in qualibet Claſſe ab unoquoque ferri decretum eſt, habita ſuarum opum ratione, de quo parto tenuioribus Civibus beneficio gloriatur ille in Oratione de Corona: *ἔθηκα νόμον, καθ' ὃν τὸν μὲν τὰ δίκαια ποιεῖν ἀναγκάσας τοὺς πλουσίους· τοὺς δὲ πένητας ἔπαυσα ἀδικουμένους· τῇ πόλει δὲ ὅπερ ἦν χρησιμώτατον, ἐν καιρῷ γίγνεσθαι τὰς παρασκευὰς ἐποίησα* &c. Narrat deinde maximam ſibi pecuniam oblatam fuiſſe à Civibus locupletioribus, quorum plurimi intererat iſtam haud rogari legem, additque: *ἦν γὰρ αὐτοῖς ἐκ μὲν τῶν περὶ ἐμὲ νόμων συνεισφέρειν λειτουργεῖν, αὐτοῖς μὲν μικρὰ, καὶ οὐδὲν ἀναλίσκουσι· τοὺς δὲ ἀπόρους τῶν πολιτῶν ἐπιτελέσουσιν. Ἐκ δὲ τοῦ ἐμοῦ νόμου τὸ γιγνόμενον καλὸν τὸν ἴσον ἕκαστον τιθέναι. Καὶ δυοῖν ἰφάνη τελήσασχ@, ὁ τῆς μισθ@ ἔντ@, καὶ δεκαπλ@ ὢν πρότερον σωτελής. Οὐδὲ γὰρ τελεσάργησε, ἐπωνόμαζον ἰσωλὸς, ἀλλὰ συντελῆς. Legem conſtitui, qua divitibus neceſſitatem intuli æquitatem tuendi, ab injuſtitia inopes ſervavi. Perfeci autem, quod eſt utiliſſimum, ut in tempora apparatus bellici ſint Reipublicæ,* &c. *Sequebatur ex priori conſtitutione, ut ſexdeni ſimul pro rata una partione publico fungerentur munere, nullo,*

[x] *Demoſth. contra Polyclem.*

quo

aut parvo ipſorum (divitum) *damno; maximo verò tenuiorum Civium. Meâ lege unicuique opus eſt, prout melius, deteriuſve conſtitutam habet rem familiarem, ex ejuſdem ratione pecuniam erogare. Quare duas triremes quis exhibet, cui prius in una ſolùm conſtruenda decima octava pars contigebat. Non enim ſe Triremium præfectos vocabant, ſed contributores.* Verùm de his hactenus.

[x] At non minus ſingulas Claſſes diligentiùs conflari vult. Hortatur itaque ita illas componi, ut unaquæque è trecentis illis ditioribus quempiam obtineat, qui ſtatim, cum uſus fuerit, pro ſuis etiam Collegis pecuniam repræſentare poſſit. Siquidem nullâ morâ Reipublicæ neceſſitati, conferendiſque tributis hoc pacto proviſum iri.

[y] Cum trecentas triremes conſtruendas jubeat Demoſthenes, qua numquam Athenienſes majorem Claſſem habuerant, argumento eſt Rempublicam in re navali, quam ſemper coluit diligentiſſimè, nullum hactenus detrimentum feciſſe, ſed acceptam à Majoribus potentiam adhuc æquare poſſe. Non tamen iis aſſentior, qui trecentis Triremibus locupletiorem Claſſem Athenienſes aliquando emiſiſſe contendunt, freti Strabonis [y] autoritate, qui de Navali in Piræo ſcribens, ἄξιον, ait, ἦ ναύσταθμον τετρακοσίαις ναυσὶν, ὧν οὐκ ἐλάττους ἔστελλον Ἀθηναῖοι. *Erat Navale conveniens quadringentis Navibus, quarum non pauciores mittebant Athenienſes.* Ac Plinii [z]: *Laudatus eſt Cteſiphon Gnoſſius Æde Epheſiæ Dianæ mirabiliter fabricatæ; Philon Athenis Armamentario mille navium.* Siquidem aut *trecentas* pro *quadringentis* & *mille* ſcribendum eſt, ut putat Joannes Meurſius [a], vir apprimè eruditus; aut nulla iiſdem Scriptoribus habenda fides contra Demoſthenis, Æſchinis, Thucydidis, Xenophontis apertiſſima teſtimonia, quæ ſuperiùs adduximus. Quamquam ego & mendum ab iiſdem locis abeſſe arbitror (neque enim facilè è Codicibus quicquid non eſt è re noſtra expungi debet;) & ipſorum dicta non ſibi invicem adverſari. Nam Strabo de navibus loquitur,

[y] *Strabo* l. ix. [z] *Plin.* lib. vii. cap. 37. [a] *Lib de fort. Athen.*

quitur, quo nomine cum bellicæ, tum actuariæ, (quæ remis quoque agebantur, & tranſvehendos milites, omnemque rem militarem idoneæ) continentur. De bellicis autem à Thucydide, aliiſque memoratis fit ſolùm mentio. Nec dubitari poteſt, quin cum iſtis plures actuariæ navigarent; ut videre eſt, exempli gratiâ, in maxima illa contra Syracuſanos expeditione, in qua cum reliqua Claſſe, [b] ναῦς παραπλησίως κενὰς ἑξήκοντα μὲν ταχείας, τεσσαρεσήκοντα δὲ ὁπλιταγωγὸς, &c. *exhibuit Reſpublica Naves celeres ſexaginta vacuas, aliaſque quadraginta, quæ armatos ferrent.* Plinius autem non de Navium numero, ſed de inſtructiſſimo Armamentario ad mille Triremes ornandas ſermonem habet, quod in tantis naufragiis, tantiſque captis, debilitatiſque Navibus, ſupplendæ Claſſi vix arbitror ſufficiſſe. Huc etiam refero, quod Pauſanias [c] in Atticis, & Plutarchus [d] in Lycurgi Rhetoris vita de iſto ſcribunt: ἢ ἐπὶ, Plutarchi verbis utor, τὴν τῷ πολέμῳ παρασκευὴν χειροδονηθεὶς, πολλὰ τῆς πόλεως ἐπηνόρθωσε, ἢ τριήρεις παρεσκεύασε τῷ Δήμῳ τετρακοσίας. *Belli apparatus decernens, multa Reipublicæ inſtituta in integrum reſtituit, ornataſque exhibuit Populo quadringentas Triremes.* Nam in tantis bellorum caſibus cum ſæpiùs adverſi quidpiam accidat, reparandæ trecentarum Claſſi, paratas centum alias Triremes adeſſe voluit. Quem morem ſervandum quoque proponit Demoſthenes in hac Oratione, dum vel ipſe quindecim aliis cumulandam cenſet trecentarum ſuarum conſtructionem.

[z] Nunc autem ut aliqua dicam de omni bellicarum Navium genere, ac præſertim de Triremibus. Fuerunt iſtæ navigii ſpecies aptiſſima ad navale tum temporis prælium obeundum; quare prærogativâ quadam nominis dicuntur ab Heſychio πλοῖα πολεμικὰ, *navigia militaria*, & Scholiaſtes Ariſtophanis, ubicumque Poeta πολεμίας nuncupat, addit, τὰς τριήρεις φησὶ, *Triremes dicit.* De ipſarum figura non ambigitur; Longæ ſiquidem fuerunt, quæcumque naves

[b] *Thucyd.* lib. vi. [c] *Pauſ. in Att.* [d] *Plutar.* lib. *de* 10. *Rhet.*

ad

ad pugnam conſtruebantur. Quot autem remis agerentur, & quo diſpoſitis ordine, magna eſt inter eruditos contentio, & ad rem enucleandam parum nobis adeſt ſubſidii ex æreis marmoreiſque monumentis. Nummi enim, atque Anaglypta vel aliquam ſolùm navigii partem exhibent, loci anguſtiis impedita; vel ſi totum navigium, ad cælaturæ elegantiam plura exprimenda prætermittunt, ut reliqua luculentiùs pateant. Lazarus Bayfius [e], quem honoris causâ nomino, vir doctiſſimus collegit ex omnibus antiquitatis reliquiis navium formas, quaſcumque potuit reperire. Verum ex iis nec ipſe, nec alius quiſquam certò valuit ſtatuere, quoto remorum numero, quoto verſu, ordine unaquælibet impelleretur. Aliqui putant tot eorumdem remorum ordines, unum alteri ſuperimpoſitos in ſingulis fuiſſe, quot Navigii nomen demonſtret, ſcilicet in Biremi duos, tres in Triremi; in Quadriremi quatuor, & ſic deinceps. Sed ex iſta ſententia in Heptere, ut exemplum afferam, ſeptem, in Decere decem ordines &c. conſtitiſſent, quorum ſupremos opus fuiſſet adeo remotos à tabulato collocare, ut cum ad feriendam aquam ex una parte deprimerentur remi, eos ex altera ſupra modum elatos non ſolum manibus tenere, ſed nemo attingere potuiſſet. Sunt qui exiſtimant remos in una ſolum linea è tranſverſo ductam ſtetiſſe, atque è remigum numero, quo ipſorum quilibet incitaretur, nomen ſuum naves obtinuiſſe; ſed iſti non definiunt quot remis unaquæque impelleretur; & qui parem navigii appellationi eos decernunt, ſcilicet in Biremi ex utraque parte duos, in Triremi tres &c. nimiùm ipſarum molem extenuant. Qui denique ex hac ſententia multiplicem remorum ordinem volunt, ſed quos prior opinio ad perpendiculum, hi è tranſverſo eos ponunt in eadem, ut diximus, linea, ſed aliquo inter ſe ſpatio disjunctos. Iſtos pariter interrogarem, cur ſpatium illud aliis remis non implent ad navis celeritatem; & ſi implent, quomodo diſtinguunt ordines?

[e] *Lib. de Re Navali ad* l. ii. *de Capt. &c.*

dines? Domum iis manifestò repugnant apertissima Veterum testimonia, quæ mox afferemus. Igitur rem, sanè difficilem melius explicare mihi videtur Joannes Schefferus [f], qui ordines ab imo ad verticem collocat per triangulum dispositos, ut & qui sunt in prima sententia. Verùm duos tribuit Biremi, ternos Triremi, aliisque majoribus; idque ex eo conjicit, quod Remigum tria solùm nomina memoriæ prodita sint; Θαλαμιῶν, qui in infima Navis parte; Ζυγιτῶν, qui in media; Θρανιτῶν, qui in suprema remigabant. Deinde in unoquoque Ordine tot remos; unicuique remo tot remiges adhibet, quot navigii genus suo nomine ostendit; nimirum in Biremi duos, quare in alterutro ejus latere quatuor remos, atque octo remiges; In triremi 3, proindeque remos 9, remiges 27: In Quadriremi 4, igitur remos 12, remiges 48: In Quinqueremi 5, quamobrem remos 15, remiges 75. Atque ita de majoribus aliis Navibus rationem ducit. Hanc utique opinionem aut veram, aut à vero non longè aberrantem reputo, si tamen ab eo discedatur, quod tres tantum ordines cuique majori, quæ Triremem excedat, navi tribuit. Modus quidem aliquis constituendus est, ut ne memorata super incommoda consequantur, sed quantum concedunt Veterum testimonia. Igitur ut in re perobscura, in qua cuilibet licet contendere vires ingenii sui, dicam vel ego quid sentio. Credo equidem remorum ordines usque ad Quinqueremes sequutos fuisse navium appellationem; deinceps cujuscumque illæ magnitudinis forent, non auctos ultra, præterquam in singulari aliquo navigio, de quo erit sermo. Remiges verò unicuique remo adhibitos coæquasse ut plurimum navis nomen. Cur autem ita mihi persuasum sit, exponam. Quinqueremes habuisse plures remorum ordines, quàm Triremes, dubitare non sinunt Livii verba [g] in lib. xxviii. *Quinqueremis Romana, seu pondere tenacior, seu pluribus remorum ordinibus scindentibus vortices, quum facilius regeretur, duas triremes*

[f] *Diss. de varietat. Navium.* [g] Cap. 30.

suppressit.

ſuppreſſit. Rurſus Quinqueremis altitudine Quadriremem ſuperabat, in iſtamque ab illa facilis erat deſcenſus, ut ex eodem Hiſtoricorum Latinorum principe compertum eſt. Narrat enim [g]: *Claſſis Punica ſtationem ad Uticam habebat. Ex ea tres Quadriremes, ſeu clam miſſo à Carthagine nuntio, uti fieret, ſive Aſdrubale, qui Claſſi præerat, ſine publica fraude auſo facinus, Quinqueremem Romanam ſuperantem promontorium ex alto repente aggreſſæ ſunt. Sed neque roſtro ferire celeritate ſubterlabentem poterant, neque tranſilire armati ex humilioribus in altiorem navem.* Quare ſi altior, cur Quadriremem non excederet uno remorum ordine? At verò quinque tranſtra, unum alteri ſuperinducta, non ſe adeo extollebant, ut è ſupremo remigari non poſſet. Concedamus enim duorum cubitorum lineâ ad perpendiculum ductâ remos inter ſe diſtare, decem cubitos ab infimo ad ſupremum colligemus. Verùm altiùs ſupernatare fluctibus naves noſtras conſpicimus, quæ tamen, cum opus eſt, à ſummo latere circumaguntur remis, atque impelluntur, Et hi quidem ex ea parte longiſſimi, ut mox dicemus, adhibebantur, eamque ob rem trianguli ad verticem angulus minus erat acutus, depreſſior proinde extrema interioris remi pars. Quod ſi plures, quàm quinque ordines fuiſſent adhibiti, ea profectò incommoda vitari non potuiſſent, quæ initio retulimus. Attamen non ideò ſolùm plures nego; ſed quia quinis dumtaxat maximas naves conſtitiſſe mihi videor animadvertere. Enimverò nullam ampliorem legimus, quàm quæ Ptolemæi [h] Regis fuiſſe Athenæus memoriæ hominum prodit. Ducentos octoginta cubitos longitudine æquabat; quatuor remigum millibus onerabatur, iique quadragenis in unoquoque ordine remis adhærebant. Duo igitur ipſorum remigum millia per utrumque latus; quorum deni ſi pro molis magnitudine unicuique remo tribuantur, hos comperiemus ducentos fuiſſe, quos iterum ſi ex Athenæi teſtimonio quadragies diducamus, palam erit in quinque

[g] Lib. xxx. Cap. 25. [h] *Ath.* lib. v.

ordines

ordines fuiſſe diſtributos. Quinqueremis Romanæ, à quadringentis remigibus actæ, qua Cæſus Aſturâ Antium navigavit, Plinius [i] meminit. Hujus enimverò ſi, quam conſtituimus, rationem ineamus, quinquaginta ſolùm remis inſtrui debuiſſet; quare unicuique remo non quinque, ſed octo remiges è quadringentis illis dare opus foret. Quod quamvis ad amuſſim non ſit è re noſtra, attamen major iſte numerus plus nobis favet, quàm reliquis; nec mirum, ſi navis, vehendo tanto Principi deſtinata, ad itineris celeritatem, ſecuritatemque, ampliori remigum turbâ aucta fuerit, quod nunc etiam aliquando uſu venire ſolet. Fuiſſe unam, aut alteram navem pompæ quidem, non prælîis aptam, pluribus, quàm quinis ordinibus inſtructam nemo ignorat, veluti illam à Livio [k] memoratam: *Regiam unam inhabilis prope magnitudinis, quam ſexdecim verſus remorum agebant.* Cæterum, quæcumque illæ fuerint, & cujuſcumque magnitudinis, ex iis, quæ diximus, conjectari licet, non pluribus, quàm quinis remorum ordinibus navigaſſe. Ordines iſtos ab imo ad ſummum lateris per triangulum fuiſſe diſpoſitos dubitari nequit; teſtatur enim vetus quidam [l] Autor in calce Æliani: ἡ μονήρης, ἡ διήρης, ἡ ἐφεξῆς καλὰ τὰς σίχας τὰς καλὰ τὸ ὕψος ἐπ' ἀλλήλοις λέγεσθαι. *Navis unius, duorum,* &c. *ordinum remorum nuncupatur ex ipſis ordinibus in altum invicem poſitis.* Probat etiam vir doctiſſimus [m] Joſeph. Scaliger ad ann. Euſeb. 1230. ex lib. iii. Lucani ver. 236.

. . . . . *ſummis longè petit æquora remis.*

& ex lib. xiv. Silii Italici ver. 424.

Intrat diffuſos peſtis vulcania paſſim,
Atque implet diſperſa foros; trepidatur omiſſo
Summis remigio; ſed enim tam rebus in arctis
Fama mali nondum tanti penetrarat ad imos.

Ubi tranſtra per altum lateris diſpoſita facilè conſpiciuntur. Veterum teſtimoniis manifeſta hujus collocationis ratio mihi videtur accedere. Nam bellica-

[i] *Plut.* l. xxxii. [k] *T. Livio,* lib. xxxiii. [l] *Auth. apud Ælian.* [m] *Scal. ad Euſeb.*

rum navium, quamvis longæ dicerentur, formam coarctatam videmus, multúmque à prora & puppi caſtellis occupatam. Cum igitur collocandis remis, nonniſi ſpatium anguſtum ſupereſſet, ut plures adhiberi poſſent, ab imo ad verticem lateris per triangulum ſunt diſtributi, ut remiges inferiores, dum remum ducerent, occupatum à ſuperioribus locum ſubingrederentur. Ne verò ſeſe ipſi remi impedirent, longiſſimi fuerunt, qui in ſuprema parte conſtituti; minores, qui in media; breves, qui in infima, atque ita unus intra alium excipiebatur; cujus quoque rei teſtimonium damus Athenæum, qui navem illam Ptolemæi narrat habuiſſe τὰς κώπας Θρηνιτικὰς ὀκτὼ, καὶ τριάκοντα πηχῶν τὰς μεγίστας, *Thranitarum remos cubitos octo, ac triginta longos.* Ex his omnibus patet, ut finem huic annotationi tandem imponamus, Veterum Quinqueremes noſtras Triremes fere æquaſſe; Hepteres ſuperaſſe; Triremes longè iiſdem minores fuiſſe, mole tamen non minimâ.

[z] Quando, & quomodo hæc Regionis æſtimatio facta fuerit Polybius[n] tradit, cujus verba mox referemus. Tanti verò Atticam λεπτολογίαν, ut illam Thucydides vocat, fieri potuiſſe, magnam ſanè parit admirationem, cum præſertim Thetæ, infimi cenſus homines, terras ſuas immunes poſſiderent. Athenæ quidem fertilem agrum colebant, ſic enim Homerus:

Θρέψε Διὸς θυγάτηρ (τέκε δὲ ζείδωρος Ἄρουρα)
Κεκρὸς ἐν Ἀθήνῃσ' ἔσσεν ἑῷ ἐνὶ πίονι νηῷ.
Nutrivit (Erectheum) *Jovis Filia* (*peperit vero alma tellus*)
Et Athenis locavit, ſua in pingui ſede.

Verùm id parvi erat momenti ad reliquæ provinciæ ſterilitatem. Quid autem Polybius? Τίς γὰρ, ait, ὑπὲρ Ἀθηναίων οὐχ ἱσόρηκε διότι καθ' ὃς καιρὺς μέλλα Θηβαίων εἰς τὸν πρὸς τὺς Λακεδαιμονίους ἀνέβαινον πόλεμον, καὶ μυρίους μὲν ἐξέπεμπον στρατιώτας, ἑκατὸν δὲ ἐπλήρουν τριήρεις, ὅτι τότε κεκινδύνευς ἀπὸ τῆς ἀξίας ποιεῖσθαι τὰς εἰς τὸν πόλεμον εἰσφορὰς, ἐτιμήσαντο τήν τε χώραν, καὶ τὴν Ἀττικὴν ἅ-

[n] *Polyb.* lib. ii. *Hiſt.*

πασαν,

πασαν, καὶ τὰς οἰκίας, ὁμοίως δὲ καὶ τὴν λοιπὴν οὐσίαν. Αλλ' ὅμως τὸ σύμπαν τίμημα τῆς ἀξίας ἐνέλιπε τῶν ἑξακισχιλίων διακοσίοις καὶ πενήκοντα ταλάντοις. *Quis enim memoriæ hominum non prodidit, Athenienſes eo tempore, quo Thebanis conſociati decem militum millia contra Lacedæmonios miſerunt impleruntque centum Triremes, ad ſtatuendam ex juſta facultatum æſtimatione menſuram collationis in bellum, agros ſuos æſtimaſſe, omnemque Atticam, Domos, & quicquid reliquum; reperiſſe verò Cenſum conſtare ſex mille Talentis, ducentis quinquaginta minùs.* Quod optimè congruit cum hoc Demoſthenis loco.

Diximus de Atticæ æſtimatione ad imponenda tributa; de Collatoribus ad conferenda; nunc de Trierarchis, ut inde propoſita à Demoſthene conſtruendæ Claſſis ratio luculentiùs computari poſſit. Hi igitur quanti, & quo fungerentur munere, conſiderandum eſt. Res quidem jucundiſſima ad cognoſcendum, ad expendendum difficilis, quippe quæ in multis vetuſtatis tenebris verſatur. Trierarchos & propriâ, & latiori ſignificatione hoc nomine appellatos exiſtimo. Alii enim fabricandis inſtruendiſque navibus præerant; alii ad eas moderandas eligebantur. Quod niſi concedatur, neſcio an ullatenus, diverſa Demoſthenis loca componi poſſint. Inquit enim in Oratione de Corona: ἦν γὰρ αὐτοῖς ἐκ μὲν τῶν προλέγων νόμων συνεκκαίδεκα λειτουργεῖν, αὐτοῖς μὲν μικρὸν καὶ οὐδὲν ἀναλίσκουσι· τὰς δὲ ἀπόρους τῶν πολιτῶν, ἐπιλέγουσι. Ἐκ δὲ τοῦ ἐμοῦ νόμου γιγνόμενον καὶ τὴν οὐσίαν ἕκαστον τιθέναι. Καὶ δυοῖν ἐφάνη Τριήραρχος, ὁ τῆς μιᾶς ἕκαστος καὶ δέκατος ὢν πρότερον συντελής. Οὐδὲ γὰρ Τριηράρχους ἐνόμαζον ἑαυτοὺς, ἀλλὰ συντελεῖς. Ut inelegantiam deprecer, moneo, hunc locum, ut reliqua ex tempore me latinis verbis reddere. *Ipſis licebat per antiquam legem ſenis ac denis ſimul publicum curare munus, nullo proprio, vel tenui detrimento, maximo autem pauperiorum Civium. At meâ lege duarum Triremium aliquis eſt Trierarchus, qui prius in unam pro ſextadecima parte contribuebat. Non enim ſe Trierarchos appellabant, ſed Collatores.* Quaſi primo nuncupari nomine ſe puderet. Et cum

hoc loco mille ducentos eos numerat, quorum duodenos ſingulis centum Triremibus, ducentis ſenos, trecentis quaternos aſſignat, certiores nos reddit, tot Trierarchos, quater numerum navium ſuperantes, non iis gubernandis, ſed conſtruendis eſſe, ut etiam affirmat Ulpianus in Midiana: χίλιοι γὰρ καὶ διακόσιοι ἦσαν οἱ ταῖς Τριηραρχίαις ἀφωρισμένοι, *mille enim & ducenti erant ad Trierarchias ſecreti*; quibus ſanè locis iidem Trierarchi à Collectoribus non diſtinguuntur. Contra verò diverſos fuiſſe oſtendit in Orat. contra Midiam: κἀγὼ μὲν κατ' ἐκείνας τὰς χρόνας ἐτριηράρχουν, εὐθὺς ἐκ παιδῶν ἐξελθών, ὅτε σύνδυο ἦμεν οἱ Τριήραρχοι, καὶ τὰ ἀναλώματα πάντα ἐκ τῶν ἰδίων οἴκων, καὶ τὰς ναῦς ἐπληροῦμεν αὐτοί. Quem locum Sigonius [q] vir clariſſimus expoſuit, *annos triginta duos natus Trierarchus fui, cum ſimul duo Trierarchi eramus, & ſumptus omnes ex propriis familiis faciebamus, & naves ipſi remigibus ornabamus.* Cum transferre debuiſſet: *Ego equidem per illa tempora Trierarchiam agebam, ſtatim ex ephebis egreſſus, cum duo ſimul Trierarchi* (ad unam navem) *eramus, & ſumptus omnes è re domeſtica faciebamus, ipſique navigia nautis inſtruebamus.* Nam ſi Demoſthenes jam uſque ab ineunte ætate inter Collatores adſcriptus fuerat, ut nuper ex Oratione contra Aphobum adnotavimus, & ſolùm, cum exceſſit è pueris inter Trierarchos, certum videtur utrumque munus invicem ſeparari. Quod etiam clariùs deducitur ex Orat. adverſus Polyclem, in qua annuam eſſe navium Præfecturam ſæpiùs affirmat. Collatores autem, quoad hujuſmodi cenſus manebat, à ſuo munere non diſcedebant. Quæ cum ſint hujuſmodi; certum mihi, atque exploratum eſſe videtur, ex ipſo mille ducentorum Collegio quotannis Trierarchos fuiſſe deſumptos, qui navium præfecturam gererent, ſi navigare opus eſſet. Id ſanè audio ex ipſa lege, quæ jubet [s] Τὰς Τριηράρχους καλεῖσθαι ἐπὶ τὴν τριήρη συνεκκαίδεκα ἐκ τῶν ἐν τοῖς λόχοις συντελεσῶν, (emendandum puto συντελῶν) ἀπὸ εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν εἰς τεσσαράκοντα, ἐπ' ἴσον

[q] *Sig.* lib. iv. cap. 4. *de Rep. Ath.* [s] *Demoſth. pro Cor.*

τῇ

τῇ χορηγίᾳ χρωμένους. *Trierarchos in unam Triremem vocari ſexdecim ex iis, qui in Cohortibus* (Claſſibus videlicet) *contribuunt, à quinto & vigeſimo ad quadrageſimum annum, eoſque pecuniam ex æqua parte ſuppeditare.* Ii verò, quadringenti fuerunt, ut à Xenophonte[s] docemur: ἡ Τριήραρχοι καθίσανται τετρακόσιοι ἑκάστου ἐνιαυτοῦ, *& Trierarchi conſtituuntur quadringenti quolibet anno.* Quod ſi Ulpianus in Midiana affirmat; ἦν δὲ τὸ τῆς Τριηραρχίας λειτούργημα οὐκ ἐνιαύσιον, ἀλλὰ διὰ βίου, *erat Trierarchiæ munus non annuum, at dum vita maneret*; id non lege, ſed conſuetudine fieri accipiendum eſt, cum ditiſſimi quotannis ſublegerentur, quod eodem loco videtur haud clam indicare; addit enim: ἡ διὰ τοῦτο οἱ πλουσιώτατοι ἀεὶ ἐτριηράρχουν: *Quamobrem ditiſſimi navibus ſemper præficiebantur.* Lege verò annuum fuiſſe munus iſtud apertiſſimè, ut diximus, affirmat Demoſthenes in laudata Oratione contra Polyclem. Hoc pacto removetur omne præſtantiſſimi Oratoris ἀνάλωμα, nullaque difficultate, quicquid ad Trierarchos pertinet, enucleatur. Ex hac ipſa lege & conſuetudine occaſionem, videre mihi videor, illum ſuſcepiſſe novæ rogandæ legis, qua ſe legit trecentos, qui cæteris magis conſtitutam haberent rem familiarem, iiſque pro ſuarum opum ratione ſimul navium conſtructionem, atque imperium dediſſe, ut in Oratione de Corona gloriatur. Igitur mirari ſatis non poſſum, Ulpianum enarrare in hac ipſa Midiana non dubitaſſe: πολλαὶ περὶ τὰς Τριηραρχίας ἐγίγνοντο μεταβολαὶ, διὰ τὸ μέγεθος τῆς ἀναλώσεως. Καὶ ὅτε μὲν σύνδυο ἦσαν, ὅτε δὲ σύνδεκα, ἡ ὅτε δὲ δέκα Τριήραρχοι, ὅτε δὲ χίλιοι. Ὁ γὰρ Δημοσθένης ὕστερον δυοῖν τριήρεων ἕνα Τριήραρχον ἐποίησε. *Multa circa navium præfecturas varietas fuit propter ſumptuum magnitudinem*; quod verum eſt. *Aliquando enim duo erant, tres aliquando, aut decem Trierarchi, quandoque mille. Demoſthenes igitur denuo* (ſcilicet nova lege) *duarum Triremium unum conſtituit Præfectum.* Quin etiam miror, in hanc iviſſe ſententiam, totidem ferè verbis ex ipſo Ulpiano

[s] *Xenoph. de Rep. Athen.*

exſcriptam, Sigonium [y] virum eximium. Non enim in univerſa Republica duo aliquando, aut tres, aut decem fuerunt Navium Præfecti; ſed totidem ſingulis navibus comparandis adhibebantur. Nec Demoſthenes recenti ſanctione duas unicuique naves ædificandas attribuit, ſed infinito quodam ſermone dicit in illa pro Corona Oratione, quoſdam inventos, qui cum prius ſextamdecimam pecuniæ partem in unam Triremem darent, nunc duas integras naves præſtare debeant. Cæterum, ut iſtud etiam exponam, quod initio mihi propoſueram, id erat è Trierarchorum munere, ut re ſua conficerent ſcaphas, victum nautis præberent, aliquid etiam armamentorum; nam cuncta dediſſe, ut habet Plutarchus [x], falſi redarguit Demoſthenes in Orat. περὶ ἐπιδειπνεφαχήματος, ubi Apollodorus nihil illorum à Republica deſumpſiſſe, ponit in parte ſuorum in ipſam meritorum: ἔτι δὲ σκεύεσιν ἰδίοις τὴν ναῦν ἅπασαν καθεσκεύασα, καὶ τῶν δημοσίων ἔλαβον οὐδέν. *Præterea propriis armamentis navem omnem ornavi, nec quicquam è publicis ſumpſi.* Civitas remiges dabat, ſtipendium, cæteraque armamenta; quamquam non rarò Cives ſuæ in Patriam benevolentiæ obſequuti, rem omnem privatis opibus perficiebant, omnique ſumptu Rempublicam ſublevabant, ut in laudata Oratione luculenter deſcribitur, & paſſim alibi. Hinc eorum liberalitas præmiis, honoribus honeſtabatur. Aliquando tamen in ſumma Ærarii difficultate Cives rem omnem nauticam abſolvere jubebantur. Nemini, qui hoc eſſet cenſu ab hujuſmodi collatione, ac Trierarchatu immunitas concedebatur, ne Poſteris quidem Harmodii, & Ariſtogitonis, quorum merita ob interfectum Tyranum in omni ipſorum familia ſummis beneficiis Athenienſes ſunt proſequuti, cujus rei meminit Orator noſter in Orat. adversùs Leptinem. Mos tamen invaluerat, ut qui vellet, poſſet vicem ſuam alteri committere. Igitur qui divitiis affluebant, otio, ut nunc quoque uſu venit, indulgentes, talento rem tranſigebant, nec deerant,

[y] Lib. iv. c. 4. *de Rep. Athen.* [x] *Plut.* lib. *de Ath. ſapien.*

qui

qui eo accepto præfecturam, illorum vice, in annum gererent, ut reprehendit Demoſthenes in Midiana: Τηνικαῦτα δὲ τῷ πράγματι ἦπλει, ὅτε πρῶτον μὲν διακοσίους, καὶ χιλίους ἐποιήσατε συνεισφέρειν ὑμᾶς, παρ' ὧν εἰσπραττόμενοι τάλαντον, τάλαντα μισθοῦσι τοὺς Τριηραρχίας ἕτοι. *Tunc verò rem* (Midias) *tenuit, cum vos primùm mille ducentos collatores feciſtis, à quibus talentum iſti exigentes talento operam ſuam in Trierarchatu locant.* Satis hæc de Trierarchis. Nunc paucis Demoſthenis verba, quibus aperiendis tot alia præmittere opus fuit, exponam.

Pag. 9. lin. 21. Τριήραρχοι δ' ὦσι &c. Cum Trierarchi in Republica forent mille, ac ducenti, ipſorum duodecim oſtendit ſingulis fabricandis navigiis præfuturos, ſi ea centum eſſe imperaverit; ſex, ſi ducenta; ſi trecenta, quatuor. Deinde pecuniam ad ſingulas naves neceſſariam ita colligendam eſſe, ut ſi centum triremes conſtruendæ ſint, ea provincialis cenſus pars, quæ ſexagenis conſtet talentis, unicuique ipſarum præbeat ſumptus: Si duplex Claſſis, ea rurſus pars cenſus, quæ triginta ſolùm talentis exiſtimetur: Si triplex; quæ viginti. At cur tam ſubtiliter computat Orator, & quis non pingui prorſus Minervâ iſtiuſmodi rationem facilè non ſubduceret? Populo concionabatur, quem deliberantem vel minima retardant impedimenta, proinde quicquid cogitandi moram afferat, amovendum eſt.

Pag. 10. lin. 14. Τόπους δέκα τῶν νεωρίων &c. Fuit olim Athenienſibus Navale ampliſſimum quadringentis fabricandis Triremibus, ut ſupra è Strabone [a] retulimus, immani mille talentûm pecunia in Piræo extructum, ac tribus dirutum, ut eleganti, nervosâque eloquentiâ ſcribit Iſocrates [b]: τοὺς δὲ τριάκοντα, τῶν μὲν ἀμελήσαντας, τοὺς δὲ συλήσαντας, τοὺς δὲ Νεωσοίκους ἐπὶ καθαιρέσει τριῶν ταλάντων ἀποδιδομένους, εἰς οὓς ἡ πόλις ἀνήλωσεν οὐκ ἐλάττω χιλίων ταλάντων. *Triginta verò Tyrannos cum hæc negligentes, tum Navalia, quibus fabricandis Civitas non minus mille talentis abſumpſe-*

[a] *Strabo*, lib. ix. [b] *Iſocr. in Areopag.*

rat, tribus dirumpendas dedisse, ſagaci quidem conſilio, ut nervos incideret Reipublicæ, cui per vim imperabant. Principiò in Phalero habuerant [c], qui portus propiùs Athenis aberat, quàm Piræus, & inde ſolverat Theſeus in Cretam navigaturus, Mneſtheus ad Trojam. Verùm Themiſtocles Piræi ſinum ampliſſimum, triplicemque portum conſpicatus, huc Navale tranſtulit, ſidamque conſtituit navibus ſtationem. Nulla tunc erant Navalia, aut ruinis fœda; quare Demoſthenes loca iiſdem navibus conficiendis idonea, & quàm commodiſſima poſſint, eligi jubet.

[B] Cecrops Athenarum conditor Atticam gentem, vagam inconditamque, in duodecim oppida collegit, eamque in Tribus quatuor diſtribuit, quarum ſingulæ in tres Curias, iſtarum unaquælibet in Gentes triginta diſſectæ ſunt. Deinde Gens univerſa ex oppidis, autore Theſeo, Athenas profecta urbem ampliſſimam conſtituit, iiſdem, ac prius, ordinibus diſtincta. Cliſthenes denique recuperatâ à Piſiſtratidis Republicâ, ejectoque Iſagora rerum novarum cupido, populum in decem Tribus diviſit; Tribubus Curias; Curiis Gentes aliquot aſſignavit, ſed quo numero, definiri non poſſe putat Sigonius [d]; mihi verò non obſcurè videtur Æſchines indicare [e], in unaquaque Tribu totidem Curias, quot ſuperiori tempore, tres nimirum, fuiſſe. Ait enim: Ἐπειδὰν δὲ αἱρῇ τις τὰς ὑπὸ τῦ δήμυ κεχειροτονημένυς, ἢ τὰς κληρωτὰς ἀρχὰς, καλαλείπεται, ἃς δὴ φυλαὶ, ἢ αἱ τριττύες, ἢ οἱ δῆμοι ἐξ ἑαυτῶν αἱροῦνται τὰ δημόσια χρήματα διαχειρίζειν, τύτυς αἱρετὰς ἀρχὰς εἶναι. *Quod ſi aliquis demat Magiſtratus, populi ſuffragiis aut ſorte creatos, remanet, ut, quos Tribus, & ipſarum Trientes, & Municipia è ſeipſis eligunt ad adminiſtrandam pecuniam publicam, ii ſint Magiſtratus electi.* Quid enim aliud ſibi volunt illi Trientes (τριττύες) Tribuum, quàm tres Curiæ? Tribuum nomina non ſemel immutata; recentiora fuerunt [f] Cecropia, Erechthea, Pandionia, Ægeia, Œneia,

[c] *Pauſ. in Atticis.* [d] Lib. ii. cap. *de Republ. Ath.* [e] *Æſch. contra Cteſiph.* [f] *Pauſ. in Atticis. Pollux, Onomaſt.*

Acamante

Acamantia, Leontia, Hippothoontia, Antiochis, Ajacia; eaque à ſuis Regibus, Heroibus, optiméque de ſe meritis viris acceperunt. Quælibet Tribus Phylarchum ſuum, Curiæ Phratriarchum, quos Latinè Præfectos dicas, habuerunt; qui eas ad ſua gerenda negotia convocabant, præſidebantque. Suum pariter unaquæque Ærarium [g] obtinebat Eponymo dicatum; ſic enim apellabantur illi, quorum nomine Tribûs honeſtabantur. Hæc utpote notiſſima vix attingo, eleganterque ſcripta videri poſſunt apud Sigonium [h]. Qui Tribules eſſent, quo pacto nomina ſua profiterentur, aut novi homines adſcriberentur, tum dicemus, cum de Civibus agendum erit. Nunc illud peculiari quadam adnotatione dignum videtur, longè diversâ causâ, Tribuum diviſionem Athenis conſtitutam eſſe, quàm Romæ, cum tamen utraque Civitas populari imperio, eodemque inſtituto regeretur. Nam Athenis non ad ferenda ſuffragia pertinebat, ſed ad partienda æqualiter onera, & Magiſtratus. Si res aliqua decernenda eſſet, ſententiæ non tributim, ſed ſingillatim colligebantur. Si eligendus Senatus, Magiſtratus, partienda tributorum onera, Tribuum tantummodo ratio habebatur. Hinc ex ipſarum ſingulis Senatores, Prytanes. Proëdri, Navium Præfecti, omneſque prope dicam Curatores publici æquato numero adlegebantur. Hinc pecunia, labores, opera exacta eodem ordine. De vectigalibus hoc pacto diſtributis facta eſt mentio, cum de Collatoribus egimus. De cæteris rebus illuſtre profert exemplum Æſchines in Orat. contra Cteſiphontem, ubi quid actum ſit pro inſtaurandis Athenarum muris enarrat; ἐπὶ γὰρ Χαιρώνδε ἄρχοντος, Θαργηλιῶνος δευτέρᾳ φθίνοντος, ἐκκλησίας ἔσης ἔγραψε ψήφισμα Δημοσθένης, ἀγορᾶν ποιῆσαι τῶν φυλῶν, Σκιροφοριῶνος δευτέρᾳ ἱσαμένου· ἡ τρίτη ἐπέταξεν ἐν τῷ ψηφίσματι ἐξ ἑκάστης τῶν φυλῶν ἑλέσθαι τοὺς ἐπιμελησομένους τῶν ἔργων ἐπὶ τὰ τείχη, ἡ ταμίας. *Etenim Chæronde Prætore a. d.* X. *Kal. Majas, cum concio haberetur, decretum ſcripſit Demoſthenes, Tribuum conventum fieri a. d.* V. *Non. ejuſdem menſis, in*

[g] *Demoſth. Orat. adv. Theocr.* [h] *Sig.* lib. ii. *de Republ. Ath.*

ipſoque

ipſoque decreto juſſit tertio die eligi ex unaquaque Tribu Mœnium Curatores, & Quæſtores. Ac paucis interjectis : Τοῦτο δὲ γίγνεσθαι, ὅταν, ὥσπερ νῦν, ἐπιταχθῇ τι τοῖς Φυλέταις, ἢ τάφρους ἐξεργάζεσθαι, ἢ τείχεσι ναυπηγεῖσθαι : *Id autem fit, cum aliquid, ut nunc accidit, Tribubus imperatur, ſive foſſas egerere, ſive Triremes conſtruere.* Caſtra quoque Athenienſes in ſua quique Tribu ſequebantur, ut [k] Herodotus, Plutarchus, Thucydides, aliique nos admonent. Romæ verò nulla Tribuum ratio habebatur, quoad Rempublicam, niſi in ferendis ſuffragiis, ut nemo, qui ſaltem à limine Romanas Hiſtorias ſalutaverit, ignorat. Quæ duo inſtituta, ſi quis diligenter animo complectatur, palam erit, melius Athenis populi auctoritati conſultum fuiſſe ; Romæ, utilitati.

[c] Optimè inſtituta rei conficiendæ ratio ; quippe neminem latere poterat, quid ſibi gerendum eſſet ; nec ſi quid ſtrenuè, aut malè geſſiſſet, clam eſſe Reipublicæ ; Certa proinde laus, & præmia induſtriæ, diligentiæque ; negligentiæ pudor, ac pœnæ, in quo maximè Civium felicitatis communiſque ſalutis cardo vertitur.

[d] Meritò vocantur Athenæ Græcarum Civitatum opulentiſſimæ, ſiquidem aliæ aut minus opportunæ parandis opibus fuerunt, aut minus cupidæ. Lege Spartani [l] artem aut mercaturam facere prohibebantur, ſed iſta Ilotarum munera fuerunt ; Ilotæ verò mancipiorum genus minus ignobile. Thebani, ut duas tantum principes urbes appellem, ſicuti etiam Lacedæmonii à mari longiùs diſtabant, proindeque nec tanto navigandi ſtudio tenebantur, nec mercium commutandarum ; hinc nulla ipſis obveniebat pecunia, niſi ſtipendio, ac prædâ. Athenienſes autem non ex hiſce ſolùm fontibus derivarunt ſibi divitias, ſed navigando præcipuè compararunt. Lubet aliquam iſtarum opum rationem, conjiciendo quidem, inſtituere. Eæ primùm è Cenſu mihi videntur conjectari poſſe, ac tenues exiſtimari, cum in ampliſſimo

[k] *Herodot. in Erato. Thuc.* lib. vi. [l] *Plutar. in Pelop.*

Civium

Civium ordine, ut narravimus, ii cenſerentur, qui ex humidis aridiſque 500 modios implebant; & modium vini puto Cadi menſuram non exceſſiſſe; frumenti, ſemiſextarium Etruſcum, ut ex Budæo [m] viro doctiſſimo rationem duco. Deinde cum Demoſthenes [n] dicat, ſatis amplam, ac benè conſtitutam accepiſſe à Patre rem familiarem, quæ talentis quindecim concludebatur, argumento eſt novem Coronatorum millia, quanti eadem talenta ſunt, inter honeſtas facultates tum temporis computatas. Id nequaquam congruit cum hac tanta divitiarum magnificentia, quam Orator noſter extollit; hujus autem teſtimonium, cum repudiari nequeat, quæ noſtra erit ſententia? Opinor equidem mediocres Copias intra memoratæ pecuniæ modum conſtitiſſe, quæ pecunia non poterat per id temporis parvi fieri, cum non minorem 900 Coronatis fructum redderet, poſſet etiam mille ferè quingentorum dare. Fœnori quippe denis Centeſimis, quindenis aliquando accipiebatur, ut Demoſthenes in laudata Oratione, ne aliò concedamus, affirmat. *ἀργυρίου δ' εἰς τάλαντον ἐπὶ δραχμῇ δεδανεισμένου, ὃ ὁ τόκος ἐγίγνετο τῷ ἐνιαυτῷ ἑκάστου πλεῖον ἢ ἑπτὰ μναῖ. Talentum argenti drachmæ fœnore mutuò datum, cujus uſura quotannis erat pluſquam ſeptem minas.* Ex undenis igitur Centeſimis fructum dabat. Rurſus: *ὁ μὲν νόμος κελεύει τὴν προῖκα ὀφείλειν ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς, ἐγὼ δ' ἐπὶ δραχμῇ μόνον τίθημι. Lex jubet dotem cum uſura novem obolorum; ego drachmæ ſolùm ponam.* Sex oboli drachmam conficiebant; novem igitur ſeſquidrachmam; quapropter uſura quindenis Centeſimis conſtabat. Quod ſi fructus illos quingentorum modiorum expendamus, non magnam utique rem familiarem conſtituerunt; ſed erat præterea, quod iſte fortaſſe Civium Ordo haberet in nominibus, in ſervis, atque urbanis prædiis. Cæterum iſtiuſmodi cenſum ingentibus divitiis plures tranſgreſſos, dubitari nequit. Id enim oſtendunt ampliſſima prædia, magnificentiſſimæque Villæ, quæ Periclis tempore in ea quoque

[m] *Budæus de Aſſe.* [n] *Demoſth. in Orat. i. contra Aphob.*

tem-

temporum moderatione conſpiciebantur, ut Thucydides [o] narrat: *οἱ δὲ δυνατοὶ, καλὰ κτήματα κατὰ τὴν χώραν οἰκοδομίαις τε, καὶ πολυτελέσι κατασκευαῖς ἀπολαμπρύτες. Proceres autem, quod pulcherrima per regionem prædia ædificiis, multâque ſupellectili ornata amiſerunt*; Multóque magis ſuperbæ Domus, quæ, Demoſthenis ætate [p], publicas Ædes ac divorum Templa ſuperabant; Onus denique à pleriſque ſponte ſuſceptum, aliquando impoſitum, ſumptus omnes propriâ pecunia in unam pluresque Triremes præbendi. Quod ſi Collatores è re ſua exiſtimabant, aliquem inveniri, qui, uno talento accepto, iſtud onus vice ſuâ per annum ferret, quamvis aliquid Reſpublica ſuppeditaret, ut Demoſthenes admonet [q]: *παρ' ὧν εἰσπραττόμενοι τάλαντον, τάλαντα μισθοῦσι τὰς τριηραρχίας ἕτοι. Εἶτα τὰ πληρώματα ἡ πόλις παρέχει, καὶ σκευὴ δίδωσιν· ὥς' αὐτῶν ἐνίοις τῇ ἀληθείᾳ τὸ μηδὲν ἀναλῶσαι, καὶ δοκεῖν λελειτουργηκέναι*, &c. *A quibus*, Collatoribus, *Talentum exigentes, operam ſuam in Trierarchiæ munere talenti mercede locant iſti. Exhibet deinde Reſpublica remiges, claſſiarioſque milites, atque armamenta præbet; adeo ut ipſorum aliqui re verâ nihil impendant, videanturque publico defuncti munere*, &c. Qui navem inſtructam parabant, plus talento patet impertitos fuiſſe. Fuerunt autem qui vel duas, ut adnotavimus, ornarunt, proindeque Reipublicæ pluſquam duo quotannis talenta contulerunt. Plures igitur Athenis divitiarum copiâ floruiſſe putandum eſt, eaſque propterea hoc loco non immeritò à Demoſthene celebrari.

[E] Græci, ut omnes ferè gentes cum moribus excultæ, tum barbaræ, divinationibus apprimè dediti, nihil publicè, aut privatim agendum ſuſcipiebant, de quo prius Deos non conſuluiſſent; idque non ſolùm pietate, ac ſuperſtitione, ſed inſitâ Mortalibus futura ſciendi cupiditate. Nec ſolùm Oracula, quæ tunc miſeri magnis ceremoniis venerabantur, ſed eos quoque Vates adibant, qui ambitione,

[o] *Thuc.* lib. ii. [p] *Demoſth. in Olynth.* 3. [q] *Demoſth. in Orat. contra Midiam.*

aut mercede publicos, privatoſque eventus prædicere audebant. Nihil frequentiùs occurrit in Græca Hiſtoria, quàm hujuſmodi vaticinationes. Hanc eruditæ Nationis ſtoliditatem in tantis veræ Religionis tenebris haud miror; ſed illud maximâ quidem admiratione perſequor, quod vera ut plurimùm fuiſſe reddita Oracula referant, atque experimento comprobata, quod procul dubio falſum exiſtimo. De Vatibus qui Athenis commorabantur mentio fit à Thucydide [r], χρησμολόγοι τε ἦδον χρησμὸς παντοίους, ὧν ἠκροῶντο ὡς ἕκαστοι ὥρμητο. *Et Vates canebant Oracula varia, quæ audiebantur, prout quiſque voluntate ſuâ ferebatur.* Memorat alibi nihil boni eos prænunciaſſe [s]; ὅσοι δὲ περὶ ἱεροῖς ἱκέτευσαν, ἢ μαντείοις, ἢ τοῖς τοιούτοις ἐχρήσαντο, πάντα ἀνωφελῆ ἦν. *Nulliuſque utilitatis erant ſupplicationes in Templis factæ, petitæque ſortes à Vatibus, aliiſque id genus, quibus utebantur.* Tantâque fiduciâ ſuſcipiebantur Oracula, ut Athenienſes Vatibus iraſcerentur ob infauſtam Syracuſanam expeditionem, quæ lætis ominibus non reſponderat [t]: ἐπειδὴ δὲ ἔγνωσαν (τὴν ἦτταν) χαλεποὶ μὲν ἦσαν τοῖς ξυμπροθυμηθεῖσι τῶν ῥητόρων, τὸν ἔκπλουν, ὥσπερ ὑφ' αὑτοὶ ψηφισάμενοι· ὠργίζοντο δὲ καὶ τοῖς χρησμολόγοις τε, καὶ μάντεσι, καὶ ὁπόσοι τι τότε αὐτὸς θειάσαντες ἐπήλπισαν ὡς λήψονται Σικελίαν. *Poſtquam verò* cladis *certiores facti ſunt, acerbum in Oratores gerebant animum, qui bellum ſuſcipiendum contenderant; quaſi non ipſi* (Athenienſes) *navigationem decreviſſent. Iraſcebantur quoque Vatibus, Ariolis, et quicumque Sacrificiis inſpectis ſpem dederant Siciliam in poteſtatem redactum iri.* De iſtiuſmodi Vatibus loquitur hoc loco Demoſthenes.

[F] Profectò nihil æquè homines ſuadet, ac rei neceſſitas; πειθανάγκην Græci vocant, nos illam uno verbo explicare non poſſumus.

[G] Hinc manifeſtum eſt extraordinaria Athenis tributa ex æſtimatæ regionis Breviario fuiſſe perſoluta ab illo mille ducentorum Collegio, Summa totius Breviarii ſex millia Talentûm, ut dictum eſt,

[r] *Thucyd.* lib. ii. [s] Ibid. [t] *Thucyd.* lib. viii.

contine-

continebat, è qua ſi Centeſima colligeretur, ſexagenis Talentis Ærarium augebatur; ſi quinquageſima, centum viginti; ſi duodecima, quingentis. At cur hujus tantùm extraordinariæ pecuniæ meminit? Nihilne reliquum erat tot Vectigalium, tot à Sociis tributorum, tantæ in Arce ac Templis jam olim coactæ pecuniæ? Enimverò Vectigalia in alios uſus diſtrahebantur; Sociorum tributa quàm plurimùm exaruerant; illaque argenti vis deperierat. Sed iſta luculenter digeram opportuniore loco. Dicam nunc aliqua de Talentis, admonet enim frequens eorum commemoratio. Talentum multiplex fuiſſe Feſtus eſt auctor. Nos de Attico ſolùm loquimur; ejus duplex genus, magni & parvi. Primum octoginta tres Minas, ſeu libras, ac trientem argenti continebat; alterum ſexaginta. De hoc utriuſque pretio Priſcianus [a] nos docet, aliique. De parvo Suidas: τάλαντον μνῶν ἐστιν ἑξήκοντα. Ἡ δὲ μνᾶ δραχμῶν ἑκατόν. *Talentum eſt ſexaginta minarum; mina drachmarum centum.* Et verſus illi apud eumdem Priſcianum.

Cecropium ſupereſt poſt hæc docuiſſe Talentum:
Sexaginta minas, ſeu vis, ſex millia drachmas;
Quod ſummum doctis prohibetur pondus Athenis.

Feſtus quoque ſex mille denariis conſtitiſſe refert. Hinc ſubductis calculis compertum eſt, magnum talentum Atticum 800 Coronatos noſtros concluſiſſe; ſexcentos parvum, ut ex Budæo [x] viro quidem clariſſimo accepimus. Euboicum talentum, cujus non rarò fit à Scriptoribus mentio, tribus fere Minis ac triente minus erat parvo Attico, quamobrem fere quingentis ſexaginta Coronatis conſtabat.

[H] Ne cuipiam in mentem veniat reputare, oratoriè hoc loco Demoſthenem loquutum, conſideret ſecum ipſe auri argentique vim incredibilem ab Alexandro Magno coactam è Darii theſauris, qui ultimus Perſarum Aſiæ Regnum obtinuit, & huic noſtro Artaxerxi ſucceſſit. Eam Q. Curtius narrat, ſine Babylonica pecunia, ad centies quinquagies ſepties ta-

[a] *Priſc.* lib. *de Ponder.* [x] *Budæus de Aſſe*, lib. ii.

lentûm millia perveniſſe. Strabo autem [y] omnia complexus, ad centies octuagies millia, quæ ſunt Coronatorum noſtrorum centies atque octies millena millia, ſeu, ut vulgus loquitur, centum octo milliones. At, inquies, unde tanta pecuniæ vis? E provinciarum tributis. Hæc à Dario, qui tertius Perſarum in Aſia regnavit, per unamquamque ipſarum conſtituta, diligenter ab Herodoto [z] recenſentur, ſummamque colligit quatuordecim millia quingenta ſexaginta Talenta Euboica, nimirum Coronatorum noſtrorum octies millena millia, centum quinquaginta tria pariter millia ſexcenta; idque non habitâ ratione immenſæ Thuris, atque aromatum copiæ, nec Inſularum tributis computatis. Quamobrem non immeritò Ariſtagoras Mileſius, apud Herodotum [a], Lacedæmonios ad bellum contra Perſas incendens, ait, ſi Suſam Imperii ſedem capiant, ſe cum Jove de opum affluentia decertaturos. Ab eo tempore aucta præter modum vectigalia, multis auctoritatibus comprobatur. Nos unum Ciceronem adducimus narrantem Ægyptum, quæ una Medici Imperii Satrapiarum erat, ſuâ ætate Ptolemæo Auletæ quotannis pendere duodecim millia quingenta talentûm, videlicet ſeptuagies quinquies centena Coronatorum millia. 7,500,000. At quæ Venæ tantas opes præbebant? Aſiaticæ profecto, quæ fuerunt locupletiſſimæ, & jamdiu ferè omnes exaruerunt, ut tot reliquæ in Hiſpania, Græcia, Pannonia, aliiſque in locis. Adnotandum denique in more apud Perſarum Reges fuiſſe magnas divitias quotannis reponere ad Imperii robur & Majeſtatem, ut Herodotus ait [b], eaſque ſecum in bellum ferre, quò digitum intendit Orator, cum hos mille ducentos Camelos in Athenienſium oculis ponit.

[1] Duodecimum tributum vocat intolerabile ob illorum temporum felicitatem: Et ſanè in ſummis Ærarii anguſtiis, longiſſimoque bello afflicti, vix

[y] *Curt. de reb. Alex. Strabo*, l. xv. [z] *Herod. in Thalia.* [a] *Herodot. in Thalia.* [b] *Herodot. in Thalia.*

Athe-

Athenienſes vigeſimam ſociis maritimis impoſuerunt anno 19 belli Peloponneſiaci; ſic enim rem narrat Thucydides[c]: *διὸ ἡ τότε ὑπό τε τῆς Δεκελείας πολλὰ βλαπτόμενοι, καὶ τῶν ἄλλων ἀναλωμάτων μεγάλων προσαιρούντων, ἀδύναλοι ἐγένοντο τοῖς χρήμασι. Καὶ τὴν εἰκοστὴν ὑπὸ τούτου τοῦ χρόνου τῶν καλὰ θάλασσαν ἀντὶ τοῦ φόρου τοῖς ὑπηκόοις ἐποίησαν, πλείω νομίζοντες ἂν σφίσι χρήματα ὕτω προσιέναι. Quamobrem* (Athenienſes) *Decelia multùm illos labefactante, magniſque aliis ſumptibus ingruentibus, exhauſti erant pecuniâ. Igitur maritimis populis, qui Reipublicæ parebant, Vigeſimam Tributi loco imperarunt, rati plus inde ſibi argenti obventurum.* Ex Duodecima contrahi potuiſſent quingenties Talentûm, id eſt, trecenta Coronatorum millia, quæ ſumma & impar magno bello fuiſſet, & aliàs longè majorem ſponte abſumpſerant in conſtruendis ære proprio, ornandiſque Triremibus. Miror igitur cur ab ea tam vehementer Cives deterreat; ſed oratoriè loquitur.

[K] De hoc Navium numero cui fides habenda ſit, Herodoto, an Demoſtheni non facilè judico. Orator dicit totam Græcorum contra Xerxem Claſſem trecentarum Triremium fuiſſe, quarum centum ab Athenienſibus inſtructas, ſubductaſque. Herodotus autem[d] memorabilem illam expeditionem, geminamque ad Salamina & Artemiſium pugnam, & quot unaquæque gens Naves dederit, diligentiſſimè verbis complexus narrat, in Statione ad Artemiſium cum cætera Claſſe fuiſſe centum viginti ſeptem Athenienſium navigia, ſuperveniſſe pariter alia tria ſupra quinquagena; & quamvis ipſorum aliqua Platæenſes dicat conſcendiſſe, attamen à Demoſthenis numero longè diſtat. Longiùs autem diſcedit, cum eaſdem centum octoginta naves in Salaminio prælio à ſolis Athenienſibus ornatas affirmat; ſiquidem Platæenſes cum Græcorum quibuſdam, metu perterriti, pridem deſcenderant. Auget etiam Hiſtoricus univerſam Claſſem; quam enim trecentarum fuiſſe navium Orator ſcribit, ille præter biremes aliis octo & quin-

[c] *A. 2. O. 92. Thucyd. lib. vii.* [d] *Herod. in Urania.*

quaginta

quaginta cumulat. Quin & cum alterâ Xerxis eâdem utitur liberalitate, quippe ducentas & octo bellicas naves millenis addit, quibus eam conſtitiſſe Demoſthenes arbitratur. Nulla hujus diſſidii componendi ſpes, nec tanti profectò eſt, in hujuſmodi re commorari.

[L] Cum mox tributa extenuaverit, quæ colligi poſſent ex Attica, quamvis duodecima imponeretur, nunc magni facit, in iiſque triumphat. Quid igitur? Venia Oratori danda eſt, cujus intereſt, rem ex utilitate ſua dicendo extollere, aut deprimere. Hoc Demoſthenis loco, ubi regionis Atticæ opulentia tam magnificè laudatur, fortaſſe deceptus Joannes Meurſius in libro, ni fallor, de Athenienſium fortuna, eam dicit ſex millia talentûm ſuppeditaſſe, cum hæc non vectigalis ſumma, ſed Provinciæ æſtimatio fuerit.

[M] Celeberrimi facti Hiſtoria ex Herodoto [d] cognoſcenda eſt. Nos hujus belli cauſam jamdudum retulimus; Nunc pugnam, ac victoriam quàm breviſſimè renuntiabimus. Poſt direptam Eretriam in Eubœa, tenuerunt Atticam Medi, atque Hippiæ, olim Athenarum Tyranni, modò exulis, conſilio exercitum in Marathoniis campis, quippe apertis, & ad equitandum idoneis, explicarunt. Athenienſes viribus longè impares, ac Platæenſium dumtaxat auxilio recreati, caſtra adverſus hoſtes magnis animis poſuerunt. Ciendumne prælium, an in vallo expectandum, diſſidebant æquato numero Imperatorum ſententiæ, qui decem fuerunt. Miltiades ratus, niſi commiſsâ pugnâ nullam fore ſalutem Reipublicæ, Polemarcho (cujus autoritas utri ſententiæ acceſſiſſet, rem decernebat, & quo tunc Magiſtratu Callimachus fungebatur) ſuadet, ut acies ad bellandum educatur. Inſtruitur exercitus, invadit Medos, victor in utroque cornu aciem mediam, quæ nonnihil ceſſerat, reſtituit; fugat hoſtes, ad Naves inſequitur, gloriosâ partâ ſibi victoriâ. Ex Athenienſibus centum nonaginta duo deſiderati, è Perſis ſex mille trecenti.

[d] *Herodotus in Erato.*

Sed illud maximè triumphum condecoravit, quòd una Civitas, omnium ferè ope deſtituta, ingentes Perſarum Copias ſuperaverit, cum quibus numquam ad ea tempora Græci congredi juſto bello auſi fuiſſent; quodque vaſtatam pridem ſummo contemptu ab iiſdem hoſtibus regionem ſuam egregiè ulta eſt. Læti victoria Cives memoriam [f] Popularium ſuorum, qui mortem obierant, extraordinariis honoribus ſunt perſequuti, eorumque nomina columnis inciſa, quæ buſtum in ipſis Marathonicis campis erectum ornabant; prælium quoque in Pœcile, [g] porticu ampliſſima à Panæno Phidiæ fratre depictum, atque in arce Poſteris tradiderunt, qui gratâ beneficii recordatione Dianæ quotannis quingentas Capras immolabant, quamvis hujuſce ſacrificii votum jamdiu perſolviſſent. Promiſerant enim, ſi res bene cecidiſſet, ei totidem ipſarum capita, quot hoſtium occiſorum ſacrificare; verùm cum illicò pari numero non ſuppeterent, quingentas annuatim cædere, quoad fieret ſumma, decreverunt. Hanc tamen longe tranſgreſſi ſunt, ſiquidem ab ann. 3. O. 73. quo fuit Marathonicum prælium, hoc more litabatur adhuc ann. 4. O. 94. quo Cyrus junior occubuit, ſi Xenophonti fides habeatur, ſcribit enim [h] ita ſe Græcis loquutum, qui in Cyri fuerant expeditione: ἐλθόντων μὲν γὰρ Περσῶν, καὶ τῶν σὺν αὐτοῖς πάμπληθεῖ στόλῳ, ὡς ἀφανιόντων τὰς Ἀθήνας, ὑποσῆναι αὐτοῖς Ἀθηναίους τολμήσαντες, ἐνίκησαν αὐτούς· καὶ εὐξάμενοι τῇ Ἀρτέμιδι ὁπόσους ἂν καλλικάνοιεν τῶν πολεμίων, τοσούτας χιμαίρας καλαθύσειν τῇ Θεῷ, ἐπεὶ οὐκ εἶχον ἱκανὰς εὑρεῖν, ἔδοξεν αὐτοῖς καθ' ἑνιαυτὸν πεντακοσίας θύειν. Καὶ ἔτι καὶ νῦν ἀποθύουσιν. *Cum Perſæ adveniſſent cum ingenti bellico apparatu, Athenas deleturi, Athenienſes auſi in acie contra ipſos ſtare, victoriâ potiti ſunt. Cum verò Dianæ votum feciſſent, tot ei Capras immolaturos, quot hoſtium morti tradidiſſent, nec parem iſtis illarum numerum invenire potuiſſent, decreverunt quotannis quingentas ſacrificare, eaſque ad hæc uſque tempora ſacrificant.*

[f] *Pauſ. in Atticis.* [g] *Idem in Eliac. & Atticis.* [h] *Xenoph. de Cyri exped.* lib. iii.

[N] Fuit Græcis familiariſſimum mercede in Barbarorum militiam proficiſci, divitias ſibi cum militari gloria comparantes. Laborioſi hominis eſſet exempla proferre, cum ubique in Hiſtoriis occurrant. Quæ hic habet Orator de hac ipſa conſuetudine, quam ab iis putat ſervatum iri, ſi Rex Perſarum Ægypto arma inferret, nequaquam habet præter occaſionem. Jam enim Ægyptii ſub Nectanebo ipſorum Rege defecerant ab Artaxerxe, qui pacis amans modicis expeditionibus vix aliquando tentaverat perduelles ad obſequium referre, ſed lenitate vulnus potius exaſperans, nunc ſeriò de iis vi perdomandis, ac fortaſſe de Græcis in eam rem ſtipendio conducendis cogitabat. Utrumque exequutus eſt anno abhinc tertio, ſi Diodoro [1] credimus, ait enim: *Τῶν γὰρ Αἰγυπτίων ἀπὸ Περσῶν ἀποστάντων καὶ τὰς ἀνωτέρω χρόνους, Ἀρταξέρξης ὁ ἐπικληθεὶς Ὦχος, αὐτὸς μὲν ἀκ ὢν φιλοπόλεμος, ἐφ' ἡσυχίας ἔμενεν. Ἀποστέλλων δὲ δυνάμεις, καὶ στρατηγοὺς, πολλάκις ἀπεύγχανε διὰ τὴν κακίαν, καὶ ἀπειρίαν τῶν ἡγεμόνων. Διὸ καὶ καταφρονηθεὶς ὑπὸ τῶν Αἰγυπτίων ἠναγκάζετο καρτερεῖν, διά τε τὴν ἀργίαν, καὶ τὸ τῆς ψυχῆς εἰρηνικόν. Καλὰ δὲ τὰς ὑποκειμένας καιρὸς τῶν Φοινίκων, καὶ τῶν ἐν Κύπρῳ Βασιλέων μιμησαμένων τὰς Αἰγυπτίας*, &c. *παροξυνθεὶς ἔκρινε πολεμεῖν τὰς ἀφεστηκότας.* [Καὶ ἐνεργὸς] *Ὁ δὲ Βασιλεὺς ἐν μεγάλῳ τιθέμενος τὸ κρατῆσαι τῆς Αἰγύπτου, διὰ τὸ πρότερον ἐλάττωμα, πρεσβεύτας ἀπέστειλε πρὸς τὰς μεγίστας τῶν καθ' τὴν Ἑλλάδα πόλεων, ἀξιῶν συστρατεῦσαι τοῖς Πέρσαις ἐπ' Αἰγυπτίους. Cum ſuperioribus annis Ægyptii à Perſis rebellaſſent, Artaxerxes cognomento Ochus à bello alienus in otio conſidebat, miſſis Copiis, ac Ducibus, re ſæpiùs fruſtratus fuerat, propter iſtorum imperitiam, atque improbitatem. Quare ab Ægyptiis contemptus, otio, quietoque animo indulgens injuriam tolerabat. Per id verò temporis, cum Phœnices, & Cyprii Reges Ægyptios imitati* &c. *Rex vehementer incitatus decrevit Perduelles bello aggredi.* Et infra: *Rex autem magni ducens Ægyptum in ſui poteſtatem redigere, ubi contritus fuerat,*

[1] *A.* 2. *O.* 107. *Diod.* lib. xvi.

Legates miſit ad maximas Græciæ Civitates, ut arma ſua cum Perſis contra Ægyptios conjungerent.

[o] Gemini Orontis Græcorum Hiſtoriæ meminerunt, utriuſque verſuti, ac proditoris. Primus à minore Cyro ob factam in ſe conjurationem morte multatus eſt [k], de quo nullus hoc loco ſermo eſſe poteſt. Alter Myſiæ Prætor ab Artaxerxe miſſis contra Cyprum Copiis Præfectus, ſub Teribazo ſummo [l] Duce, hunc falsò apud Regem calumniatus, detectâque fraude, ignominiâ notatus, bellum deinde injuriam ulturus ſummo cum imperio ſuſcepit adminiſtrandum [m] à Tacho Ægypti Rege, Mauſolo Cariæ, Ariobarzane Phrygiæ Satrapis, aliiſque, qui ab Artaxerxe deſciverant, ſed ratus proditionis ſcelere hujus gratiam inire, maritimarumque Regionum præfecturam comparare ſibi poſſe, multas urbes, peregrinos milites, & quot ſibi licuit rebellium Regiis Legatis conſignavit. Quid poſtmodum ipſi evenerit nec Diodorus, nec quiſpiam alius, ni fallor, meminit. Verùm cum hoc anno, octavo ſcilicet à defectione, cum Perſis inimicum narret Demoſthenes, conjecturâ ducor, nullum, aut leve tuliſſe memoratæ proditionis præmium, quamobrem iterum ad arma ſe contuliſſe.

[p] Cur Phrygiam ſolùm nuncupat? An unam Aſiatici Imperii provinciam pro omnibus dicit? Id ſanè frigidulum foret hoc loco. Deinde cur Græci vel ipſam Patriam ſubactam non incolerent? Non caſu accuratum, diligentiſſimumque Oratorem ita loquutum, ſed aliquò collimaſſe putandum eſt. Itaque non longè abeſt à vero id ſibi velle: Græci milites mercede conducti, ſi contra Populares ſuos arma capiant, eoſque Regi cogant obtemperare, ubi deinde militabunt? In Phrygiam venient, Provinciam, quæ, ut diximus, Perſarum jugum detrectabat, ipſi Regi vindicaturi? At ea militia non diſtabit à vera ſervitute, quippe quotquot in ejus ſunt poteſtate, ſtatum, conditionemque ſervorum tenent, cum numquam

[k] *A.* 4. *O.* 94. *Xenoph. de Cyri exped.* lib. iii. [l] *A.* 4. *O.* 98.
[m] *A.* 3. *O.* 104. *Diod.* lib. xv.

bello

bello quempiam aggrediatur, nisi ut adimat libertatem. Ita non malè mihi videntur hujus loci tenebræ dissipari.

[Q] Exemplo sunt Darii & Xerxis expeditiones, quibus duntaxat apertè, datâque operâ Græcia petita est. Et si de Græcis Asiaticis habeatur sermo, nullum cum iis bellum à Persis susceptum est, nisi pro inferenda servitute.

[R] De hac adversa Thebanorum in Persarum Imperium voluntate, ejusque confovendæ causa diximus Nota [H]. Nunc solùm addimus Demosthenem, ubicumque potest, in eosdem Thebanos inclinatum videri, qua de re ipsum Æschines mordet [n]: ἡ γαὲ, de illo ait, πρὸς τοῖς ἄλλοις κακοῖς βοιωτιάζει. *Etenim præter cæteras iniquitates, Bœotiis favet.*

[S] Veteres capitalesque discordiæ inter Thebanos atque Athenienses intercedebant ob insitam finitimis gentibus æmulationem. Accedebant peculiares causæ, fovebatque commune odium Eubœa sæpiùs ab utrisque tentata, frequentesque Athenienſium in Bœotiam expeditiones aut ad vindicandam sibi Provinciam, aut ad evertendam. Duce Myronide [o] totam sibi usurparunt, exceptis Thebis. Demosthene Imperatore iterum aggressi sunt [p], illatâ reliquis Bœotiis clade, maximâque à Thebanis acceptâ. Istorum pariter crebræ in Atticam excursiones, quas enarrare supervacaneum duco. Hinc utriusque gentis animi vehementer exasperati; sed nulla re magis, quàm Platæensium tutelâ. Hos enim Athenienses acerrimè defendendos susceperant; cùm memores auxilii, quod Reipublicæ ii solùm detulerant apud Marathonem; tum rati eam Civitatem frænum Thebanis fore, a quibus intervallo septuaginta solùm stadiorum distabant. Et sanè ab istis numquam bello petita fuit, quin illi promptè alacriterque defenderint, postremamque obsidionem, celeberrimam quidem, simul cum Civibus usque ad extremum non [q] sustinuerint. Ma-

[n] *Æsch. in Orat. de falsa legat.* [o] *A.* 4. *O.* 80. [p] *A.* 1. *O.* 89. *Diod.* lib. xii. [q] *Thucyd.* lib. iii. *Diod.* lib. xii.

nebant odii ſemina vel cum aliquando, prout ratio Reipublicæ poſtulabat, ſibi invicem opitulabantur, nam ſtatim ac nullo communi periculo detinerentur, non amplius auxilium ferre conſueverant, & ad ingenium redibant. Id enimvero (ut rem luculentiſſimo exemplo confirmem) enituit quàm maximè, cum Athenienſes veriti Lacedæmoniorum potentiam iiſdem Thebanis libenter ſuppetias iverunt, contra quos illico, perculſis Lacedæmoniis ſteterunt. Quid autem oſtendit magis, quanto ſe viciſſim odio proſequerentur, quàm Mulcta Pindaro à Thebanis inflicta [s] ob iſto Athenas carmine celebratas?

. . . . . λιπαρεῖ, ἢ ἀοίδιμοι, Ἑλλάδ' ἐρεισμα κλεινὰ Ἀθῆναι.

. . . . . *Pingues, celebreſque, Græciæ Columen inclytæ Athenæ.*

Quod Poetæ damnum Athenienſes geminatâ Mulctæ pecuniâ reſarſerunt, æreâque illum ſtatuâ donarunt. Nec minus id ipſum odium palam facit Epaminondæ ſummi Imperatoris [t] apud Thebanos dictum: ὡς δεῖ τὰ τῆς Ἀθηναίων ἀκροπόλεως προπύλαια μεθενεγκεῖν εἰς τὴν προσασίαν τῆς Καδμείας. *Quod oportet Athenienſium arcis Propylæa ad Cadmeæ* (quæ arx Thebanorum erat) *tutelam atque ornamentum transferre.*

[τ] Thebani, gens bello potius, quàm lucris dedita, divitiis non affluebant. At hoc præcipuè tempore ob Phocenſe bellum inopiâ laborabant, ut à Diodoro [u] accepimus. Quamobrem anno 2. O. 107. nimirum abhinc tertio, eos narrat ad Regem Perſarum iviſſe pecuniæ quidpiam oratum: ἐπὶ δὲ τούτων Θηβαῖοι κάμνοντες τῷ πρὸς Φωκεῖς πολέμῳ, καὶ χρημάτων ἀπορούμενοι, πρέσβεις ἐξέπεμψαν πρὸς τὸν τῶν Περσῶν βασιλέα παρακαλοῦντες εἰσενεγκεῖν τῇ πόλει χρήματα. Ὁ δὲ Ἀρταξέρξης προθύμως ὑπακούσας, ἔδωκεν αὐτοῖς δωρεὰν ἀργυρίου τάλαντα τετρακόσια. *Interea Thebani Phocenſi bello defatigati, & pecuniæ indigentes, Legatos miſerant ad Perſarum Regem, aliquam Reipublicæ poſtulaturos. Ar-*

[r] *Xenoph. de reb. Græc.* lib. vi. & vii. *Diod.* lib. xv. [s] *Æſch. in Ep.* 4. [t] *Æſch. in Orat. de falſa legat.* [u] *Diod.* lib. xvi.

taxerxes

Xerxes autem iis alacriter auſcultans, tricena argenti talenta dono dedit.

[v] Non alios hoc loco intelligit Orator, quàm qui ſacro bello contra Thebanos implicabantur; nimirum, ut ſupra adnotavimus, Lacedæmonios, Phocenſes, & Peloponnenſium aliquos.

[x] In memoriam revocat profligati Perſici belli tempus, quo tempore nullum Græcis felicius extitit; proinde nil mirum, ſi ſemper in ipſorum ore verſabatur. Maximam inde utilitatem perceperunt quicumque Signa pro libertate contra Xerxem ſequuti ſunt; cujus utilitatis nemo non meminit, qui res per id temporis geſtas Poſteritati conſignaverit, ſed lubet Diodori [x] ſolùm verba proferre: Τὰ δὲ πολέμια παρὰ τὴν προσδοκίαν τὸ τέλος λαβόντι παράδοξον, οὐ μόνον τῶν κινδύνων ἀπελύθησαν οἱ τὴν Ελλάδα κατοικοῦντες, ἀλλὰ καὶ δόξαν μεγάλην κατεκτήσαντο· καὶ τοσαύτης εὐπορίας ἐπληρώσῃ πᾶσα πόλις ἑλληνὶς, ὥστε πάντας θαυμάσαι τὴν εἰς τοναντίον μεταβολήν. *At denique bello contra expectationem inſperatum exitum nacto, non ſolùm Græciæ habitatores ab omni periculo ſunt liberati, ſed maximam obtinuerunt gloriam; nullaque fuit Græca Civitas, quæ divitiis cumulata non fuerit, adeò ut omnes mirarentur tantam fortunæ commutationem.* Hic autem à Demoſthene peculiariter Lacedæmonios conſiderandos proponi nullus dubito. Iis enim præcipuo quodam modo id omne congruit, quod ait Orator, nimirum & Regis amicitiam repudiaſſe, quam Darius per Legatos, ab iiſdem, ut à Græcorum aliis expetierat, ſed Legatos hi non minus, quàm Athenienſes necaverant. Deinde cum adverſâ uterentur fortunâ, ac malis multis lacerarentur, veriti ne ſibi ob patratum ſcelus ea contingerent, ad illud expiandum edixerunt, eſſetne Lacedæmoniorum aliquis qui vellet pro Patria mortem oppetere; reperti ſunt Sperthius Aneriſti, atque Eulis Nicolai Filius, genere, atque opibus clari, qui, mortuo Dario, ad Xerxem pœnam violatæ Legationis perſoluturi perrexerunt; Verùm in

[x] *Diod. init.* lib. xii.

Aſiam appulſi, ſtatim ab Hydarne maritimæ regionis Præfecto ad conciliandam Regi ſuæ Civitatis amicitiam pellecti, eam conſtantiſſimè recuſarunt, quare Suſam deducti, expoſitiſque mandatis Rex magnanimus Xerxes non ſolùm eos neci dare averſatus eſt, ſed iterum expetitâ Reipublicæ familiaritate, ac denegatâ, liberos dimiſit [y]. Congruit rurſum Lacedæmoniis alterum illud, quod initâ cum Græcis ſocietate ingenti gloria, maximâque potentiâ aucti fuerint; nam partâ Perſarum victoriâ, quicquid erat Graii nominis ad ipſos, aut ad Athenienſes acceſſit, eorumque dicto audiens fuit, Κοινῇ τε, Thucydidis verbis utor [z], ἀπωσάμενοι τὸν Βάρβαρον, ὕστερον ὀλίγῳ διεκρίθησαν πρός τε Ἀθηναίους, καὶ Λακεδαιμονίους οἵτε ἀποστάντες Βασιλέως Ἕλληνες, καὶ οἱ συμπολεμήσαντες. *Cum Barbarum communibus viribus depulſiſſent Athenienſes, Lacedæmoniique, brevi temporis intervallo ad ipſorum alterutros Græci ſe contulerunt, cum qui à Regis amicitia diſceſſerant, tum qui cum ipſo decertaverant.* Denique iiſdem præſertim Lacedæmoniis convenit, quod initâ cum Perſis familiaritate, graviſſima deinde mala pertulerint. Illud ſine dubio fœdus indicat, quod pax ab Artaxerxe data cunctis Græcis, & ab Antalcida nuncupata, conſequuta eſt; cujus fœderis causâ, Xenophonte [a] autore, οἱ Λακεδαιμόνιοι πολὺ ἐπικυδέστεροι ἐγένοντο τῆς ἐπ' Ἀνταλκίδᾳ εἰρήνης καλουμένης, πρόσταται γὰρ γενόμενοι τῆς ὑπὸ Βασιλέως καταπεμφθείσης εἰρήνης, καὶ τὴν αὐτονομίαν ταῖς πόλεσι προστιθέντες, προσέλαβον μὲν σύμμαχον Κόρινθον, αὐτονόμους δὲ ἀπὸ Θηβαίων τὰς Βοιωτίδας πόλεις ἐποίησαν, ὅπερ πάλαι ἐπεθύμουν. *Lacedæmonii longè majori gloriâ condecorati ſunt in componenda pace, quæ ab Antalcida dicta eſt. Siquidem pacis ejuſdem arbitri à Rege conſtituti, libertatem Civitatibus dederunt, conjunctâque cum Corinthiis ſocietate, Bœotiæ Urbes liberas à Thebanis conſtituerunt, ut jamdiu concupierant.* Quamobrem cum elati animo inſolentes ſe gererent, Thebanorum armis, quos in deſperationem adduxerant, atrociſſimâ ad Leuctram pugnâ perculſi ſunt. Enimvero ſummo

[y] *Herodot. in Polymn.* [z] *Thucyd.* lib. i. [a] *Xenoph de reb. Græcis*, l. v.

artificio Demoſthenes hanc diverſam Lacedæmoniorum fortunam in medium profert. Cum enim propter inveteratam æmulationem, inſtauratasque ſæpius inter ſe bella, ipſorum fides Athenienſibus ſuſpecta eſſet, nec fœderi, quo tum conjungebantur, ſatis crederent, oſtendit ex eorumdem eſſe utilitate tueri cum Græcis ſocietatem, & à Rege Perſarum disjungi.

[y] Quibus calamitatibus oppreſſi fuerint Lacedæmonii poſt Leuctricam pugnam, & quàm miſerè de ſtatu ſuo dejecti paulò infra referemus.

[z] Nihil antiquius fuit Medorum Regibus, quàm pecuniis, ope, fœderibus Græcorum inter ſe diſcordias confovere, ſecum animo reputantes, non aliter bellicoſiſſimam gentem perdomari poſſe, aut ab Aſia removeri. Hinc avidè partium patrocinium ſuſcipere, illorum diffidiis ſeſe immiſcere, vocati auxilia ſubmittere, arma conjungere, ferire fœdera, quorum plura, prout ſua res poſtulabat, modò cum Lacedæmoniis icta, modò cum Thebanis, atque Athenienſibus. Monet igitur Demoſthenes, ne Regi ulla detur occaſio paria gerendi, neve hoc pacto ejus utilitatibus inſerviant.

[a] Nemo quidem negabit Aſianos pejerare conſueviſſe. Plura exempla nobis exhibet Xenophontis liber, quo minoris Cyri expeditionem literis conſignavit; non unum pariter altera ipſius Hiſtoria de rebus Græcorum geſtis. Quis Tiſſapherni, ut reliqua taceam, non iraſcitur, cum ſciſcitatus Ageſilaum, quamobrem cum exercitu mare tranſmiſiſſet, acceptoque reſponſo, ob Græcos in libertatem vindicandos, ſubdolè ſe id à Rege curaturum promiſit, datoque juramento inducias fecit. Verùm [b] ὁ μὲν Τισσαφέρνης, ἃ ὤμοσεν, εὐθὺς ἐψεύσατο. Ἀτὰρ γὰρ τῇ εἰρήνῃ ἔχειν, στράτευμα πολὺ Βασιλέως, πρὸς ᾧ εἶχε πρόσθεν, μετεπέμπετο. *Tiſſaphernes, quæ juraverat, ſtatim mentitus eſt. Nam tantùm abfuit, ut pacem ſuadendam ſuſciperet, quin magnum à Rege exercitum poſtulatum miſit, præter illum,*

[b] *Xenoph. de reb. Græc.* lib. iii.

duces

quem antea obtinebat. At æquè nemo fatebitur Græcos à perjuriis ac fraude abhorruiſſe:

Ignari ſcelerum tantorum, artiſque Pelaſgæ,

de miſeris, deceptiſque Trojanis cecinit Vatum Latinorum maximus [c].

[B] Darium, & Xerxem dicit, quorum bella adverſus Græcos inauſpicatò ſuſcepta ſummaque infelicitate profligata ſæpius indicavimus.

[C] Quantùm Athenæ poſt ſecundum Medicum bellum gloriâ, opibus, auctoritate, Imperio auctæ fuerint ſcribit Thucydides [d] eodem loco à nobis dudum laudato, quo de Lacedæmoniis idem teſtatur; alterum teſtimonium affero Diodorum [e], ſic de illo Reipublicæ ſtatu loquentem: Μάλιστα δὲ Αθηναῖοι τῇ τε δόξῃ καὶ ἀνδρείᾳ προκόψαντες, διανομάσθησαν καθ' ὅλην σχεδὸν τὴν οἰκουμένην· Ἐπὶ ποσὸν γὰρ τὴν ἡγεμονίαν ηὔξησαν, ὥστε ἄνευ Λακεδαιμονίων καὶ Πελοποννησίων ἰδίᾳ μεγάλας δυνάμεις Περσικὰς, καὶ καλὰ γῆν, καὶ καλὰ θάλατταν, καθηγωνίσασθαι, καὶ τὴν περιβόητον Περσῶν ἡγεμονίαν ἐπὶ τοσοῦτον ἐταπείνωσαν, ὥστε ἀναγκάσαι πάσας τὰς καλὰ τὴν Ασίαν πόλεις ἐλευθερῶσαι καλὰ συνθήκας. *Præſertim verò Athenienſes magno curſu ad gloriam ſtrenuitatemque pergentes, per univerſum prope terrarum orbem egregiam ſibi nominis famam compararunt. Siquidem auxerunt adeo vires Imperii ſui, ut nullâ Lacedæmoniorum ac Peloponnenſium ope, proprio Marte maximam Perſarum potentiam terrâ marique dejecerint, ipſorumque Regnum illuſtre ſic afflixerint, ut neceſſitatem impoſuerint, Græcas per Aſiam urbes in libertatem, inito pacto, reſtituendi.* Enimvero cum antea Urbs clariſſima Imperium ſuum concluſiſſet anguſtis finibus, poſtmodum tot Inſulis, maritimâque orâ, vi ſibi adjunctis, aut populorum voluntate longè, latéque dominata eſt. Ante iſtud tempus modico ærario, perexiguo equitatu; & ſi pacis bona complectamur, nullo vigebat literarum ſtudio, nullo artium ingenuarum. At verò confecto Perſico bello, ampliſſimâque ſibi partâ victoriâ, adeò viribus, divitiis, de quibus opportuniori loco dicemus, Arti-

[c] *Virg. Æn.* lib. ii. [d] *Thucyd.* lib. i. [e] *Diod. Hiſtor.* lib. xii.

ficum

ficum induſtriâ, ſcientiarum gloriâ floruit, ut numquam majorem felicitatem adepta ſit. Nihil autem utraque tempora diſtinxit magis, quàm res navalis; hanc ſiquidem Athenienſes ante Medicum bellum adeo exilem habuerunt, ut vix quinquaginta Naves obtinuerint, ſeu, ut Pollux[f] memorat, octo & quadraginta, unaquâque Naucrariâ ſingulas præbente, eaſque non tectas, ac ferè omnes quinquagenûm Remigum, quorum paucioribus nulla per id quoque temporis ad bellum inſtruebatur, cum centum ſupra viginti eas impellerent, quæ magnitudine cæteras vincebant, ut Thucydides colligit ex Homero[g]; Τὰς (νεῶς) μὲν Βοιωτῶν, εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἀνδρῶν· τὰς δὲ Φιλοκτήτου πεντήκοντα. Δηλῶν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, τὰς μεγίστας, καὶ ἐλαχίστας. *Bœotorum naves habuiſſe remiges centum viginti; Philoctetæ verò, quinquaginta; demonſtrans, ut mihi videtur, maximas, minimaſque.* A quo tempore vel quadringentas triremes, ut nuper adnotavimus, conſtruxerunt, quamvis ad ſummum trecentis navigaverint. Qua de re præter adductos teſtes, Xenophontem[h] damus, mirificè noſtram illam ſententiam confirmantem, ἡμεῖς γὰρ, ait, οἱ Ἀθηναῖοι εἰσήλθομεν εἰς τὸν πόλεμον τὸν πρὸς τοὺς Λακεδαιμονίους, καὶ τοὺς συμμάχους, ἔχοντες τριήρεις, τὰς μὲν ἐν θαλάττῃ, τὰς δὲ ἐν τοῖς νεωρίοις, οὐκ ἐλάττους τετταράκοσίων. *Nos enim Athenienſes bellum ſuſcepimus contra Lacedæmonios, eorumque ſocios, cum partim in mari, partim in Navalibus haberemus Triremes non minùs, quàm quadringentas.*

[D] Sedandis inteſtinis diſcordiis nullum ſanè luctuoſius, at ſimul nullum potentius remedium eſt, quàm bellum externum. Quieſcunt enim turbulenti Cives, cum pro libertate adverſus hoſtes pugnandum eſt; ſiquidem minus dolet, Civium aliquibus dignitate cedere, quàm inimicis ſervire. Romæ tumultuantem plebem ut plurimùm externa bella compreſſêre. Græcos inter ſe diſſidentes, nec animis tantùm, ſed armis atrociter dimicantes Medicum bellum compoſuit. Tunc enim Lacedæmonii cum Peloponnenſi-

[f] *Pollux Onomaſt.* [g] *Thucyd.* lib. i. [h] *Xenoph. de Cyri exped.* lib. vii.

bus,

bus, Bœotis, Chalcidenſibus conjuncti bellum Athenienſibus commoverant, quos pridem libertati reſtituerant, ſed eorum augeſcentem potentiam timebant; dimicabatur magna animorum contentione, incerto eventu. Simul Athenienſes graves gerebant cum Æginetis inimicitias, quod Bœotis opem attuliſſent. Hinc utriuſque populi claſſes eductæ, navaleſque pugnæ. Græcorum alii in unam, alii in alteram partem conceſſerant. Ecce tibi, Darius in Græciam irruit, ac ſtatim deponuntur arma civilia, ſponte corruunt provinciales diſcordiæ, ipſique Lacedæmonii Athenienſibus opitulatum veniunt [i]. Huc in præſenti Demoſthenis verba referuntur, monſtratque Perſarum Regem hujuſce rei non ignarum, à bello adverſus Græcos ſe contenturum, ne ipſis occaſionem præbeat domeſticas lites componendi, paciſque inter ſe conſtabiliendæ.

[i] *Herodot.* l. v. & vi.

DE MEGALOPOLITIS

IN ARGUMENTUM.

[A] LEuctricum prælium inter Græcorum atrociora diligenter à Xenophonte [a], ac Diodoro [b] deſcribitur, aliquâ rerum geſtarum, occiſorumque numeri inter ipſos auctores diverſitate. Si nihil noſtrâ intereſſet litem dirimere, eam ſecundùm Xenophontem ſcriptorem σύγχρονον judicaremus. Cleombrotus Spartæ Rex Lacedæmonios, eorumque ſocios in aciem educere prope coactus eſt, nolebat enim cum Thebanis, quibus Patriæ periculum addebat animos; ipſa deſperatione ferocientibus, dimicare. Pugnatum utrinque pari militum virtute, ac Ducum ſtrenuitate, ſed impari diſciplinâ. Nam Epaminondas Thebanos ſuos inſtruxit callidiori arte, ac ſagaciori, dum prælium committitur, ſcientia militari uſus eſt. Illico Thebanorum equitatus hoſtium equites in fugam vertit; cornu ſiniſtrum à dextro Lacedæmoniorum, cui Cleombrotus præerat, perculſum. At ex altera parte victores Thebani reſtitutâ pugnâ in ſiniſtrô cornu hoſtes fuderunt, poſtquam Cleombrotus multis confectus vulneribus ex acie ſemivivus exceſſit. Victoria penes Thebanos fuit vel ipſis fatentibus Lacedæmoniis, qui per inducias Mortuos ſuos recuperarunt. Hi fuerunt, ſi Xenophonti credimus, 1700; ſi Diodoro, quatuor millia; ex Thebanis trecenti. Cladis nuntio Spartam delato, necatorum Cognati ſplendidâ induti veſte lætitiæ ſigna dederunt; eorum verò, qui fugâ mortem effugerant, ſordidati mœrorem præ ſe ferebant; inſigni documento, honeſtam necem turpi vitæ præhabendam eſſe. Illud eſt omnium admiratione celebratum, quod veteri vaticinio

[a] *A. 2. O.* 102. *Xenoph. de reb. Græc.* lib. vi. [b] *Diod.* lib. xv.

cinio per hominum ora ferebatur Lacedæmonios ibi maximâ clade labefactandos esse, ubi Virginum esset monumentum, quæ ab ipsorum Legatis corruptæ mortem sibi consciviſſent. Id exitus comprobavit, siquidem certatum est, ubi Leuctri, unde ager nomen acceperat, ac Scedasi filiæ conditæ sunt, quæ per vim oppressæ omini occasionem præbuerant, memorabilique Numinis ultioni. Post eam pugnam à Lacedæmoniis Peloponnensium aliqui desciverunt, partim ipsorum odio, partim amore libertatis. Argivi cum Arcadibus palam in eos arma intulerunt, vocatis in auxilium Thebanis, quibuscum consociati Laconiam vastare, quæ per annos quingentos omnis populationis expers fuerat, ac Spartam ipsam aggredi non dubitarunt. In tanta fortunæ commutatione (qui enim nuper Thebas obtinuerant, nunc de Patria periclitabantur) Spartani urbem suam, quam veteri instituto nulla cingebant mœnia, [c], undique munire studeant, quodque in maximis Reipublicæ anguſtiis fieri solet, servos ad arma vocant, promissâ, cum debellatum foret, libertate; eorumque sex millia nomen dedisse memoriæ proditum est. Athenas quoque ad æmulam Civitatem, sibique non longo temporis intervallo obnoxiam, auxilium orantes Legatos mittere coacti sunt [d].

[B] Eodem tempore memorati Lacedæmoniorum Legati, quo à Thebanis alteri, Athenas venerunt, datâque utrisque Concione, ac re multùm deliberatâ demum Athenienses, quamvis cum iisdem Thebanis fœdere conjungerentur, opem Spartanis ferre decreverunt. Jucundum erit Diodori verbis probè rem descriptam audire [e]: Ὁ γὰρ Ἀθηναίων δῆμος, μεγαλόψυχος ὢν, καὶ φιλάνθρωπος, τὴν μὲν τῶν Θηβαίων ἰσχὺν ἐπελελάγησαν, τοῖς δὲ Λακεδαιμονίοις ὑπὲρ ἀνδραποδισμοῦ κινδυνεύουσιν ἐβοήθησαν τοῖς βοηθοῦσι παιδαγωγοῦντες. Καὶ παραχρῆμα τριήκοντα καλασίρεις τὸν Ἰφικράτην ἐξέπεμψαν, καὶ τὰς τοὺς αὐθημερὸν, ὅπλας μυρίους καὶ διακοσίους. Ἰφικράτης μὲν οὖν

[c] *A.* 4. *O.* 202. [d] *Diod.* lib. xv. *Xenoph. de reb. Græc.* lib. vi. [e] *Diod. ibidem. Xenoph. ibidem.*

προθύμως

προθύμως ἔχων τὸς στρατιώτας, προῆγε μέλα τῆς δυνάμεως καὶ ἀσφαλῆ. *Populus enim Athenienſium magnanimitate humanitateque ductus, nec Thebanorum potentiâ perterritus, Lacedæmoniis in diſcrimen ſervitutis adductis, veluti conſpiratione facta, opem ferre ſtatuerunt. Confeſtim igitur Iphicratem ſummo cum imperio ducem conſtituentes, cum duodecim Juvenum millibus, uno die conſcriptorum expedierunt. Iphicrates autem, conſpectâ militum alacritate, diligenter cum exercitu proceſſit.* Nec eo contenti, cum audiſſent, Bœotos Epaminonda Duce ab Arcadibus Argiviſque vocatos Spartam ipſam bello petere decreviſſe, ut monuimus, denuo Chabriam cum altero exercitu [f] ſubmiſerunt, eique mandarunt, ut, Iſthmo occupato, Bœotos à tranſitu prohiberet. Audiendus eſt hoc pariter loco Diodorus [g]: Ἀθηναῖοι δὲ πυθόμενοι τὴν Βοιωτῶν στρατιὰν παρεῖναι εἰς τὴν Πελοπόννησον, ἐξέπεμψαν δύναμιν, ἣ στρατηγὸν ἐπ' αὐτὸς Χαβρίαν. Οὗτος δὲ παρελθὼν εἰς Κόρινθον, καὶ προσλαβόμενος καὶ παρὰ Μεγαρέων, καὶ Πελληναίων, ἔτι δὲ Κορινθίων στρατιώτας, στρατόπεδον συνεστήσατο ἀνδρῶν μυρίων. Μετὰ δὲ ταῦτα Λακεδαιμονίων, καὶ τῶν ἄλλων συμμάχων παραγενομένων εἰς Κόρινθον, &c. *Athenienſes verò cum intellexiſſent Bœotorum exercitum ad Peloponneſum accedere, adverſus illos Militum Copias, Chabriamque Ducem miſerunt. Is Corinthum veniens, accipienſque à Megarenſibus, Pellenæis, Corinthiiſque Cohortes, agmen conflavit decem millium virorum. Ac rurſus Corinthum ſupervenientibus Lacedæmoniis, aliiſque ſociis,* &c. Quod cum ita geſtum ſit, patet nihil unquam Athenienſibus antiquius fuiſſe, quàm frænum injicere cuicumque Græcorum ſe ſuper alios efferre vellet, atque ita Græciæ libertatem ſartam tectam ſervare.

[c] Nulla unquam gens tam facilè fecit, diſrupitque icta inter ſe fœdera, ut Græci. Reliqua taceo, eaque ſolùm commemoro, quæ nunc ad rem noſtram faciunt. Athenienſes cum Thebanis ſocietatem coeunt a. 3. O. 100. contra quos Lacedæmoniis auxiliantur a. 4. O. 102. Cum Arcadibus ſe conjungunt

[f] *Eod. a.* 4. O. 102. [g] *Diod.* lib. xv.

a. 3.

a. 3. O. 103. & contra iſtos, atque Thebanos pugnant apud Mantineam ann. 2. O. 104. Cum Phocenſibus, ac Lacedæmoniis eoſdem Thebanos oppugnant ab ann. 2. O. 106, uſque ad finem belli ſacri; atque interea, dum iſtud viget, adverſus Lacedæmonios Megalopolitæ poſcunt, ut ſibi auxiliatum veniant [h]. Quis tantas fœderum viciſſitudines non obſtupeſcat? Quis tantas ac tam celeres animorum commutationes cogitando complecti poſſit? An putabant veterum Sociorum fœdera non diſſolvi, novo cum ipſorum hoſtibus inito? aut nullam his pariter fieri injuriam, ſi ad priſtinam illorum familiaritatem redirent? Credo hujuſmodi Societates non propria fœderis appellatione uſurpandas eſſe, ſed opportunam armorum conjunctionem dicendas, prout cujuſque populi utilitas, ac ratio poſtularet, atque ideo neminem religioni duxiſſe modò hoſtem, modo amicum ſe gerere. Quod ſanè inſtitutum huic Orationi viam fecit, ut jam dicendum ſuſcipimus.

[D] Cum Arcades, & Argivi poſt Leuctricam pugnam, ut diximus, bellum Lacedæmoniis intuliſſent, multis levioribus præliis victores, tandem ab ipſis Lacedæmoniis in maximas loci anguſtias adducti, atrociſſimâ plagâ perculſi ſunt [i]. Nam decem ipſorum millia occubuerunt, hoſtium nemine occiſo; quod fidem ſuperat, ſed vades adſunt Xenophon ac Diodorus [k]. Lætos eâ victoriâ Lacedæmonios, quæ prima ipſis obtigerat poſt Leuctricum vulnus, Arcades pertimuerunt, ſibique ab illorum armis malè ominati, ut ſuæ gentis ſaluti conſulerent, eam è viginti Menaliorum Parrhaſiorumque pagis congregarunt, conditamque opportuno loco Urbem, quæ ex ipſius magnitudine Megalopolis dicta eſt, ipſi habitandam dederunt. Pauſanias [l] triginta ſeptem populos monet in eam Coloniam confluxiſſe, quorum nomina memoriæ prodit. Addit Arcades id conſilii

[h] *Diod.* lib. xv. *Xenoph. de reb. Græc.* lib. vii. *Demoſthen. in hac Orat.* [i] *A.* 1. *O.* 103. [k] *Xenoph. de reb. Græc.* lib. vii. *Diod.* lib. xv. [l] *Pauſ. in Arcad.*

ſuſcepiſſe

ſuſcepiſſe Epaminondæ hortatu, ab eoque mille Thebanos miſſos, duce Pammene, ne Coloniæ deductio quidpiam moleſtiæ ab inimicis ſuſciperet. Verùm cum, Xenophonte auctore, certum ſit, eoſdem Arcades è Lycomedis ſententia decreviſſe, niſi communicato imperio non amplius cum Thebanis in militiam ſe profecturos, idque iſtos ægrè tuliſſe, ac proinde abalienatos animo illorum cladem libenter audiviſſe, fortaſſe nemo facilè Pauſaniæ teſtimonium capiet. Quamquam abſurdum minimè videri poſſit, Thebanis depreſſam Arcadum ſuperbiam ex animi ſententia accidiſſe; ſimul verò bellicoſiſſimam gentem, Lacedæmoniorum æmulam, ſibique utilem labefactari penitus noluiſſe. Megalopolis ædificatio, eaque veluti firmiſſimum propugnaculum contra Laconiam poſita, malè audiit apud Lacedæmonios; quapropter vix è tantis ruinis emerſerant, cum ei graves, ac moleſti extiterunt, de ipſaque delenda cogitarunt. Initium fuit rei pertentandæ an. 1. O. 107. [m], quo in Megalopolitarum fines infeſta duxerunt ſigna. Ii verò diffidentes rebus ſuis, opem à fœderatis Thebanis, Argivis, Sicyoniis, Meſſeniiſque poſtularunt. Ab Athenienſibus autem, tacet Diodorus, ſed ex hac Demoſthenis Oratione, poſtulatam fuiſſe certum eſt; datam verò non arbitror, nec tamen conceſſam Lacedæmoniis, quorum pariter Legati ipſam exoraturi Athenas venerant. Meæ quidem ſententiæ magnum momentum præbet Diodori ſilentium, qui cum accuratè, à quibuſnam utrique populo ſubmiſſa fuerint auxilia, deſcribat, Athenienſes præterit. Et ſanè Lacedæmoniis non faviſſe, ne ſi victores, potentiæ incrementum ſumerent; Megalopolitis, ne nullâ utilitate contra fœdus cum iiſdem Lacedæmoniis pro bello ſacro, quod adhuc manebat, ictum facere viderentur. Tantis enim aliorum viribus illi recreati fuerant, ut nihil ſibi à Spartanis timere poſſent. Quin etiam variante armorum fortunâ, acceptiſque invicem cladibus, pax eodem anno

[m] *Died.* lib. xvi. *Pauſan. in Arcad.*

compoſita eſt. Quod ſi cui veniat in mentem cogitare, quid cauſæ fuerit, quod Phocenſes opitulatum Lacedæmoniis venerint, Athenienſes nequaquam, cum utrique eodem fœdere continerentur, non aliam fortaſſe inveniet, quàm quæ nuper à nobis dicta eſt, nimirum ne ſi malè Arcadibus contigiſſet, iidem Lacedæmonii nimiùm viribus augerentur, quod omni vi Demoſthenes urget. Hanc etiam rationem Megalopolitis animos dediſſe puto ad Athenienſium opem implorandam, quamvis non uno ipſis nomine ſe hoſtes profiterentur. Adeo tum temporis Reipublicæ utilitas fœderibus moderabatur. Megalopolis multos præclaros viros edidit, quos inter Polybius. Non longam manſit ætatem, fuitque in proverbio: ἐρημία μεγάλη ἐστὶν Μεγαλόπολις, *Magna ſolitudo eſt magna urbs.* Ex ejus ruinis emerſit ad montium radices ac prope Alpheum flumen vicus humilis, *Leondari* ab incolis nuncupatus, clariſſimæ Civitatis index. Quanta ſit hujus Orationis venuſtas, robur, ars, difficultas, æquare verbis non poſſum. Orator profectò nihil ſibi reliquum facit, quo rem difficillimam ſuadeat, nempe ut contra amicos Lacedæmonios inimicis Arcadibus Athenienſes auxilientur.

IN ORATIONEM.

[5] THeodemo Athenis Prætore, quem Eudemum Diodorus vocat, Concionem iſtam à Demoſthene dictam fuiſſe Dionyſius Halicarnaſſeus[n] monet his verbis: ἐπὶ δὲ Θεοδήμου τοῦ μετὰ Διότιμον ἄρξαντος &c. τὸν λόγον περὶ τῆς Μεγαλοπολιτῶν βοηθείας δημοσιεύσας, ὃν αὐτὸς ἀπήγγειλε: *Theodemo poſt Diotimum Prætore &c. Orationem pro Megalopolitarum auxilio ad Populum habitam, quam ipſe pronunciavit.* Eudemum verò Præturam geſſiſſe an. 4. O. 106. à Diodoro[o] accepimus; quo tempore vigeſimum octavum ætatis ſuæ Demoſthenes agebat. Eam verò disjungi non poſſe

[n] *Dionyſ. Ep. ad Ammæum.* [o] *Diodor.* lib. xvi.

ab

ab hoc anno probat Lacedæmoniorum in Arcadiam eruptio facta initio sequentis an. 1. O. 107. [p] quæ Oratori causam dicendi dedit. Nec dubitari potest, quin sub exitum dixerit ejusdem anni quarti, cum illi parati jam erant ad invadendum, imminentique belli discrimine tenerentur Arcades. Incipiebant Attici annum suum à Solstitio æstivo, primusque mensis erat ἑκατομβαιών, cujus pars cum Junii parte congruit. Igitur exeunte anno quarto, id est, sub æstatis initium arma à Spartanis expediebantur, quæ mox sub initium alterius anni in Arcadiam intulerunt.

[E 2da] Tres habuit Græcia præcipuas Urbes, ut sæpius admonuimus, quæ acerrimè inter se de principatu certarunt, atque aliquando unaquælibet obtinuit, Sparta, Athenæ, Thebæ. Proinde nihil earum magis intererat, quàm cæteras infirmo esse virium robore, ne caput attollerent. Hinc Demosthenes veluti rem exploratissimam ponit, ac tamquam totius Orationis fundamentum, nimium Athenienſibus conducere, Thebanorum Imperium, ac Lacedæmoniorum, concussâ afflictâque uti valetudine.

[F] Geminæ fuerunt in Græcia urbes Orchomeni appellatione; alteram ab Orchomeno Lycaonis filio in Arcadia constructam accepimus, ab Homero [q] πολύμηλον *Ovium feracem* vocatam, de qua nullus hìc sermo; alteram in Bœotia ab Orchomeno Minyæ filio, Neptuni nepote, quæ Minyæ cognomento ab Arcadica distinguebatur, quæque nunc à Demosthene nuncupatur. Urbs olim clarissima, rerum gestarum gloriâ, atque opibus illustris [r], heroicis temporibus Thebas vectigales habuit, quoad istas Hercules erexit adeo, ut à tributo immunes constituerit. Deinde aucti quàm maximè viribus Thebani post Leuctricam pugnam statim æmulam Civitatem magno exercitu perdomandam statuerunt, sed moniti ab Epaminonda [s] ne victoriæ decus ambitione, perni-

[p] *Diod.* ibid. [q] *Iliad. β.* ver. 605. [r] *Pausan. in Bœotic.* c. 3. Q. 102.

cioſaque dominandi cupiditate corrumperent, ſociam potius, quàm ſervam ſibi adſcripſerunt. At verò poſt Mantineenſe prælium, quo ille fortiter occubuit, nacti querelarum occaſionem, penitus exciderunt. Cum enim aliqui Thebanorum exules Reipublicæ ſtatum convellere, & ariſtocraticum mutare vellent, in conſpirationis ſocietatem, præter alios, trecentis Orchomeniis equitibus adſcitis negotium dederunt tumultum Thebis excitandi, quo die illuc juſſi venire ad armorum luſtrationem debuiſſent. Exules ipſi veniam conjurationis deprecaturi, Orchomeniorum ſcelus Magiſtratibus prodiderunt. Capti Equites, ſupplicioque affecti cauſam Thebanis præbuerunt vetus vindictæ deſiderium in æmulam urbem explendi. Quapropter, ut Diodori [t] verbis utar, καιρὸν ἔχειν νομίσαντες, καὶ προφάσεις εὐλόγους τῆς τιμωρίας λαβόντες, ἐστράτευσαν ἐπὶ τὸν Ὀρχομενὸν, καὶ ἀσχάλλες τὴν πόλιν, τοὺς μὲν ἄνδρας ἀπέκτειναν, τέκνα δὲ καὶ γυναῖκας ἐξηνδραποδίσαντο, *occaſionem accepiſſe rati, honeſtamque vindictæ cauſam, in Orchomenum infeſta ſigna intulerunt. Urbe verò in ſui poteſtatem redactâ, quicquid hominum habuit, occidione delerunt, Pueris ac Fœminis in ſervitutem adductis.* Hujuſmodi fato ea civitas perfuncta eſt, quæ modò paucis tuguriis loci memoriam clariſſimumque retinet nomen.

[G] Theſpiæ urbs Bœotiæ à Theſpia Aſopi filia, vel à Theſpio Erechthei nomen accepit, ab Homero [v] non prætermiſſa:

Θεσπείαν, Γρηϊάντε, καὶ εὐρύχορον Μυκαλησσόν.
Theſpiam, Græamque, & latum Mycaleſſum.

ad Heliconis radices condita, Thebanorum odio clara, quibus gratum facturus Xerxes eam diripuit, incenditque. Sic enim Herodotus [x]: Ὁ γὰρ διὰ Βοιωτῶν τρωπόμενος σρατὸς ἅμα Ξέρξῃ, ἐμπρήσας Θεσπείων τὴν πόλιν, αὐτῶν ἐκλελοιπότων ἐς Πελοπόννησον, καὶ τὴν Πλαταιέων ὡσαύτως, ἦκέ τε εἰς Ἀθήνας, καὶ πάντα ἐκεῖνα ἐκαῆ. Ενέπρησε δὲ Θεσπείων τε, καὶ Πλαταιέων πυθόμενος Θη-

[t] *Diod.* lib. xv. *A. z. O.* 104. [v] *Iliad. β.* ver. 500. [x] *Herod. in Urania.*

Ταίαν,

Βοίων, ὅτι οὐκ ἐμήδιζον. *Exercitus enim cum Xerxe Bœotiam ingreſſus, incensâ Theſpienſium Urbe, quam ipſi deſertam reliquerant in Peloponneſum fugientes, & ſimiliter Platæenſium, Athenas pervenit, omniaque regionis illius populabatur. Incendio autem Theſpiam Platæamque abſumpſit, certior à Thebanis factus, quod Medis adverſarentur.* Deinde Thebani eam bis fruſtra an. 4. O. 100. tentatam penitus everterunt tertio ab illinc anno[y]. Quamobrem Epaminondas hanc gentem ſuſpectam habens, noluit conjunctam cæteris Bœotis in prælio ad Leuctram dimicare, ac diſcedendi facultatem dedit. Auditâ verò Thebanorum victoriâ, in Cerenum agri ſui Caſtellum munitiſſimum ſeceſſit, ſibi à victoribus metuens; nec immeritò, quippe id ſtatim Epaminondas obſidione cinxit, atque expugnavit[z]: Thebis vix tandem ab Alexandro Magno deletis, caput è ruinis extulit; ac Ciceronis ætate ignobile oppidum ſolâ Cupidinis ſtatuâ, quam Phryne nobilis meretrix Civis ſua dicaverat, honeſtabatur: *Idem, opinor, Artifex ejuſdem modi Cupidinem fecit illum, qui eſt Theſpiis, propter quem Theſpiæ viſuntur, nam alia viſendi cauſa nulla eſt*[a]. Nunc Teſpe dicitur, vilis pagus, veteris dumtaxat urbis locum Viatoribus monſtrat.

[H] Platææ Bœotorum, urbs infra Cithæronem montem ſita, ſeptuaginta ſtadiis Thebis diſtans, non longè ab Aſopo flumine, memorabilis trecentorum millium Medorum clade, quam ibi à Græcis Mardonius ipſorum Imperator accepit; ſuâque obſidione, quam diu ſtrenuè, fortiſſimèque ſuſtinuit[b]. Homero non ignota; canit enim,

Οἵ τε Πλάταιαν ἔχον[c]

Quique Platæam habebant.

æquè inimicos habuit Thebanos, ac Lacedæmonios, nec minùs Athenienſes amicos. Prima Lacedæmoniis fuit odii cauſa, quod, abſoluto Perſico bello, cum,

[y] *Diod.* l. xv. [z] *Pauſ. in Bœot.* [a] *Cic.* Ver. 4. [b] *Strabo*, lib. ix. *Thucyd.* lib. iii. *Herod. Diod.* [c] *Hom. Iliad.* β. ver. 504.

et ipsi Archidamo exponunt [d] Παυσανίας ὁ Κλεομβρότου Λακεδαιμόνιος, ἐλευθερώσας τὴν Ἑλλάδα ἀπὸ τῶν Μήδων, μετὰ Ἑλλήνων τῶν ἐθελησάντων ξυνδιαγωνίσασθαι τὸν κίνδυνον τῆς μάχης, ἣ παρ' ἡμῖν ἐγένετο, θύσας ἐν τῇ Πλαταιέων ἀγορᾷ Διὶ Ἐλευθερίῳ ἱερά, καὶ συγκαλέσας πάντας τοὺς συμμάχους, ἐπῴκιδε Πλαταιεῦσι γῆν, καὶ πόλιν τὴν ὑφ' ἑαυτῶν ἔχουσαν αὐτονόμους οἰκεῖν· σφετέρᾳσι δὲ μηδένα πόλεμον ἐξεῖναι ἐπ' αὐτοὺς, μηδ' ἐπὶ δουλείᾳ. Εἰ δὲ μὴ, ἀμύνειν τοὺς παρόντας συμμάχους κατὰ δύναμιν, *Pausanias Lacedæmonius Cleombroti filius, liberatâ à Medis Græciâ, apud nos foret cum iis Græcorum, qui subeundo pugnæ discrimini non defuerunt, sacrificans in Platæensium Foro Jovi Liberatori victimas, omnesque invocans Socios, Platæensibus agrum, urbemque nostram habitandam, propriisque legibus temperandam reddidisset, unumquemque ab injuriis, aut servitute nobis inferendâ interdicens. Quod si secus; ab iis, qui adsint Socii, pro suis viribus conferri nobis auxilium*; cum, inquam, hoc beneficio Platæenses à Lacedæmoniis fuissent affecti, graviam iis non habuerunt. Nam cum Pausanias è manubiis Tripodem Delphis communi nomine ἀνέθηκε τῷ Ἀπόλλωνι τῶν Βαρβάρων, *datæ contra Barbaros fortitudinis præmium Apollini* dedicasset, donario, veluti sui esset unius, inscripsit:

Ἑλλήνων ἀρχηγὸς, ἐπεὶ κρατερὸν ὄλεσε Μήδων
Παυσανίας Φοίβῳ μνῆμ' ἀνέθηκε τόδε.

Græcorum Dux, postquam profligavit Medorum Copias,
Pausanias hoc monumentum Phœbo consecravit.

Quod ægrè cunctis Græcis ferentibus, soli Platæenses apud Amphictyonas mille talentûm actionem Lacedæmoniis pro sociis intenderunt, coegeruntque, erasis prioribus, versus alios apponere, quibus, quæ Urbes fuissent participes faciendi muneris, ostenderentur [e]. Fuerunt deinde graves, atque irati Platæensibus Lacedæmonii propter perpetuam illorum erga Athenienses familiaritatem. Quæ quidem familiaritas utilitate conciliata (quippe nimiùm Athenienſium intererat Platæas firmissimum contra Thebas propugnaculum

[d] *Thucyd.* lib. ii. [e] *Demosth. in Neæram.*

stare;

ſtare; ac Platæenſium, contra potentiſſimos hoſtes non deſtitui Athenienſium ope) mutuis beneficiis conſervata fuit. Siquidem ſoli Platæenſes in prælio cum Athenienſibus fuerunt apud Marathonem, eorumque naves conſcenderunt in navali pugnâ ad Artemiſium. Iſti contra nunquam fidiſſimis ſociis defuerunt, ſæpius ſuſceptâ illorum tutelâ, cum ipſis ad extremum uſque toleratâ ejus Urbis obſidione, qua captâ Civibus Scionem Inſulam habitandam dederunt, ac poſtremò, ut mox dicemus, Athenis receptos Civitate donarunt. Thebani eoſdem Platæenſes ingenti odio proſequebantur, quia ſibi morem gerere detrectabant, freti Athenienſium amicitiâ; ex eaque civitate periculum ſæpius fuerat ipſorum Reipublicæ. Fatum igitur diu agitatæ concuſſæque hujus Urbis id fuit: Xerxes Thebanis obſequutus illam, ut dudum diximus, flammis conflagravit an. 1. O. 75.[f] Non ſemel tentatam, ac dirâ demum obſidione labefactatam in deditionem acceperunt Lacedæmonii a. 3. O. 89. ut ex Thucyd. habetur, aut an. 2. Ol. 88. ut ex Diodoro[g]. Conceſſa Thebanis, incolenda datur Megarenſibus, iiſque ipſorum Platæenſium, qui exulabant. Inſequenti anno diruitur; ὕστερον δὲ, Thucydides inquit, καθελόντες αὐτὴν ἐς ἐδαφος πᾶσαν ἀπὸ τῶν θεμελίων, ᾠκοδόμησαν πρὸς τῷ Ἡραίῳ καλαγώγιον ἑκατὸν ποδῶν παντὶ πλευρᾷ κύκλῳ, οἰκήματα ἔχον κάτωθεν καὶ ἄνωθεν. Καὶ ὀροφαῖς καὶ θυρώμασι τοῖς τῶν Πλαταιέων ἐχρήσαντο· Καὶ τοῖς ἄλλοις ἃ ἦν ἐν τῷ τείχει ἐπιπλῆ, χαλκοῦς, καὶ σιδηροῦς, κλίνας κατασκευάσαντες, ἀνέθεσαν τῇ Ἥρᾳ, καὶ νεὼν ἑκατόμπεδον λίθινον ᾠκοδόμησαν αὐτῇ. Τὴν δὲ γῆν δημοσιώσαντες, ἀπεμίσθωσαν ἐπὶ δέκα ἔτη, καὶ ἐνέμοντο Θηβαῖοι. *Denuo ipſum à fundamentis omnem ſolo æquantes, diverſorium conſtruxerunt ducentorum ex omni parte pedum prope Junonis Templum, ſuper, atque infra habens cubicula, adhibitis ad contignationes ac poſtes iis, quæ Platæenſibus uſui fuerant. Quin etiam, quæ ipſorum muros ornabant, æs & ferrum, in lectos converſa, Junoni conſecrarunt, ipſique templum lapideum, centumque pedum*

[f] *Herod. in Urania.* [g] *Thucyd.* lib. iii. *Diod.* lib. xii.

*ædificarunt. Agrum verò publicatum, per decem annos mercede locarunt, coluerunt*que *Thebani.* Verùm eâ pace, quam Antalcides cum Perſis confecit an. 2. O. 98. cum ſuas obtinere urbes Græcis omnibus conceſſum foret, ex Athenis, aliiſque locis, quò diſperſi fugerant, Platæenſes congregati, Civitatem ſuam lætis animis inſtaurarunt [h]. Quòd ægrè ferentes Thebani, aſtu captam an. 3. O. 101. delerunt omnino, datumque viris cum ſingulis veſtibus, Mulieribus cum binis abire; omnes εἰς Ἀθήνας φυγόντες, τῆς ἰσοπολιτείας ἔτυχον διὰ τὴν χρηστότητα τοῦ δήμου. *Athenas fugientes, Populi benignitate, communi Civitatis jure donati ſunt*, ut Diodori verbis utar [i]. Nullum modò remanet ejus Civitatis veſtigium.

[I] Cum Urbes iſtæ, ut ſupra adnotavimus, vicinæ, atque infenſæ Thebanis eſſent, ut iſti ad ſuam pertinere utilitatem vehementer arbitrati ſunt eas excindere, ita dubitari non poterat, inſtauratas graviter iiſdem obfuturas, ipſorumque potentiæ frænum impoſituras.

[K] Arcadia, mediterranea Peloponneſi regio, virorum fortitudine, ingenio, induſtria, urbium ſplendore cunctis notiſſima, nec in memoriam hominum revocari, nec noſtra indiget commendatione. Nam undique literarum monumentis laudatur, ſuorumque Civium facinora paſſim in Græca hiſtoria ſe offerunt. Lacrymis potius ut reliquæ Græciæ, ſic hujus præſtantiſſimæ provinciæ calamitatem proſequamur, neceſſe eſt, quæ olim locorum amœnitate, ædificiorum magnificentiâ, Urbium clariſſimarum decore florentiſſima, nunc retinet nihil dignum priſtina majeſtate, vilibuſque ruderibus vix objicit literatorum oculis veſtigia veteris elegantiæ. Quamquam habet Arcadia, unde leviùs ferat amiſſæ gloriæ deſiderium. Noſtrâ ſiquidem ætate Romæ rediviva celebratur eximio præclariſſimorum hominum cœtu, qui omni ſcientiarum laude, & humaniorum præcipuè cumulati, ejus nomen ſempiternæ memoriæ commenda-

[h] *Pauſan. in Bœot.* [i] *Diod.* lib. XV. *Paus. in Bœot. Demoſth. in Nœeram.*

runt:

runt; ut jam nihil deſit Arcadiæ, quo aut Paſtorum antiquorum cantus, aut Civium doctrinam æquare modò non poſſit. Quin etiam Urbium nomina, & locorum omnium ad vetuſtatis recordationem retinet, eaque habitanda Paſtoribus tribuuntur in literatiſſimæ Gentis conventu, cujus ego liberalitate Timenis impoſito nomine campos Alcimedontios teneo.

[L] De Megalopoli ſatis jam diximus initio hujus Orationis.

[M] Lacedæmonii, qui per ea Peloponneſiaci belli tempora florentem adeo Reipublicæ ſtatum obtinuerunt, ut numquam magis, non regionis ſuæ amplitudine, quæ vix duas è quinque Peloponneſi partes complectebatur, ſed ejus totius dominatu, ad tantam gloriæ, ac virium magnitudinem pervenerant. Καὶ τοι Πελοποννήσου τῶν πέντε τὰς δύο μοίρας νέμοντες, τῆς τε ξυμπάσης ἡγοῦνται, καὶ τῶν ἔξω συμμάχων πολλῶν: *& Peloponneſi quidem duas è quinque partes colunt, univerſæque imperant, pluribuſque extra illam ſociis*, ut ſcribit Thucydides [k]. Nullus tamen tot Populorum iis libenter obtemperabat; quamobrem non ſemel Meſſenii, Argivi, Elæi, Corinthii, Arcades, aut inito inter ſe cum externiſque populis fœdere, aut arreptâ alicujus illorum calamitatis occaſione, ſeſe in libertatem vindicarunt. De hac re & aliqua jam diximus, & plura dabitur dicendi locus. Quæ Peloponneſiacorum voluntas cum Lacedæmoniis eſſet compertiſſima, nihil ſtudebant magis, quam illis in officio, ſibique obnoxiis continendis. Intelligebant enim multum ſibi timendum, ſi eos adverſarios haberent; nihil audendum, ſi eorumdem viribus deſtituerentur. Id autem dum reputo mecum ipſe, video equidem hanc Rempublicam non tantum clade Leuctrica labefactatam, quantum Sociorum in Peloponneſo, ac præſertim Arcadum defectione. Nam & facile fuiſſet bellicoſiſſimæ genti exercitum ſupplere; nec Thebani, niſi cum Arcadibus conjuncti, auſi fuiſſent Laconiam depopulari, Spartam in diſcrimen ſervitutis

[k] *Thucyd.* lib. i.

adducere.

adducere. Hinc tanto ſtudio ab iiſdem Thebanis, atque Athenienſibus perpetuò conquiſitæ aliquorum Peloponneſiorum ſocietates, ac tam diligenter excultæ. Hinc rectè hoc loco docet Demoſthenes, Lacedæmonem omnino convaliturum, ſibi ſi poſſet Arcades adjungere vi domitos, qui regionis magnitudine, Civium ſtrenuitate primas poſt eoſdem Lacedæmonios in Peloponneſo obtinebant.

[N] Arte quidem eximiâ præoccupat Civium animos, ne ipſum Thebanis favere putent, in quos voluntatis inclinatione propendere æſtimabatur, ut ſuperiùs adnotavimus. Cæterùm Athenienſes in quos magis odio, atque iracundiâ concitarentur, in Lacedæmonioſne, an in Thebanos nemo facilè dijudicabit. Etenim ſæpius cum utraque gente de Græciæ principatu decertaverant; cum utrâque ſæviſſima, ac diuturna bella ſuſceperant, quibus perſæpe Attica vaſtata, Athenæ in diſcrimen adductæ, quamquam nunquam à Thebanis, ſed à Lacedæmoniis captæ.

[O] Quæ cùm eſſent hujuſmodi, quis inficiari poterat, nihilum eſſe è Reipublicæ utilitate fractas eſſe illarum Urbium vires, ne ipſi pernicies procrearetur. Id non ſemel hoc loco urget Orator. Id repetit in Oratione adverſus Ariſtocratem: *Ἴσε ὅτι συμφέρει τῇ πόλει μήτε Θηβαίους, μήτε Λακεδαιμονίους ἰσχύειν. Scitis prodeſſe Reipublicæ Thebanos & Lacedæmonios viribus non pollere*; & ubicunque ſe illi offert occaſio. Quin per ſe ipſa res clamat. Cum enim præter duas illas Civitates nulla par eſſet Athenienſibus [1], à quonam vulnus accipere potuiſſent?

[P] Pugnam ad Mantineam, Copiarum numero Diodorus Græcarum omnium clariſſimam vocat; pugnandi ardore, ac diſciplinâ inter nobiliores nemo dubitat collocare. Diligentiſſimè ab ipſo Diodoro deſcribitur, nec parum accuratè à Xenophonte [m]. Nos rem notiſſimam noſtro more paucis complectemur. Arcades Piſæis conjuncti ab Olympico Templo Elecs

[1] *Demoſth. Olynth.* 3. [m] *Died.* lib. xv. *Xenoph. de reb. Græcor.* lib. vii.

dejecerant,

dejecerant, ejus, ſacrarumque opum potiti. Cum tandem belli incommodis feſſi pacem componere decreviſſent, abnuebant Mantineenſes, quippe uſurpatam in proprios uſus ſacratæ [n] pecuniæ partem, abſoluto cum Eleis diſſidio, retinere minimè potuiſſent. Sententiarum diverſitatem arma ſequuta ſunt, datumque factionibus nomen hinc à Tegeatis, illinc à Mantineenſibus. Exteri in ſocietatem vocati, affuerunt Tegeatis (quibuſcum faciebat major Arcadum pars) Achæi, Bœoti, Argivi; Mantineenſibus, Elei, Athenienſes, Lacedæmonii. His pluſquam viginti peditum, duo equitum millia ſub ſignis fuerunt; illis millia pariter triginta peditum, equitum tria. Primi Lacedæmonii Tegeatarum agros invaſerunt, quos ulturus Epaminondas, eâque ratus expeditione vacuam à militibus Spartam fore, illuc Bœotos ducit. Verùm Agis Spartæ Rex, detecto inimicorum conſilio, mandat Ageſilao, qui Regum alter ad urbis cuſtodiam relictus fuerat, eam tantiſper, ut poſſit, defendere, ſe ſtatim cum omni exercitu affuturum. Igitur Epaminondas, cum Lacedæmonem perveniſſet, intelligens nec improviſò adveniſſe, & hoſtem à tergo ſequi, è re nata conſilium capit reducendi copias, Mantineamque invadendi, quam Agidis diſceſſu non cuſtoditam arbitrabatur. Sed eam in tempore ſex Athenienſium millia ſub Hagelocho duce firmaverant. Quare eò redactis brevi utriuſque partis cohortibus, acies ad dimicandum inſtruitur. Diu pugnatum eſt dubio Marte. Pellitur initiò à Thebanorum turmis Athenienſium equitatus, qui fugiens, Euboeenſium Equitibus occurrit, ad occupanda editiora loca præmiſſis, cunctoſque interimit. Thebani verò Equites Athenienſium urgent peditatum, atque in diſcrimen adducunt; ſed iſte confirmatus ab Eleorum Equitibus rurſus aciem exæquat. Incerto adhuc Marte dimicabatur, cum Epaminondas, facto fortiſſimorum Bœotorum agmine, in hoſtes irrumpit, impellit ordines, in fugam vertit, ſed lethali accepto vulnere vix ex

[n] *Ar. 2. O. 104.*

hoſtium

hoſtium manibus ereptus in Caſtra ducitur, ac receptui canitur. Utraque pars Tropæum erigit, cruentâ pugnâ, dubiâ victoriâ. Hoc illud fuit ad Mantineam prælium atrox, ac memorandum, quo confectus vulnere Epaminondas Græcorum Imperatorum facilè princeps occubuit, ac Thebanorum potentia fracta eſt, ut eo vivente adoleverat; quo pariter bello, ut diximus, utque hoc loco Demoſthenes admonet, adverſus Arcades arma Athenienſes tulerunt.

[Q] Simul verò conjuncti Lacedæmoniis communi conſilio dimicarunt; hos enim Orator nunc indicat, contra quos aliqui abſurdum exiſtimabant, Arcadibus Rempublicam opitulari; cum iſtos tunc hoſtes acerbos habuerit; illos Martis diſcrimen ſecum fortiter obeuntes.

[R] Meſſene clariſſima Peloponneſi Regio ſita erat ad occaſum Solis, Laconiæ, Arcadiæ, Elidique contermina; nomen accepit à Meſſene Polycaonis uxore. Troicis temporibus Menelao paruit: *αὕτη δὲ ἐπὶ μὲν τῶν Τρωϊκῶν ὑπὸ Μενελάῳ ἐτέτακτο, hæc Troicis temporibus Menelao obtemperabat*, inquit Strabo [o], refert Pauſanias, colligitur ex Homero, qui Agamemnonem ſeptem in illa Urbes Achilli promittentem inducit, quod facere non potuiſſet, niſi fraterni Imperii fiduciâ. Diodorus [p] eam dicit morem geſſiſſe Nelei ac Neſtoris Familiæ uſque ad Trojanum tempus, deinde Oreſti Agamemnonis filio, veritus opinor, ne ſimul tribui poſſet Neſtori, quem illius quoque potitum Pauſanias affirmat, ac Menelao. At in hujuſmodi re nefas eſt Homero contradicere. Nos liberaliter utrique partem aliquam aſſignamus, & ſi quiſpiam neget, tria cum illo verba non commutabimus. Certum eſt gentem Agamemnoniam uſque ad Heraclidarum reditum illam obtinuiſſe, quorum Creſphontes ejuſque Poſteri ſibi aſſeruerunt, quoad in Lacedæmoniorum poteſtatem redacta eſt. Pauſanias ejuſdem Regum ſeriem, tempus, facinora diligenter conquiſita literis conſignavit, à quo fonte iiſdem ferè verbis dimanaſſe vidimus, quæcumque ab omnibus

[o] *Strabo* l. viii. *Pauſ. in Meſſeniacis, Homer. Iliad.* β. [p] *Diod.* l. xv.

prope

prope de hoc argumento ſunt pertractata. Mihi ſatis erit, quæ ad Lacedæmoniorum odium cum ea gente referuntur, narrare; quippe ea ſolùm pertinent ad hunc Demoſthenis locum illuſtrandum. Prius tamen dicere non prætermittimus, in hac ipſa regione ad Meſſeniacum ſinum Urbem illi cognominem ſeriùs fuiſſe ædificatam, cujus arx Ithome fuit [q]. Primam odii cauſam uterque Populus à ſe deprecatur. Lacedæmonii eam referunt ſuarum Virginum ſtupro, ac morti Teleclo Regi, injuriam propulſare conanti, à Meſſeniis illatæ ad Templum Dianæ, in Provinciæ finibus poſitum, quò Rex ille ac Puellæ venerant religionis causâ. Meſſenii non Lacænas Virgines à ſe conſtrupatas, ſed Pueros, muliebri veſte cum Rege immiſſos ad obtinendam regionem, obtruncatos fuiſſe dicunt. Hæc tamen diſcordiarum ſemina nonniſi poſt centum annos in bellorum ſtirpes erupere, initio facto à Lacedæmoniis, regnum apud eos obtinentibus Alcamene, ac Theopompo [r]. Et ſanè armorum cauſa quæſita potius eſt, quàm oblata. Polychares enim Meſſenius, cum Evæphno Lacedæmonio Boum armenta locaſſet, diſtractaque pretio comperiſſet, ac ipſi non modò pecuniam non repræſentaret Evæphnus, ſed ejus quoque filium fraude ſecum adductum interemiſſet, Spartam venit ſcelus expoſtulaturus. Cum verò nullum ſibi daretur Judicium, furiis captus, quotquot obviam habuit Lacedæmoniorum, occidit. Ad ſuos deinde confugiens, ab ipſis Lacedæmoniis expetebatur, ut pœnas daret. Cum autem indemnatum Civem ultioni tradere pernegaſſent, bellum exarſit, quod anno vigeſimo Meſſeniis victis, excisâque Ithome debellatum eſt [s], dum Hippomenes, Athenis Prætor, decennalis imperii quartum ageret annum, ut ait Pauſanias, cujus authoritatem hoc loco, & in aliis hiſce Meſſeniacarum rerum temporibus deſerere in computandis annis, neceſſe eſt (Amaſæi utor interpretatione, cum modò Pauſaniam Græcum ad manum non habeam.) Siquidem Hippo-

[q] *Strabo ut ſupra.* [r] *An.* 2. *O.* 10. [s] *An.* 2. *O.* 15.

menes

menes decennalium Archontum quartus fuit. Anno verò primo, Olympiadis ſeptimæ Athenis ſancitum eſt, ut hoc abrogato perpetuo Magiſtratu, decennalis fieret. Annus igitur Hippomenis quartus in ſecundum incidit Ol. 15. Unde optimo calculo per annos undequadraginta (quod interceſſit ſpatium inter primum, ac ſecundum bellum Meſſeniacum) pervenitur ad annuum Tleſiæ apud Athenienſes Magiſtratum quo bellum iſtud inſtauratum eſt. Cum enim a. 3. O. 24. deleto decennali imperio annuum ſubrogatum fuerit, primuſque Prætor creatus Creon, deinde Tleſia, hunc præturam egiſſe ann. 1. O. 25. ſcilicet triginta novem annis à primo Meſſeniaco bello, patet; In quo pariter non rectè computans Pauſanias emendandus eſt. Hoc igitur anno [t] cum palam defeciſſent à Lacedæmoniis Meſſenii, extremis utrinque viribus, magnis odiis, magno rerum eventu, variâque fortunâ bellum ſuſceptum eſt, atque ab Ariſtomene Meſſeniorum duce tanto conſilio, arte, ſtrenuitate, induſtriâque adminiſtratum, ut humanas vires exceſſiſſe videatur. Poſt multas acceptas, illataſque clades, tandem Meſſenii ab Ariſtocrate Arcadum Rege proditi, Eræque in munitiſſimo oppido concluſi, longâ undecim annorum obſidione ad extremum redacti, non ſe hoſtibus dediderunt, ſed agmine facto ſimul cum liberis, conjugibuſque in Arcadiam diſceſſerunt. Qui pauci in agro remanſerant, in ſervitutem redacti, ager publicatus Autoſthene Athenis Prætore. Qui verò abſceſſerant, in Arcadia, Cephalenia, Sicilia, ubi Meſſenam condiderunt, aliiſque in terris, ob eorum virtutem ſummo cum honore excepti, domiciſii ſedem obtinuerunt. Illi autem odio ſervitutis paucis poſt annis iterum rebellarunt, munitâque Ithome, per annum Lacedæmonios exercuerunt [u], ſed vi tandem domiti, & ſub corona venditi è patrio diſcedere ſolo coacti ſunt. Ita domo profugi per trecentos fere annos retinuerunt patrios mores, & linguam, Lacedæmoniorum odium, vehe-

[t] *A.* 1. *O.* 28. [u] *A.* 4. *O.* 29.

mentiſſimumque

mentiſſimumque Regionis ſuæ deſiderium; donec Leuctricâ pugnâ fractis eorumdem Lacedæmoniorum viribus, Thebani exiſtimantes ad eas magis magiſque conterendas nihil utilius fore, quam Meſſenios in antiquas ſedes reducere, eos pridem, ut putabant, in hanc ſpem divinitus adductos, miſſis legationibus, lætos, atque alacres revocarunt, inſtauratâ rurſus Meſſene, ſolemnique ritu ab Epaminonda expiatâ, anno poſt Leuctricam pugnam primo [x]. Quæ cum ita ſe habeant, reſtituendus eſt locus Orationis Dinarchi contra Demoſthenem, ubi de Thebanis poſt Leuctricam victoriam ait: Μεσσήνην τριακοσιοστῷ ἔτει κατῴκισαν, Ἀρκάδας αὐτονόμους ἐποίησαν. *Meſſenem quadringenteſimo anno* (poſt excidium) *inſtaurarunt. Arcades in libertatem vindicarunt.* Cum dicere debeat, τριακοσιοστῷ, *trecenteſimo*; facili ſcriptoris lapſu in notis numeralibus, exarantis ν pro τ, ne tam craſſus Dinarcho error appingatur. Quievere Lacedæmonii Thebanorum metu, quoad iſti afflicti Mantineenſi prælio, detentique Phocenſi bello, illis animum dederunt Meſſenem iterum divexandi, ſed irrito conatu. Nunquam verò ab ipſa dejecerunt oculos, perpetuiſque odiis utraque gens una in aliam conſpiravit, donec ſubactâ penitus Græciâ, Meſſene quoque in Demetrii Macedonum Regis poteſtatem venit. Hæc nos acervatim collegimus à Pauſania præſertim, quædam quoque à Diodoro, Thucydide, aliiſque [y], ut luculenter pateat, quàm verè, quantúmque ex ipſa rei naturâ Demoſthenes arbitretur, Lacedæmonios, ſi vires inſtaurent, æmulam, odioſamque urbem illicò aggreſſuros.

[s] Cum prælium ad Mantineam unicuique Græcorum grave, atque acerbum accidiſſet, de pace cogitarunt, qua vel Meſſenios contineri cum cæteri vellent, detrectarent Lacedæmonii, ab iſtis repudiata eſt: οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι, Diodorum affero [z], διὰ τὴν πρὸς τούτους αἰεὶ ἀλλακτον ἀλλοτριότητα, τῶν ἀπονοιῶν ἐ πρὸ-

[x] *Ann.* 3. *O.* 102. [y] *Pauſan. in Meſſeni. Diod.* lib. xv. *Thucyd.* lib. i. [z] *Diod.* lib. xv.

εἰλοῦ-

εἰλοῦτο καινοτέραν διὰ τὴν Μεσσηνίους, τὴ μόνοι τῶν Ἑλλήνων ὑπῆρχον ἐκεχειρίαι. *Lacedæmonii verò, propter implacabilem à Meſſeniis alienationem, pacis participes eſſe noluerunt, & ſoli Græcorum iſtiuſmodi concludi fœdere detrectarunt.* Arreptâ igitur occaſione, cum Thebani Phocenſi bello detinerentur, arma contra Meſſenios ferre in animum induxerunt, quâmvis & ipſi eodem Phocenſi bello diſtracti. Illi contra, Argivorum atque Arcadum auxiliis ſe munire, Athenas etiam opem oratum mittere. Datum ab Athenienſibus reſponſum, ſe nolle in Laconiam ingredi infeſtis armis; auxilium quidem laturos, ſi ab eorum Regione non abſtineant Lacedæmonii [a]. Quo conſilio arbitror cautum fœderi voluiſſe, quo cum Spartanis tum conjungebantur; ſimul verò Meſſeniorum incolumitati. Id actum fuiſſe non dubito ante hujus Orationis tempus, cum jam per duos annos Phocenſe bellum ageretur; nec aliud, quàm iſtud decretum Demoſthenem hoc loco ante oculos habuiſſe.

[T] Nimiùm profectò erat ex Athenienſium utilitate, Meſſenem ſtare, quippe quæ Lacedæmoniorum vires, atque audaciam frangeret; Cujus rei non ignari ſemper ab ejus pernicie animum longè alienum geſſerunt, vel cum de Græciæ principatu non decertarunt. Quamobrem in ſecundo Meſſeniaco bello cum Spartani de illius exitu Delphicum Apollinem conſuluiſſent, audiſſentque fore ſe victoriæ compotes, ſi alicujus Athenienſis conſilio in re agenda uterentur, iis petentibus Athenienſes Tyrtæum dederunt ludimagiſtrum, poetam, nec mentis omnino compotem, rati, nullius conſilii hominem non modò nihil boni, ſed labem ipſis pariturum, cum interim promptâ hominis conceſſione adverſam Meſſeniorum ruinæ voluntatem celarent. Quamquam res accidit præter illorum ſententiam, incenſis à Tyrtæo, obfirmatiſque Spartanorum animis ad Meſſenes excidium, quoad illud atrociſſimè intulerint [b].

a *Pauſan. in Meſſen.* b Ibid. *Diod.* lib. xv. xxi.

[υ] De Oropo Bœotiæ ſermo eſt, nam plures Oropos Stephanus recenſet. Urbs erat ad mare contra Eretriam ſita, inter Atticam, Bœotiamque; utrique enim regioni adſcripta fuit, prout illam Thebani, vel Athenienſes obtinuere. Ὠρωπὸς δ' ἐν ἀμφισβητησίμῳ γεγένηται πολλάκις. Ἵδρυται γὰρ ἐν μεσορίῳ τῆς τε Ἀττικῆς, καὶ τῆς Βοιωτίας. *Oropus ſæpe in controverſiam venit. Sita eſt enim in confinio Atticæ, Bœotiæque*, Strabo nos monet [c]. Ab Oropo Macedonis filio, Lycaonis nepote, nomen accepit; nunc *Suſamino* dicitur. Ejus Thebani potiti ſunt [d], in auxilium à quibuſdam Oropiorum exulibus vocati, ut ipſos in Patriam reducerent. Civibus deinde jus ſuæ Civitatis dederunt, Urbem Bœotiæ annumerarunt. Ab iis in Athenienſium poteſtatem veniſſe, quamvis à nemine Hiſtoricorum habeamus, in dubium revocari nequit, cum a. 3. O. 103. erepta iis fuerit à Themeſione Eretriæ Tyranno (Xenophon ſcribit ab exulibus). At ipſum Diodorum rem enarrantem audiamus: ἐπὶ δὲ τούτων Θεμεσίων ὁ Ἐρετρίας Τύραννος Ὠρωπὸν κατελάβετο. Ταύτην δὲ τὴν πόλιν ἦσαν Ἀθηναίων παραλόγως ἀπέβαλε. Τῶν γὰρ Ἀθηναίων στρατευσαμένων ἐπ' αὐτὸν, καὶ πολὺ ταῖς δυνάμεσιν ὑπερεχόντων, οἱ Θηβαῖοι βοηθήσαντες αὐτῷ, καὶ παραλαβόντες ἐν παρακαταθήκῃ τὴν πόλιν, οὐκ ἀπέδωκαν. *Interea Themeſion Eretriæ Tyrannus Oropum cepit. Quam civitatem, quæ juris Athenienſium erat, inopinato amiſit. Ab Athenienſibus enim factâ in ipſum magnis viribus expeditione, qua illum ſuperabant, auxiliatum eidem Thebani advenerunt, Urbemque ut depoſitum accipientes, nunquam reſtituerunt* [e]. Victis à Philippo Græcis apud Chæroneam, impoſitoque Thebis præſidio, cum datum ei foret Imperatoris munus adverſus Perſas, Oropum Athenienſibus tradidit [f], opinor, gratiam fortiſſimæ gentis hoc beneficio initurus, cum ipſi in Aſiam trajiciendum eſſet. Τὴν δὲ γῆν Ὠρωπίαν, Pauſanias docet [g], μεθόριον τῆς Ἀττικῆς, καὶ Ταναγρικῆς,

[c] *Strabo* lib. ix. [d] *A.* 3. *O.* 94. [e] *Diod.* lib. xv. *Xenoph. Hiſt. Græc.* lib. iv. *Ulpian. in Orat. de Cor.* [f] *An.* 3. *O.* 110. [g] *Pauſan. in Atticis.*

Βοιωτίαν τὸ ἐξ ἀρχῆς ὄσαν, ἔχουσιν ἐφ' ἡμῶν Ἀθηναῖοι· πολεμήσαντες δὲ τὸν πάντα ὑπὲρ αὐτῆς χρόνον, κτησάμενοι δὲ ἅπαξ πρότερον βεβαίως, πρὶν ἢ Φίλιππος Θήβας ἑλὼν ἔθηκε σφίσιν. Ἡ μὲν οὖν πόλις ἐστὶ ἐπὶ θαλάσσης, μέγα οὐδὲν εἰς συγγραφὴν παρεχομένη. *Oropiam terram, inter Atticam Tanagriamque poſitam, quæ primùm in Bœotiæ parte reponebatur, noſtra ætate Athenienſes habuerunt. Perpetuis eam bellis tentatam, non prius tutò obtinuerunt, quàm à Philippo, Thebis in poteſtatem ſuam redactis, acceperint. Urbs eſt ad mare, Hiſtoriâque dignum nihil exhibet.* Igitur dum hæc haberetur Oratio in Thebanorum ditione reperiebatur. Quæ deinceps huic urbi contigerint noſtrum non eſt enarrare.

[x] Ad recuperandum Oropum ſibi non defutura Lacedæmoniorum auxilia Athenienſes non dubitabant, quippe quorum maximè intererat Thebanorum Imperium imminui, & accepti ab ipſis Athenienſibus ſubſidii vicem in maximis Reipublicæ neceſſitatibus, rependere debuiſſent.

[y] Senſus Orationis hoc loco primo aſpectu videtur obſcurus. Cur enim, qui Athenienſibus ſuaſerant, afflictis Lacedæmoniorum rebus ſuccurrere, ſeſeque illis reconciliare, ii nequeant eoſdem Athenienſes ab ope Arcadibus ferenda diſſuadere? Immo huic ipſi cum Spartanis initæ familiaritati videtur congruere, Arcadas iis inimicos rejicere. At non ita res habet. Cauſam reconciliatæ gratiæ ſolertiſſimus Orator ſpectat, quæ fuerat, ne nimiùm ex aliorum depreſſione quiſpiam Græcorum creſceret; proindeque Athenienſes, relictâ Thebanorum ſocietate, labefactatos Lacedæmonios juverant. Igitur qui, hac ſibi agendi ratione propoſitâ, Rempublicam ad eorundem Lacedæmoniorum auxilium hortati fuerant; pari causâ integrum iis non erat, Arcadas excludere, quibus ſuccumbentibus magnum cepiſſet incrementum Spartanorum robur, atque audacia.

[z] Facti hujus Hiſtoria, quam Xenophon [h] deſcribit, niſi è Diodori narratione ſuppleatur, cum hoc

[h] *Xenoph.* lib. vi. *Diod.* lib. xv. *A.* 4. *O.* 102.

Demoſthenis

Demoſthenis loco non conveniret. Nos ita rem breviter enodamus. Poſtquam ad Leuctra dimicatum eſt, Athenienſes cunctas Peloponneſi urbes ad libertatem invitarunt. Hac voce Mantineenſes excitati, mœnibus refectis Civitatem ſuam munire ſtatuerunt. Quod iniquè ferentes Lacedæmonii prius Legatione, deinde armis impedire conantur. Ob hanc ipſam omnibus propoſitam libertatem diffidebant quoque inter ſe Arcades, pluribus quippe renuentibus urbes jamdiu ſibi ſubditas eximi ſervitute. Itaque Lacedæmoniorum exercitus Tegeatis, ſociiſque auxilium contra Mantineenſes laturus, Arcadiam ingreditur. Mantineenſes contra, ac reliqui Arcades obſiſtunt, pugnant, vincunt. Οἱ δὲ Ἀρκάδες, καίπερ νενικηκότες, ὅμως εὐλαβῶντο τὸ βάρος τῆς Σπάρτης, καὶ καθ' αὑτὸὺς οὐχ ὑπέλαβον δυνήσεσθαι τοῖς Λακεδαιμονίοις διαπολεμεῖν. Διὸ καὶ παραλαβόντες Ἀργείους τε, καὶ Ἠλείους, τὸ μὲν πρῶτον πρέσβεις ἀπέστειλαν εἰς τὰς Ἀθήνας, ἀξιοῦντες συμμαχίαν ποιήσασθαι καθ' αὑτῶν Σπαρτιατῶν. Ὡς δ' ἐδόκει αὐτοῖς προσεῖχε, διὸ πρεσβευσάμενοι πρὸς τοὺς Θηβαίους, ἔπεισαν αὐτοὺς συμμαχίαν συνθέσθαι καθ' τῶν Λακεδαιμονίων, &c. *Qui quidem Arcades, quamvis victores, attamen gravem, magnique momenti Spartanorum potentiam verebantur, nec tanti ſuas vires faciebant, ut ſe poſſe crederent æquo Marte cum iis pugnare. Quapropter cum Argivis, Eleiſque, Athenas primùm Legatos miſerunt poſtulatum, ut ſecum arma contra Spartanos conjungerent. Cum verò nemo ipſis mentem adhiberet, conversâ ad Thebanos Legatione, eos ad conflandam ſecum adverſus eoſdem Lacedæmonios ſocietatem, perſuaſerunt.* Quæ ſunt Diodori verba, unde locus iſte Orationis clariſſimâ luce perfunditur.

[A] Debet profectò qui beneficium accipit, rependere vice ſuâ. Ita Lacedæmonii, qui ſuæ ſalutem Reipublicæ tum temporis acceptam Athenienſibus referebant, ingratiſſimi animi vitio laboraſſent, iis ope ſuâ ad recuperandum Oropum denegatâ.

[B] Præoccupat ſummo artificio gravem aliquorum difficultatem, quorum hic erat ſermo. Si quotidie ſocios mutamus, modò Thebanis conjuncti, modò

ipſorum hoſtibus Lacedæmoniis, iterum contra iſtos Arcadibus, ſuſpecta cunctis erit Reſpublica, nullius firma utetur conſuetudine.

[c] Quam difficultatem non minus artificiosè diſſolvit. Ait enim, hujuſmodi ſociorum commutatione tantùm abeſſe, ut Reſpublica venerit cuipiam in ſuſpicionem, quin potius omnium ſibi conciliaverit benevolentiam, cum eò ſolùm varietas iſta fœderum collimaverit, ut à cunctorum Græcorum cervicibus labem perniciemque depelleret. Ita prius à Thebanis ſtetiſſe, quoad ipſi diſcrimen libertatis obierunt. Quod periculum cum in Lacedæmonios converſum fuit, in iſtorum partes tranſiiſſe.

[d] Non de alia loquitur Athenienſium in Eubœam expeditione, quàm quæ accidit ann. 3. Ol. 105. atque ideo poſtremam vocat. Maximis eo tempore lacerabantur diſcordiis Eubœenſes, quamobrem alii Thebanorum, alii Athenienſium opem invocaverant. Præſtò utrique fuere; ſæpius leviter decertatum eſt, numquam tamen juſto prælio. Cives denique crebris depopulationibus atque excidiis afflicti ad ſanam mentem redierunt, pace inter ſe facta. Quamobrem Thebani ad ſuos reverſi, depoſitiſque armis, Inſulam deſeruerunt [i]. Hinc Demoſthenes indicat, Cives illos, Athenienſium ſubſidiis confirmatos, potuiſſe ſtatum ſuum retinere, Thebanorumque jugum detrectare.

[e] Alteram ſicam ex Adverſariorum manibus Demoſthenes hoc loco eripit admirabili ſagacitate. Extollebant enim ad captandam Populi benevolentiam, Lacedæmoniorum æquitatem, dicebantque illorum ſententiam eſſe, ut quiſque redeat in locorum ſuorum poſſeſſionem. Hanc enimvero æquitatem eos aſtutè præ ſe ferre ait, ratos ab occupanda Meſſene impeditum non iri, cum aliis voluntatem, operamque præſtiterint, ut quicquid ſibi dolent ereptum, recuperare poſſint. Quod ad Triphyliam attinet audiendus eſt Polybius [k], qui ſic regionem deſcribit: ἡ (Τριφύλια) τῆς μὲν προσηγορίας τέτευχε ταύτης ἀπὸ Τριφάλε τοῦ τῶν

[i] *Diod.* lib. xvi. [k] *Polyb.* lib. iv.

Ἀρκάδων

Ἀρκάδων παιδός. Κεῖται δὲ τῆς Πελοποννήσου παρὰ θάλατταν, μεταξὺ τῆς Ηλειῶν, καὶ Μεσσηνίων χώρας. Τετράπεται δὲ εἰς τὸ Λιβυκὸν πέλαγον, ἐκλελύκυσα τῆς Αχαΐας ὡς πρὸς χειμερινὰς δύσεις. Ἔχει ἐν αὐτῇ πόλεις ταύτας, Σαμικὸν, Λέπρεον, Ὕπαναν, Τυπανάιαν, Πύργον, Αἰπυὸν, Βώλακον, Στυλλάγιον, Φρίξαν. Ὧν ὀλίγοις χρόνοις πρότερον ἐπεκράτησαν Ηλεῖοι, προσελάβοντο καὶ τὴν τῶν Αλιφειρέων πόλιν οὖσαν ἐξ ἀρχῆς Αρκαδίας. *Quæ* (Triphylia) *hanc ſuſcepit appellationem à Triphalo Arcade puero. Sita eſt in Peloponneſo ad mare inter Eleos, Meſſenioſque. Reſpicit Libycum pelagum ad hybernum occaſum in ultima Achaiæ parte, iſtaſque habet urbes, Samium, Lepreum, Hypanam, Typanæam, Pyrgum, Æpyum, Bolacum, Styllagium, Phrixam. Quas paucis ante annis in ditionem ſuam redegerunt Elei, atque Urbem quoque Aliphereorum, quæ initiò Arcadum fuerat.* Strabo[l] Triphyliæ nomen derivat à tribus Phylis, id eſt, populis, qui ſimul in iis terris convenerint, ſcilicet Epæis, Minyis, atque Eleis, qui ex ejus etiam ſententia cæteris prævaluerunt. De hac regione, ad quoſnam pertineret, jampridem contendebant Arcades, atque Elei, cum an. 4. O. 103. Arcadum exules, qui apud Eleos commorabantur, impetu in illam facto, munitiſſimum oppidum Laſſionem occuparunt. Hinc bellum ortum inter utramque gentem, quo bello, prout una alteram ſuperabat, alterutra invicem Triphyliæ potita eſt. Demum Arcades, inſtructi quoque Athenienſium viribus, Exulibus, Eleiſque profligatis, non ſolùm Laſſionem cum ea regionis parte recuperarunt, ſed Elidis pariter urbes Marganum, Cronion, Cypariſſiam, & Coryphaſion ſubegerunt[m]. Id igitur locorum Lacedæmonii vociferabantur Eleis reſtituendum eſſe;

[F G] Iiſdemque rurſus Exulibus, quos modò memoravimus, Patriam ſuam. Demum Phliaſiis Tricaranum; quod oppidum iis ademerant Argivi non multò poſt Leuctricam pugnam: Καὶ τῶν Αργείων ἐπιτειχισάντων ἐν τῷ Φλιάσι τὸ ὑπὲρ τοῦ Ηραίου Τρικάρανον. *Argivis munientibus Tricaranon in agro Phliaſio poſitum*

[l] *Strabo* lib. viii. [m] *Diod.* lib. xv.

ſuper Junonis templum; & alibi: οἱ δὲ Ἀργεῖοι ὠμόσαντες ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς τούτοις εἰρήνην ποιήσασθαι, ἐπεὶ οὐκ ἐδύναντο καταπράξαι, ὥστε τοὺς τῶν Φλιασίων Φυγάδας μένειν ἐν τῷ Τρικαράνῳ, ὡς ἐν τῇ ἑαυτῶν πόλει ἔχοντες παραλαβόντες ἐφρούρουν, Φάσκοντες σφίσιν ἀμφίεραν καὶ τὴν γῆν ταύτην εἶναι, ἣν ὀλίγῳ πρότερον, ὡς πολεμίαν οὖσαν, εἶλον. Καὶ δίκας τῶν Φλιασίων προκαλουμένων οὐκ ἐδίδοσαν. *Argivi autem, quamquam his ipſis conditionibus pacem juraſſent, cum tamen efficere non poſſent, ut Phliaſiorum Exules Tricarani manerent, ut in propria Civitate, eos in fide atque amicitiâ ſuſceptos, præſidio firmarunt; dicebantque regionem illam in ſua eſſe poteſtate, quam veluti hoſtilem paulo ante fuerant depopulati. Cumque idcirco à Phliaſiis in Judicium vocati eſſent, non reſponderunt*; ſcribit Xenophon [n]. Porrò enarratorum Exulum, Eleorumque partes ſuſceperant Lacedæmonii Arcadum odio; Phliaſiorum verò propter ſingularem in eos benevolentiam, qui ſemper ſummâ fide in amicitia manſerant, atque ita manſerant, ut diras potius ab Arcadibus Argiviſque ferre calamitates voluerint, quàm ab ea divelli, quamvis poſt memoratam Leuctricam pugnam res Lacedæmoniorum conciſæ plurimùm fuerint. Quam voluntatis conſtantiam ampliſſimis proſequitur laudibus Xenophon lib. vii. de rebus geſtis Græcorum. Phliaſii Sicyoniis finitimi, primò inter Argivos connumerabantur, à quibus diviſi eorundem odium effugere non potuerunt. Phliuns ipſorum urbs prius Arantea, ab Arante conditore homine indigena, dicta eſt, Aræthyrea ab ejus filia hujus nominis, Phliuns demum, omniſque regio Phliaſia à Phliante Bacchi atque Aræthyreæ filio [o]. Ἀραιθυρέα δ' ἐστὶν ἡ νῦν καλουμένη Φλιασία. Πόλιν δ' εἶχεν ὁμώνυμον τῇ χώρᾳ πρὸς ὄρει Κολλούσσῃ. Οἱ δὲ ὕστερον ἀναστάντες ἐκεῖθεν, πρὸς τριάκοντα σταδίων ἔκτισαν πόλιν, ἣν ἐκάλεσαν Φλιοῦντα. *Eſt autem Aræthyrea illa, quæ dicitur Phliaſia. Urbem habet regioni cognominem ad montem Cœloſſem. Poſteri illinc diſcedentes, Urbem conſtruxerunt à prima ſtadiis triginta remotam,*

[n] *Xenoph. de reb. Græcor.* lib. vii. [o] *Pauſan. in Corinth.*

quam

quam Phliuntem appellavere; inquit Strabo [p], Phliuntem Argonautarum numero adſcribit Rhodius Apollonius, ejuſque genus his libri primi verſibus deſcribit.

Φλίας αὖτ' ἐπὶ τοῖσιν Ἀραιθυρέηθεν ἵκανεν,
Ἔνθ' ἀρνειὸς ἔναιε, Διωνύσιοιο ἑκήλι
Πατρὶς ἑῇ, πηγῇσιν ἐφέστιος Ἀσωποῖο.
Phlias cum iſtis Arætkyreâ venit,
Hìc pecudum dives habitabat, Bacchi voluntate
Patris ſui, ſtabili ſede apud fontes Aſopi.

Phliuns nunc *Rupela*, aut *Yri*, dicitur, nullius nominis vicus.

Pag. 24. l. 22. Καὶ μετὰ τῶν ἄλλων &c. De Phocenſibus, Theſſalis, Corinthiis, aliiſque loquitur, quorum cum profectò non intereſſet Imperio Thebanos augeri, eripiendo ex iſtorum manibus Oropo vires ſuas Athenienſibus commodaſſent, veriti etiam, ne illi, ſi alieno impunè aſſueſcerent uſurpare, in ipſos aliquando evaderent audaciores.

[K] Nunquam ſolertiſſimus Demoſthenes quidpiam prætermittit, quod in rem ſuam faciat. Igitur ut undequaque Adverſarios capiat, urget modò, atque oſtendit, non ideo permittendum eſſe Spartanis Meſſenem ſibi adjicere, ut hac facilitate deliniti, opem ſuam pro recuperando Oropo Athenienſibus præbeant; quippe utilius eſſe Reipublicæ eam Civitatem Thebanis deferere, quàm Lacedæmonios amplificare vires, atque Imperium ſuum; hinc enim periculum ipſi procrearetur; nullum, ſi Oropo deſtituatur.

[L] Iterum in ſermonem cadit Mantineenſe prælium, in quo, ut pridem enunciavimus, Arcadum alii fuerunt ab una, alii ab altera parte. Megalopolitas in acie cum Thebanis contra Athenienſes, ac Lacedæmonios conſtitiſſe palam facit iſte Demoſthenis locus, à quo non alia indicatur pugna, quàm quæ pugnata eſt ad Mantineam; cum ſaltem à longo prius tempore Arcades adverſus Athenienſium copias non dimicaverint. Quin etiam id ipſum è Xenophonte mihi videor colligere. Inquit enim Epaminondam è

[p] *Strabo* lib viii.

Bœotia progreſſum cum Popularibus ſuis, Eubœenſibus, ac Theſſalis iter in Peloponneſum feciſſe; ὃ μὲν δὴ Επαμινώνδας ἐλογίζετο καὶ ἐν Πελοποννήσῳ σφίσιν ὑπάρχειν Αργείους τε, καὶ Μεσσηνίους, καὶ Αρκάδων τοὺς τὰ σφέτερα φρονοῦντας. Ἦσαν δὲ ἔτοι Τεγεᾶται, καὶ Μεγαλοπολῖται, καὶ Ασθεᾶται, καὶ Παλαντεῖς, καὶ εἴ τινες δὴ πόλεις διὰ τὸ σμικραί τε εἶναι, καὶ ἐν μέσαις ταύταις οἰκεῖν, ἠναγκάζοντο [q]. *Qui Epaminondas arbitrabatur, ſibi in Peloponneſo adeſſe Argivos, Meſſenios, eoſque Arcadum, qui rerum ſuarum curam gererent. Hi autem erant Tegeatæ, Megalopolitæ, Aſtheatæ, Palantenſes, & ſi quæ aliæ Civitates infirmis viribus, inter illas poſitæ, quæ cum hiſce conjungi cogebantur.* In hoc igitur Matineenſi prælio Megalopolitæ Thebanis obſequuti contra Athenienſes decertaverunt, cum Lacedæmoniis in adverſa parte obverſatos. Quod factum in invidiam vocatum ſummâ ſagacitate Demoſthenes elevat.

[M] Enimvero Megalopolitas eò diligentiùs oportebat Athenienſium tueri familiaritatem, quò à Thebanis alienati animo erant. Proinde ex icto cum iſtis olim fœdere, Demoſthenes robur addit ſententiæ ſuæ, unde illam Adverſarii labefactare conabantur. Poteſtne major ingenii vis, omnia in ſuam utilitatem vertentis, inveniri?

[N] Poſt acerbum ad Mantineam prælium Arcades invicem perculſi, ac ſuis calamitatibus eruditi, pacem inter ſe fecerant, qua cautum fuit, ut quiſque Patriæ ſuæ compos fieret. Hinc Megalopolitæ in ſua plerique oppida remeaverant, quibus illinc in eam Civitatem confluere, ut jam diximus, opus fuerat. Id reliquis Civibus grave accidit, decretumque, ut vi, qui deceſſerant, in Coloniam reducerentur. Ad arma igitur poſt annuas inducias ventum eſt, οἱ μὲν ἐκ τῶν πολισμάτων πέμψαι αὐτοῖς βοηθεῖν Μαντινεῖς, καὶ τῶν ἄλλων Αρκάδων, ἔτι δὲ Ηλείους, καὶ τὰς ἄλλας τὰς μέχρι τούτου τοῖς Μαντινεῦσι συμμαχίας. Οἱ δὲ Μεγαλοπολῖται τὰς Αθήναζε παρεκάλουν συμμαχεῖν, οἷς ἀπέστειλαν συνόμως ὁπλίτας μὲν τρισχιλίους, ἱππεῖς δὲ τριακοσίους, ὧν τὴν στρατηγίαν εἶχε Παμμένης. *Oppidani ſibi auxilium poſcebant à Mantineis, aliiſque Arcadibus, præterea ab Eleis,*

[q] *Xenoph. de reb. Græcor.* lib. vii. *An.* 3. *O.* 104.

cæteriſque

cæteriſque Mantineenſium Sociis. Megalopolitæ verò Athenienſium ſocietatem implorarunt, obtinueruntque ſtatim tria gravis armaturæ militum millia, equites trecentos, duce Pammene; quæ ſunt [r] Diodori verba. Hinc fortè quis conjiciet, Megalopolitas pridem diſſolviſſe fœdus, quod habuiſſe ſuperiori anno cum Thebanis vidimus, cum modò auxilium quærant ab Athenienſibus eorundem Thebanorum hoſtibus, cum iiſque ſocietatem coire quærant. Quare meritò timet Demoſthenes, ne repudiati ad illos confugiant, fractumque fœdus iterum ſarciant.

[o] Ut prius frangendæ Lacedæmoniorum potentiæ ſeſe Athenienſes conjunxerant cum Thebanis, ac rurſus his deprimendis Spartanos juverant; ita ſi, captâ Meſſene Megalopolique, inſtaurent iſti vires ſuas, Athenienſibus ad Thebanorum conſuetudinem redire opus erit. In hoc enim, ut non ſemel præfati ſumus, Reipublicæ ſalus continebatur, ut ne duæ illæ principes Civitates nimium caput attollerent.

[q] Hanc unam omnium maximam Athenienſibus inflictam à Lacedæmoniis injuriam commemorat hoc loco Demoſthenes, cum ſcilicet poſt aliquas clades acceptas, à Lyſandro obſeſſi, fame coacti ſunt accipere conditiones pacis, quaſcumque ipſis dare Lacedæmonii voluerunt. De illa enim injuria ſermonem habet, de qua Cives magis, quàm ipſe, conſcii forent. Quippe contigerat a. 1. O. 94, ſeu ante hujus Orationis tempus quinquageſimo primo, quo nondum Orator in lucem venerat, plures autem Civium per ætatem rei geſtæ poterant meminiſſe. Tunc igitur Athenienſes commeatuum inopiâ ad extremum redacti Legatos ad Lyſandrum Spartanæ Claſſis Præfectum miſerant oratum, an pax æquis conditionibus obtineri poſſet. Legatis juſſis pergere Lacedæmonem, nec receptis, quia non niſi retento Piræo, longiſque muris, paciſci mandatum ſibi eſſe dicebant, reſponſum eſt illuc redirent, re melius conſideratâ. Id Athenienſibus viſum eſt adeo indignum, ut Archeſtrato in

[r] *Diod.* lib. xv.

Senatu

Senatu proponenti, eò res Civitatis deveniſſe, ut nulla repudianda foret conditio, vincula injecta fuerint, decretumque, ne quis amplius eâ de re tam durâ, ac perniciosâ referret. Nam dirutis in Piræo muris, longiſque mœnibus, quibus portus Urbi conjungebatur, de Reipublicæ viribus actum erat. Dolebat etiam muros dejicere tantâ conſtructos magnificentiâ, quantam à Thucydide[s] diligenter deſcriptam admiramur: ᾠκοδόμησαν, ait, τῇ ἐκείνῃ (Θεμιστοκλέους) γνώμῃ τὸ πάχος τῶ τείχους, ὅπερ νῦν ἔτι δῆλόν ἐστι, περὶ τὸν Πειραιᾶ. Δύο γὰρ ἅμαξαι ἐναντίαι ἀλλήλαις τοὺς λίθους ἐπῆγον. Ἐντὸς δὲ ἦτε χάλιξ, ἦτε πηλὸς ἦν, ἀλλὰ ξυνῳκοδομημένοι μεγάλοι λίθοι, ἢ ἐντομῇ ἐγγώνιοι, σιδήρῳ πρὸς ἀλλήλους τὰ ἔξωθεν, ἢ μολύβδῳ δεδεμένοι. Τὸ δὲ ὕψος ἡμίσους μάλιστα ἐτελέσθη, ἧ διενοῦτο. Ἐβούλετο γὰρ τῷ μεγέθει, ἢ τῷ πάχει ἀφιστάναι τοὺς τῶν πολεμίων ἐπιβολάς· ἀνθρώπων τε ἐνόμιζεν ὀλίγων, ἢ τῶν ἀχρειοτάτων ἀρκέσειν τὴν φυλακήν· τοὺς δὲ ἄλλους ἐς τὰς ναῦς ἐσβήσεσθαι. *Conſtruxerunt illius* (Themiſtoclis) *conſilio eâ latitudine muros, quæ nunc quoque ſe exhibet conſpicienda, circa Piræum, quæque duos currus invicem occurrentes, lapidibus onuſtos exciperet. Intus non cæmenta, non lutum, ſed magni lapides ad angulum exciſi, ſibi cohærentes, extra ferro, ac plumbo colligati. Eâque altitudine, quæ duplo major eſſet, quàm ille in animo habuerat. Decreverat enim murorum magnitudine ac latitudine hoſtes ab aggrediendo deterrere; paucorum etiam hominum, eorumque ad reliqua inutilium præſidio muros ipſos tueri, atque interim reliquos Cives conſcendere.* Verùm cum quatuor etiam menſes, famem, obſidionemque tuliſſent, neceſſitate ſuaſi Theramenem Spartam legarunt cum liberis mandatis, pacem relaturum, quamcumque vellent Lacedæmonii. His conditionibus data, acceptaque eſt: Τά τε μακρὰ τείχη, ἢ τὸν Πειραιᾶ καθελόντας, ἢ τὰς ναῦς πλὴν δώδεκα παραδόντας, ἢ τοὺς φυγάδας καὶ ἀξαντας, τὸν αὐτὸν ἐχθρὸν, ἢ φίλον νομίζοντας, Λακεδαιμονίοις ἕπεσθαι ἢ καὶ ἐπὶ γῆν, ἢ καὶ ἐπὶ θάλατταν, ὅποι ἂν ἡγῶνται. *Longos muros, ac Piræum diruant; Naves tradant, extra duodecim; Exules in Urbem recipiant;*

[s] *Thucyd.* lib. i.

recipiant; eoſdem, quos Lacedæmonii, amicos, & hoſtes habeant; Lacedæmoniorum Signa terrâ marique ſequantur [t]. Nec iſte malorum terminus; verum ſtatum Reipublicæ immutarunt, Imperio ad paucos redacto, adminiſtratoque à triginta Tyrannis, qui urbem clariſſimam cunctis calamitatibus cumularunt. Quæ ſanè calamitates à Demoſthene hoc loco Civibus indicantur, ut, undecumque poſſint, Lacedæmoniorum potentiæ modum imponant, unde tot mala obvenerint Civitati.

[R] Siquidem qui vi, non voluntate, ad bonum impellitur, facilè ad ingenium redit. Cives autem, ementitâ illâ recti bonique ſpecie decepti, ſe pravis hominibus fidunt, iiſque jugulum præbent. Quod ſi hominum malitiam compertam habeant, cavent illico, ſuæque provident ſecuritati. Nihil Romanæ Reipublicæ nocuit magis, adumbratâ quâdam Marci Antonii, & Catilinæ, boni Civis imagine, ſi Ciceronem audiamus. *Vide Annotationes in Wolfianam hujus loci interpretationem.*

[S] Quando à Thebanis everſæ penitus fuerint Orchomenus, Theſpiæ, Platææ diximus Not. F. G. H. Pag. 67. hujus Orationis. Narravimus etiam, quantùm illæ foverint Athenienſium amicitiam; quare ipſarum inſtauratio ſemper iis cordi fuit, eamque à Philippo ſæpius poſtularunt, ut mox adnotabimus.

Pag. 27. l. 19. ἡγοῦνται τὴν ἐκείνων καταλύσιν, &c. Iiſdem pariter locis docuimus, quantum ipſæ Urbes infeſtæ forent Thebanis, quamobrem iſtos maluiſſe bellorum diſcrimen adire, quàm eas dimittere, aut ſinere, ut è ruinis caput attollerent. Illinc enim atrociora ſibi mala, ac diræ calamitates affuerunt. Quippe numquam Lacedæmonii Athenienſesque afflixerunt Thebas, Bœotiam vaſtarunt, niſi freti earum Urbium familiaritate, ac receptaculo, ut ex omni Græcorum hiſtoria frequenter palam fit. Hinc mirum videri non debet, ſi omni vi Thebanos curaturos dicit De-

[t] *Xenoph. de reb. Græcor.* lib. ii. *Diod.* lib. xiv. *Æſchin. de falſa Legat.*

moſthenes,

moſthenes, ne illæ ſordidatæ, ac jacentes, à quopiam in veterem ſplendorem reſtituantur.

[v] Ut Romani fœderum memoriam æreis tabulis conſignabant, quas & in Capitolio figebant, & fœderatis populis dabant; ita Græcorum mos fuit eadem fœdera, fœderumque leges in Columnis inſcribere, Columnaſque celeberrimis in locis collocare. Hujus inſtituti Pauſanias [y] meminit. Scribit enim, adhuc ſuo tempore conſervari in Templo Olympico feciales plures columnas, illamque inter cæteras, qua fœdus pervulgatum eſt inter Athenienſes, Argivos, Mantinenſes, ictum in annos centum, cujus leges à Thucydide [x] conſcriptæ ſunt, pactæque anno duodecimo belli Peloponneſiaci. Sed luculentiùs idem Thucydides, cum de fœdere agit, Lacedæmonios inter atque Athenienſes, percuſſo ad annos quinquaginta, ejuſdem belli decimo. Siquidem poſt conditiones enarratas ait: τὸν δὲ ὅρκον ἀναγεῦσθαι κατ' ἐνιαυτὸν ἀμφοτέρους· στήλας δὲ στῆσαι Ολυμπιάσι, καὶ Πυθοῖ, καὶ Ἰσθμῷ, καὶ ἐν Ἀθήναις ἐν πόλει, καὶ ἐν Λακεδαίμονι Αμυκλαίῳ. *Juramentum quotannis ab utriſque renovari*; *Columnas etiam conſtitui in Olympiis, in Pythiis, in Iſthmo, Athenis intra civitatem, Lacedæmone in Amyclæo.* Erectas igitur hoc inſtituto ab Arcadibus columnas, indices ſui cum Thebanis fœderis, dejiciendas eſſe aliqui apud Athenienſes in Concione proponebant, ut illi argumentum darent conſervandæ erga Rempublicam fidei.

[x] Nimium profectò per omnem ætatem hæc invaluit opinio: Principibus non fœdera, ſed utilitatem ſuam conſiderandam eſſe; quam opinionem ex Arcadum ſententia Orator affert hoc loco. Verùm ſi in publicis negotiis nihili data fides exiſtimetur, ſanctumque Dei Numen vocatum in fœderis teſtimonium; ſocietas hominum ſolvatur, neceſſe eſt, eaque ſæviſſima redeant tempora, quibus non fas, ſed vis dominabatur. Græcos non longè ab hac ſententia fuiſſe jam demonſtravimus, cum de ipſorum egimus

[y] *Pauſan. in Eliac.* 1. *An.* 3. *O.* 89.

[x] *Thucyd.* lib. v. *An.* 11. *O.* 90.

facilitate

facilitate in iiſdem conflandis fœderibus, dirimendiſque. Nunc Æſchinem [y] damus locupletem, ac novum vadem; ait enim, ſe reprehendi non poſſe ob mutatam conſiliorum ſuorum rationem in gerenda Republica, cum id quotidiè Athenienſibus in uſu ſit. Καίτοι ταύτην εἰ βούλει τὴν κατηγορίαν, καὶ τῶν ἄλλων Ἀθηναίων δημοσίᾳ καὶηγορήσεις. Ἐπολεμεῖτε Λακεδαιμονίοις· μετὰ τὴν ἐν Λεύκτροις συμφορὰν τοῖς ἀνδράσιν ἐβοηθεῖτε· καὶηγάγετε εἰς τὴν πατρίδα φεύγοντας Θηβαίους· καὶ πάλιν τούτοις ἐμάχεσθε ἐν Μαντινείᾳ· Ἐπολεμήσατε Ἐρετριεῦσι, καὶ Θεμίσωνι, καὶ πάλιν ἐσώσατε, καὶ μυρίοις ἄλλοις ἤδη τὴν Ἑλλήνων ἅπαντα κέχρησθε. Τοῖς γὰρ καιροῖς συμπεριφέρεσθαι ἀνάγκη πρὸς τὸ κράτιστον, καὶ τὸν ἄνδρα, καὶ τὴν πόλιν. *Et hanc quidem accuſationem ſi vis in me ſuſcipere, ſimul Rempublicam accuſabis. Vos bellum geſſiſtis cum Lacedæmoniis; Lacedæmoniis poſt ipſorum ad Leuctra calamitatem auxilio fuiſtis; Thebanorum exules in Patriam reduxiſtis; rurſus cum iis ipſis manus apud Mantineam conſeruiſtis; Arma contra Eretrienſes, ac Themiſonem accepiſtis; iterum iiſdem ſalutem attuliſtis; & millies jam ex hac norma vos erga Græcos alios geſſiſtis, Nam æquè in privatis negotiis homines, ac Reſpublica in ſuis, à rerum opportunitate eò circumagi ſinat neceſſe eſt, quò propria utilitas & commodum vocat.*

[y] Tantâ vi urget hoc loco Demoſthenes Adverſarios, ut ictum declinare nequeant. Hic enim in eorum ore verſabatur ſermo: Iniquum eſt, Athenienſes Megalopolitis, hactenus Reipublicæ hoſtibus, ſuppetias ire, præſertim ſi nolint Columnas evertere, quas pro teſtimonio habent ſui cum Thebanis fœderis; ac ſimul injuſtum, eorum causâ bello petere Lacedæmonios, qui Theſpias inſtaurare ſtudent, Urbem iiſdem Athenienſibus amicam. Obſecundat eorum dictis Orator, ſummâque arte in ſui utilitatem traducit. Ait enim: Ageſis, ſimul Arcadibus proponamus, ut Columnas diruant, ſimul Spartanis, ut à bello contra ipſos Arcadas abſiſtant. Si utrique morem gerant, res è noſtra ſententia ſuccedet; Si obſiſtant Arcades, pareantque Lacedæmonii, palam erit eos Thebanorum

[y] *Æſchin. in Orat. de falſa legat.*

coluiſſe

coluiſſe ſocietatem, non ut ipſorum ope ab hoſtibus defendatur, cum amplius aderit nulla ſe defendendi occaſio; ſed propter ejus populi potentiam, ac dignitatem. Quo caſu illos averſabimur, nullaque nobis cum iis intercedet conſuetudo.

Pag. 28. l. 14. Ἐιτε μὴ ἐθελήσουσιν εἰρήνην ἄγειν οἱ Λακεδαιμόνιοι, &c. Contra verò ſi obtemperent Arcades, renuant Lacedæmonii, comperiemus, iſtos ad Theſpiarum inſtaurationem convertiſſe animum, non æquitate ductos, ſed ut Thebani pro re prohibenda domi maneant; Interim ipſi deſertam à Sociis Peloponneſum faciliùs occupent. Quid iſtud ad Cauſam? Multùm profectò. Nam Orator ſolertiſſimè conjiciebat, numquam Spartanos ab oppugnandis Megalopolitis diſceſſuros, ob inſitam eorum animis adverſus Arcadas iracundiam, & quod iis gravis acciderat hujus conſtructio Civitatis, iſtaque ſplendidiſſima Arcadici nominis Colonia; quapropter cum id eventu comprobatum foret, causâ caderent Adverſarii. Nec minus certum exiſtimabat, Arcades in terram projecturos feciales illas Columnas; Siquidem oratum venerant Athenienſium opem, Thebanis infenſi, ab iiſque deſtituti; quamobrem dubitari non poterat, omnia illos facturos, quæ ad hanc rem opus foret. Qua dejectione factâ, aut promiſsâ, ab iis auxilio ſuo confirmandis nequaquam Athenienſes ſe cohibere potuiſſent. Cæterum Ulpiano [z] prorſus non aſſentior, exiſtimanti, hanc de Columnis difficultatem a Demoſthene inventam, ut reſpondendo vehementiùs inſurgeret in adverſæ ſententiæ patronos; at re verâ nullam eſſe, quippe abeſſent Columnæ illæ à rerum natura, & ipſe Demoſthenes nunquam erectas fuiſſe fateatur: ἀνέλθωμεν δ' ὅθεν ἐπὶ τὸν λόγον τὸν ἐξ ἀρχῆς. Αλλ' εἰ προήρηνται γενέσθαι μεθ' ἡμῶν οἱ ἄνδρες δίκαιον καθελεῖν τὰς ϛήλας εἰσὶν, ἐν αἷς ἔχουσιν ἀναγεγραμμένας τὰς πρὸς Θηβαίους συνθήκας. Προσέθηκε δὲ τὰ καλὰ τὰς ϛήλας, τὴν ἀνάθεσιν ἑαυτῷ περιζόμενος. Φησὶ γὰρ, μὴ ὑπάρχειν ϛήλας. *Redeamus igitur, unde initio digreſſi ſumus. At ſi homines eligunt ferire*

[z] *Ulpian in hujus Orat. enarrat.*

ne biſcum

nobiſcum fœdus, par eſt, eos deturbare Columnas, quibus initi cum Thebanis fœderis leges conſcriptæ ſunt. Illud de Columnis appoſuit, objectionem ſibi comparaturus, cum dicat, eas non exiſtere. Primùm in Notis Criticis ad hunc locum oſtendimus ex Oratoris verbis colligi numquam poſſe, Columnas iſtas non extitiſſe. Deinde ut, quæ ſibi reliqua dicit ab Adverſariis objecta nemo non verè objecta exiſtimabit; cur huic uni dicam impingat? Demum Columnæ feciales, ut admonuimus, in celebrioribus locis collocabantur; quare aut re verâ conſtructæ fuerant, nec vana erat difficultas; aut nunquam extiterant, & cum hoc neceſſariò cunctis pateret (nihil enim ignotum, quod fit in locis hominum frequentia celebratis) inſulſum profectò fuiſſet, & quàm alienum à Demoſthenis prudentia, hujuſmodi rem ſibi objicere, ridiculamque difficultatem excogitare.

[z] Nullâ controverſiâ, non de ſolis Arcadibus loquitur, ſed de univerſis Peloponneſi Populis; quippe illorum unum, aut alterum, aut plures dicat à Lacedæmoniis adſcitos, quotieſcumque bellum Athenienſibus intulerunt. De his autem Peloponnenſibus veriſſimum eſſe, quod Orator affirmat, Hiſtoriarum monumenta nos docent; eos nempe ſibi à Thebanis nunquam adjunctos fuiſſe, cum Attica bella geſſerunt. Et ſanè, ſi præliorum inductio fiat, (maxima ſolùm commemoro) nullo ipſorum auxilio pugnarunt cum Athenienſibus ad Tanagram [a] infauſto Marte; at felici, iterum in eodem loco [b]; ibidemque rurſus Victi [c]; ſed victores ad Delium [d]. Contra verò poſt Leuctricam pugnam cum Arcadibus Spartam invadunt [e], ac rurſus cum iiſdem Arcadibus, Argivis, Eleis Laconiam depopulantur [f], ut reliquas extra regionem illam expeditiones prætéream.

[a] At Lacedæmonii quæ unquam bella Athenienſibus intulerunt, Peloponnenſium viribus non adjuti? In maximo illo Peloponneſiaco, ut autor eſt

[a] *A.* 4. *O.* 80. [b] *A.* 2. *O.* 83. [c] *A.* 1. *O.* 89. [d] *A.* 2. *O.* 89. [e] *An.* 3. *O.* 102. [f] *An.* 4. *O.* 102.

Thucy-

Thucydides [s], Λακεδαιμονίων μὲν οἱ ξύμμαχοι, Πελοποννήσιοι μὲν οἱ ἐντὸς ἰσθμοῦ πάντες, πλὴν Ἀργείων, καὶ Ἀχαιῶν. Τούτοις δὲ ἐς ἀμφοτέρους φιλία ἦν. *Lacedæmoniorum Socii fuerunt quotquot Peloponneſum intra Iſthmum habitant, præter Argivos, Achæoſque, quibus cum utriſque* (Spartanis & Athenienſibus) *intercedebat conſuetudo.* Iis autem conjuncti ſæpius Atticam vaſtarunt, ac tandem Athenas perdomuerunt. Reliqua taceo, quæ facilè Græcas hiſtorias evolventi ſe offerunt; neque enim omnibus ſemper enumerandis immorari neceſſe eſt. Quod ſi in Mantineenſi pugna Peloponnenſium aliqui cum Thebanis contrà Athenienſes in acie fuerunt, non iſti eo prælio, ut ſæpius indicavimus, petiti ſunt, verùm ſecundas obierunt partes, Lacedæmoniis opitulati.

[B] Mirificè perorando nullum relinquit dubitandi locum, an vera, tutiſſimaque ſit ſententia ſua. Oſtendit enim conducere ex omni parte Reipublicæ, Arcadas liberos, valenteſque ſervare. Quippe ſi accidat Thebanos conteri ac labefactari à Lacedæmoniis, nihil iſti tentare poterunt contra Athenienſes, ab Arcadibus impediti, qui & eorum odio inflammati, & ſalvi Reipublicæ ope, toti erunt in hac defendenda.

[C] Si verò accidat eoſdem Thebanos in potentiam evadere; & quidpiam contra Athenienſes moliri, incolumes Arcades eos refrænabunt, ac præſtò erunt Reipublicæ, vicem accepti ab iſta ſubſidii libenter perſoluturi.

[s] *Thucyd.* lib. ii.

CONTRA

CONTRA PHILIPPUM

PRIMA.

IN ARGUMENTUM.

[A] UT melius, quid huic Orationi cauſam præbuerit, inveſtigari poſſit, quo tempore dicta fuerit, decernendum eſt. Dionyſius Halicarnaſſeus habitam fuiſſe tradit [a], Ariſtodemo Athenis Prætore: *Μετὰ δὲ Θεόδημον ἦν Ἀριστόδημος ἄρχων, ἐφ' ἧς τῶν καλῶν Φιλίππῳ δημηγορεῖν ἤρξατο, καὶ λόγους ἐν τῷ δήμῳ διέθετο περὶ τῆς ἀποστολῆς ξενικῆς στρατεύματος, καὶ τῶν δέκα γαδικῶν τριήρων εἰς Μακεδονίαν. Poſt Theodemum Prætor fuit Ariſtodemus, quo Magiſtratum gerente cœpit* (Demoſthenes) *ad Populum contra Philippum concionari, egitque de Mercenarii exercitus expeditione, ac mittendis decem celeribus triremibus in Macedoniam.* Creatus autem Prætor eſt Ariſtodemus an. 1. O. 107. ſi Diodoro [b] credimus. Dionyſio adverſantur Harpocration, & Suidas, qui quamvis nominatim annum non proferant, cum tamen eam dictam fuiſſe poſt Olynthiacas, quas ab an. 4. ejuſdem O. 107. removeri non poſſe dicemus ſuo loco, longè à Dionyſii tempore diſcedunt. Aſtipulatorem habent Ulpianum [c] ſententiæ ſuæ, qui in rhetoricis enarrationibus re verà palam nihil agit de anno; at cum locum hujus Orationis de Philippo tunc ægrotante, quo loco prolatam fuiſſe ante Olynthiacas certum fieret, eludat, contendatque non rarò a Demoſthene rem jampridem exactam, ut præſentem afferri, argumento eſt, in eadem, ac duos illos, opinione verſari. Verùm à Dionyſii teſtimonio diſcedendum non eſſe arbitramur, non ſolùm ob viri diligentiſſimi, ut aliàs monuimus, Demoſthenicorum

[a] *Dionyſ. epiſt. ad Ammæum. in narrat. hujus Orat.* [b] *Diod.* lib. xvi. [c] *Ulpian.*

temporum inveſtigatoris auctoritatem, ſed quia haud vanis rationibus in hanc opinionem adducimur. Nam primùm nulla iſtic mentio de Olynthi obſidione, quam profectò non omiſiſſet, ſi preſſa aut capta fuiſſet ea Civitas, cum hanc Orationem habuit; quod utrumque tunc à Philippo geſtum foret, aut cœpta ſaltem obſidio, eam ſi poſt Olynthiacas habuiſſet; præſertim cum quicquid in Regem poſſit odium incendere, colligat accuratiſſimè. Deinde cum ille ab an. 3. O. 105. cœpiſſet gravis eſſe Athenienſibus, ſubactâ Amphipoli, Potidæa, Pydna; & an. 4. O. 106. novandi res ſuſpicionem auxiſſet, excisâ Methone in Thracia, feſeque Phocenſi bello immiſcuiſſet, Thebanis auxiliatus contra Phocenſes, eorumque ſocios Athenienſes, quis credat unquam, Demoſthenem Civem Reipublicæ amantiſſimum ad annum uſque quartum Ol. 107. procraſtinaſſe Regem exagitare? Hæc ſiquidem prima contra Philippum Concionum ſuarum eſt. Demum cum in hac dicat, eumdem Philippum morbo conflictari; in tertia Olynthiaca, fuiſſe conflictatum, naturalem loquendi ordinem tenuiſſe cenſeri debet, cum præſertim huic non levia argumenta conſentiant. 352 Sit igitur hoc, a. 1. O. 107. quo vigeſimum nonum ætatis ſuæ Demoſthenes expleverat, in hanc illum ſententiam pro Concione dixiſſe. At Orationi quid cauſam dedit?

[B] Id ſanè puto Oratori cauſam publicè loquendi dediſſe, quod nuper libavimus, & nunc latiùs aliquanto explicamus. Philippus invitis Athenienſibus paternum Macedoniæ Regnum adiverat, quod cum ingentibus labefactatum calamitatibus accepiſſet, inſtaurandiſque rebus operam daret, ſtuduit illico ipſorum animos emollire; quare a. 2. Ol. 105. Πρέσβεις ἐκπέμψας, Diodorus ait[d], εἰς Αθήνας, ἔπεισε τὸν δῆμον εἰρήνην πρὸς αὐτὸν συνθέσθαι, διὰ τὸ μηδὲν ἔτι προσποιεῖσθαι τὴν Αμφίπολιν· *Legatos Athenas mittens, populum ad pacem cum ipſo componendam ſuaſit, datâ fide, ſe ſibi nihil amplius in Amphipolim juris aſſerturum.* Verum

[d] *Diod.* lib. xvi.

mox

mox devictis Illyriis, confirmatoque ſibi Regno, non tenuit fidem, nam inſequenti anno[e] eam Civitatem occupavit, nec Pydnæ pepercit, ac Potidææ, quamvis in Athenienſium forent tutela; Potidæa ipſorum quoque præſidio cuſtodiretur; quod præſidium ἐξήγαγεν ἐκ τῆς πόλεως, καὶ φιλανθρώπως ἀνδρὶ (φρουρᾷ) παρεσκευασμένῳ, ἐξαπέστειλεν εἰς Αθήνας. Σῴζεσθαι γὰρ ἐυλαβεῖτο τὸν δῆμον τῶν Αθηναίων διὰ τὸ βάρος, καὶ τὸ ἀξίωμα τῆς πόλεως, *eduxit è Civitate, ergaque illud cum ſe humaniter geſſiſſet, Athenas remiſit, reveritus Athenienſium Rempublicam propter urbis potentiam, ac dignitatem*[f]. Poſtero anno[g] poſt interemptum Alexandrum Pherarum Tyrannum à Theſſalis vocatus, cæteros Populorum oppreſſores depulit, tantâ ſibi ejus gentis benevolentiâ conciliatâ, ut numquam ei deinceps in bello defuerint. Ineunte Olympiade[h] 106. profligavit omnino Thracum, Pœonum, Illyriorum Reges, qui collatis in eum viribus conjuraverant. Hujus Olympiadis ann. 3. Methonem in Thracia, quæ Athenienſium ſocietate fruebatur, expugnavit. Et[i] anno quarto eam excidit, atque à Theſſalis accerſitus in partem Phocenſis belli, libenter occaſionem arripiens, exercitum in Theſſaliam duxit, & poſt aliquas leviores pugnas contra Lycophronem Pheræorum Tyrannum, cui Phocenſes opitulabantur, magno prælio decertavit, tanta Phocenſium ſtrage, ut in acie ſex millia occubuerint, ac tria pariter millia in Philippi poteſtatem venerint, & ni caſu Chares cum Athenienſium claſſe adveniſſet, actum de reliquis foret, quos ille fugientes navibus excepit. Hinc initio ſequentis anni Phocidem petens infeſto exercitu, repreſſus eſt ab Athenienſibus, qui Pylas occupaverant, tranſitum prohibituri, quique afflictis Phocenſium rebus cum quinque peditum millibus, & quadringentis equitibus ſuppetias iverant, fœderis jure; eorumque exemplum ſequuti Lacedæmonii ex eodem fœdere mille pedites miſerant, Achæi duo millia. Hac tantâ Philippi

[e] *An.* 3. *O.* 105. [f] *Diod.* lib. xvi. [g] *A.* 4. *O.* 105.
[h] *An.* 1. *O.* 106. [i] *An.* 4. *O.* 106.

felicitate, tantiſque illatis Reipublicæ injuriis commoti Athenienſes magnâ rerum ſolicitudine tenebantur. Quippe aperto bello eum aggredi metuebant, tot jam aliis bellis defatigati; contra, inulti connivere, Regis audaciam non refrænare, indignum ſuâ Civitate, ac periculoſum arbitrabantur. Quocirca Demoſthenes iis addit animos, oſtenditque eò rem deveniſſe, ut bellum neceſſariò ſuſcipiendum ſit.

[c] Rei exitus comprobavit, non inanem fuiſſe Athenienſium metum de Philippo. Siquidem jam tum, ut ſuo loco dicemus, adeo viribus, & potentiâ auctus erat, ut ne tota quidem Græcia paucis poſt annis contra illum conſpirans potis fuerit ſe tueri, ejuſque felicitatis curſum abrumpere.

IN ORATIONEM.

[d] COncio, ſeu Populi Conventus Athenis, ut Romæ, & in quolibet populari Imperio, ſummam habuit Reipublicæ poteſtatem, ſed non ubique eodem modo ſuffragia colligebantur, ut aliàs indicavimus. Nam Athenis quot capita, tot ſententiæ; Romæ, Curiæ, Centuriæ, Tribus numerabantur. De Athenienſi Concione dicturi, nihil modò agimus de iis, quibus ei intereſſe fas erat, non de loco, non de congregandi ordine, ac formâ, quæ alio exponentur loco. Ea ſolùm explicamus, quæ ad res in eadem pertractandas, & proponendas pertinent, proindeque idonea ſunt hiſce Demoſthenis verbis illuſtrandis. Iſtud autem argumentum tantâ eruditione, tantâque elegantiâ tractavit Sigonius, vir maximus, in iis libris, quos de Republica Athenienſium ſcripſit, ut pauca deſint; & cum ex hoc fonte omnes hauſerint, in ſuoſque rivulos derivarint quotquot in eodem argumento verſati ſunt, vellem, à quo beneficium acceperint, profiterentur. Conciones igitur aliæ ſtatis diebus convocabantur, quas prætermittere nefas erat, aliæ è re nata. Illæ proprio ſolùm nomine ἐκκλησίαι, *Conciones*,

Conciones, nuncupatæ ſunt; iſtæ καὶ ἐκκλησίαι, *Conciones repentè congregatæ*, aut σύγκλητοι ἐκκλησίαι, *Conciones advocatæ*. Ad eas, quæ certo coibant tempore, nullo vocante conveniebat Populus. Reliquæ à Prytanibus indicebantur. Poſſet id pluribus teſtimoniis comprobari; nobis unius, aut alterius ſatis erit. Καὶ πότε μισοφίλιππος Δημοσθένης &c. γράφει ψήφισμα, τοὺς καιροὺς τῆς πόλεως ὑφαιρούμενος, ἐκκλησίαν ποιεῖν τοὺς Πρυτάνεις τῇ ὀγδόῃ ἱσταμένου τοῦ Ἑλαφηβολιῶνος μηνὸς, ὅτε &c. *Tunc autem Demoſthenes, qui Philippum odit &c. Decretum ſcribit præripiens Reipublicæ tempus, Prytanes Concionem facere octavo die menſis Februarii ſtantis.* Sunt Æſchinis verba[g]; & Demoſthenis hæc alia: Ἐπὶ Μνησιφίλου ἄρχοντος, συγκλήτου ἐκκλησίας ὑπὸ στρατηγῶν γενομένης, τῇ Πρυτανέων, τῇ Βουλῆς γνώμῃ, Μαιμακτηριῶνος δεκάτῃ ἀπιόντος Καλλισθένης &c. *Mneſiphilo Prætore, decreto Prytanum, ac Senatus, extra ordinem Concione à Ducibus advocatâ, vigeſimo primo menſis Septembris Calliſthenes &c.* Quem locum video malè à Sigonio tranſlatum, cum τὸ ὑπὸ στρατηγῶν vertat *à Prætoribus*; atque hinc illum arbitror afferuiſſe, Populi conventum ab iiſdem quoque Prætoribus indici; quod nunquam, ni fallor, actum eſt, cum iſthæc auctoritas ad eos pertineret, quibus jus pariter eſſet convocandi Senatus; id autem nullâ controverſiâ Prytanibus conveniebat. Moneo quoque εἰς ἐν παρόδῳ non minùs erraſſe Wolfium latinè reddendo illud Μαιμακτηριῶνος δεκάτῃ ἀπιόντος, *pridie Kalendas Octobris*, quæ dies ἕνη καὶ νέα dicebatur; oblitum profectò, in ultima menſis decade numerandâ, ſecus atque in duobus aliis, inverſo numerorum ordine procedi, ut apud Latinos; Quamobrem ἡ δεκάτη τοῦ ἀπιόντος ſit prima dies illius decadis, ἐννάτη ſecunda, & ſic deinceps. Quod ſi, ut ad rem noſtram redeam, Diodorus[h], dum narrat, Athenienſes accepto nuntio captæ à Philippo Elateæ, proximæque illius in Atticam irruptionis, hæc habet: ὁ δὲ δῆμος ἅπας ἅμ' ἡμέρᾳ συνέδραμεν εἰς τὸ θέατρον, πρὸ τοῦ συγκαλέσαι τοὺς ἄρχοντας, εἰς ἦν ἐκ. *Populus omnis, ſimul atque illuxit, in Thea-*

[g] *Æſch. contr. Cteſiph. Demoſth. de Cor.* [h] *Diodor.* lib. xvi.

trum concurrit priuſquam à Magiſtratibus, ut moris eſt, vocaretur: Magiſtratus hoc loco pro Prytanibus ſolùm accipiendi ſunt, ne Diodorum à Demoſthene, Æſchine, Ariſtotele, aliiſque diſceſſiſſe, ideoque erraſſe fatendum ſit. Conciones lege conſtitutæ, quatuor erant per ſingulas Prytanias; Prytania verò diebus trigintaquinque concludebatur. Nam Athenienſes annum ad Lunæ curſum computantes, trecentis quinquaginta quatuor diebus abſolvebant, quorum ſeni, tricenique primis quatuor Tribubus aſſignabantur; Reliquis, totidem uno dempto; atque hoc dierum ſpatio unaquæque Prytaneatum gerebat. Primo dictarum Concionum appellabatur κύρια. Id autem, & quicquid in quolibet cœtu fieret, è Polluce [1], ſeu potius ex Ariſtotele in libro de Republ. Athen. unde ille ſumpſit, audiamus. Οἱ Πρυτάνεις ὅπως τὴν βουλὴν συνάγουσιν ἡσυχέραν, πολὺν ἂν ἄφετός τις ἦ. Τὸν δὲ δῆμον τετράκις ἑκάστης Πρυτανείας, ἢ προγράφουσι πρὸ τῆς Βουλῆς ἢ πρὸ τῆς Ἐκκλησίας ὑπὲρ ὧν δεῖ χρηματίζειν. Τῶν δὲ Ἐκκλησιῶν ἡ μὲν κυρία, ἐν ᾗ τὰς ἀρχὰς ἐπιχειροτονοῦσιν, εἴπερ καλῶς ἔχουσιν, ἢ ἀποχειροτονοῦσιν. Ἐν ᾗ δὲ καὶ τὰς εἰσαγγελίας ὁ βουλόμενος εἰσαγγέλλει, καὶ τὰς ἀπογραφὰς τῶν δημευομένων ἀναγινώσκουσιν οἱ πρὸς ταῖς δίκαις, καὶ τὰς λήξεις τῶν κλήρων. Ἡ δὲ δευτέρα Ἐκκλησία αἰνεῖται τοῖς βουλομένοις ἐπιτηδείαν θεμένοις, λέγειν ἀδεῶς περί τε τῶν ἰδίων, καὶ τῶν δημοσίων. Ἡ δὲ τρίτη κύρωξι, καὶ πρεσβείαις ἄξιον χρηματίζειν, ἃς δεῖ πρότερον τοῖς Πρυτάνεσιν ἀποδέναι τὰ γράμματα. Ἡ δὲ τετάρτη περὶ ἱερῶν, καὶ ὁσίων. *Prytanes in Senatum vocant quotidiè, niſi dies ſacer ſit; Populum verò quater per ſingulas Prytanias. Antequam Senatus, aut Concio vocetur, publicè è ſcripto proponunt, quibus de rebus decernendum ſit. Concionum ea vocatur* κυρία, *in qua Plebiſcito approbantur Magiſtratus, ſi benè ſe gerant, aut abrogantur. In ipſa etiam acuſationes defert, qui vult Judicium intendere; Judices proſcriptiones legunt Publicatorum, hæreditatum conditiones. Secunda Concio datur Oleæ ramum protendentibus* (id eſt, ſupplicibus) *ut ſi velint, poſſint aliquid in rem ſuam de rebus publicis, aut privatis dicere. Tertia Præconibus, Legatiſque, ſi quid eſt decernendum, quos tamen prius literas Prytanibus*

[1] *Pollux Onomaſt.* lib. viii.

dediſſe

dediſſe oportet. Quarta de Sacrificiis, rebuſque ſanctis. At gravis oritur difficultas ex hoc Demoſthenis [k] loco: ἐπὶ δὲ τῆς πρώτης πρυτανείας τῇ ἑνδεκάτῃ, ἐν τῷ δήμῳ ἐπειδὰν ἔυξηται ὁ κήρυξ, ἐπιχειροτονίαν ποιεῖν τῶν νόμων, πρῶτον μὲν περὶ τῶν βουλευτικῶν, δεύτερον δὲ περὶ τῶν κοινῶν· εἶτα αὖ κεῖνται τοῖς ἐννέα ἄρχουσιν, εἶτα τῶν ἄλλων. Ἡ δὲ ἐπιχειροτονία ἔστω ἡ πρόλεγε, ὅτῳ δοκοῦσιν ἀρκεῖν οἱ νόμοι οἱ βουλευτικοί· ἡ δ' ὑστέρα, ὅτῳ μὴ δοκοῦσιν· εἶτα τῶν κοινῶν καὶ ταῦτα. Τὴν δὲ ἐπιχειροτονίαν εἶναι τῶν νόμων, κατὰ τοὺς νόμους τοὺς κειμένους. Ἐὰν δέ τινες τῶν νόμων τῶν κειμένων ἀποχειροτονηθῶσι, τοὺς Πρυτάνεις, ἐφ' ὧν ἂν ἡ ἐπιχειροτονία γένηται, ποιεῖν περὶ τῶν ἀποχειροτονηθέντων τὴν τελευταίαν τῶν τριῶν ἐκκλησιῶν. Τοὺς δὲ Προέδρους, οἱ ἂν τύχωσι Προεδρεύοντες ἐν ταύτῃ τῇ ἐκκλησίᾳ, χρηματίζειν ἐπαναγκες. Πρῶτον μὲν περὶτὰ ἱερὰ περὶ τῶν νομοθετῶν &c. *Primæ Prytaniæ die undecimo, poſtquam Præco vota in populo fecerit* (à Concione) *Plebiſcitum de legibus fieri; primum de Senatoriis rebus, deinde de communibus; rurſus de latis à novem Archontibus, iterum de iis, quæ à reliquis Magiſtratibus. Primum decretum proponatur, an videantur leges Senatoriæ ſufficere; ſecundum, an non videantur. Deinde eodem modo de rebus communibus decernatur. Decernatur autem juxta leges receptas. Cum verò aliquæ receptarum legum abrogatæ fuerint, tunc Prytanes, quorum tempore ſancitæ fuerunt, de improbatis ultimam trium Concionum indicant; Proëdri, quibus ſorte datum fuerit eidem Concioni præſidere, de iiſdem agant neceſſariò. Primum poſtquam de rebus ſacris pertractaverint, de legum latoribus &c.* Hinc enim patet tres tantùm fuiſſe Conciones, ab ipſis legibus aſſignatæ in unaquaque Prytania, quod luculentius declarat Ulpianus in ſuis in hanc Orat. enarrationibus: ἐν τῇ πρώτῃ δὲ πρυτανείᾳ· ἐν τῷ πρώτῳ μηνί. Ἰσέον γὰρ ὅτι καλὰ μῆνα τρεῖς ἐκκλησίας ἐποιοῦντο, βουλευόμενοι περὶ τῶν ἐν τῇ πόλει πραγμάτων, εἰ μὴ ἄρα ἀνάγκη τις καὶ ἔλαβε πολέμου, ὥστε καὶ περὶ ἐκείνου ἄλλην ἐκκλησίαν ποιῆσαι πλέον τῶν ὡρισμένων. Καὶ ἐγίνετο ἡ πρώτη ἑνδεκάτῃ τοῦ μηνός· ἡ δὲ δευτέρα, περὶ τὴν εἰκοστήν· ἡ δὲ τρίτη, περὶ τὴν τριακοστήν. *In prima*

[k] *Demoſth. in Orat. adverſ. Timocrat.*

Prytania: In primo menſe. Sciendum enim eſt, tres in quolibet menſe factos fuiſſe conventus, in quibus de rebus publicis conſulebant; niſi aliqua foret belli neceſſitas, quæ de ipſo deliberare cogeret in alia Concione præter lege definita. Prima habebatur die undecimo menſis; ſecunda, circa vigeſimum; tertia circa trigeſimum. Hæc ſanè difficultas primo ſtatim aſpectu me deterruit, ſed, re probè conſideratâ, opinor Demoſthenem ac Ulpianum nequaquam Ariſtoteli & Polluci adverſari. Puto enim per unamquamque Prytaniam quatuor Populi conventus lege præſcriptos fuiſſe, quorum ſecundus, ut ex Polluce retulimus, privatis ſupplicum actionibus, qui Reipublicæ, aut Civibus obnoxii forent, dabatur. Demoſthenes autem Cœtus de publicis ſolùm negotiis indictos nuncupat, βελευόμενοι περὶ τῶν ἐν τῇ πόλει πραγμάτων, *de rebus publicis*, inquit Ulpianus; quare alterum illum de privatis à Polluce connumeratum prætermittit. Obiter moneo hanc legum quæſtionem, de qua verba facit Orator, non in ſingulis Prytaniis agitatam fuiſſe; ſed in prima dumtaxat, ſcilicet menſe Ecatombæone, à quo initium anni ducebant Athenienſes, de quo menſe fit pariter mentio hoc loco, & reliqua hìc enarrata robur addunt ſententiæ meæ. Miror quoque Wolfium virum eruditiſſimum vertiſſe illud ἐπὶ δὲ τῆς πρώτης Πρυτανείας τῇ ἑνδεκάτῃ, *Primo Senatus conventu die undecimo*, cum hoc longè à verbis, & à verborum ſenſu alienum ſit. Verùm ut unde digreſſus ſum, revertar, Concioni dignitate authoritateque præerant Prytanes, Proëdri, Epiſtata. Prytanes erant quinquagenûm Senatorum claſſis, qui è qualibet Tribu in Senatum adlecti ſuâ vice Senatui præſidebant. Proëdri novem fuerunt, ſinguli è ſingulis reliquis novem Tribubus, quæ tunc Prytaneatum non gerebant, ſorte in qualibet Concione ducti. Epiſtata denique is dicebatur, qui è novem Proëdris ſorte pariter eductus, finito conventu, ut Proëdri, magiſtratu abibat; quorum omnium Demoſthenes, Æſchines, Harpocratio pluribus in locis meminerunt. Prytanes convocandi populi munere

munere fungebantur, ut diximus; Proëdri, res proponendi; Epiſtata, de ipſa re propoſitâ in ſuffragium Cives mittendi. Ἐν δὲ ταύτῃ (ἐκκλησίᾳ) ἐπειδὰν χρηματίσωσιν οἱ Πρόεδροι περὶ ὧν διώκηκεν ὁ ἄρχων, χρηματίζειν κελεύει ἢ περὶ ὧν ἄν τις ἠδικηκὼς ᾖ περὶ τὴν ἑορτὴν, ἢ παρανενομηκώς. *In ipſa Concione poſtquam Proedri ad Populum retulerint de Magiſtratus adminiſtratione, referre quoque* (lex) *jubet de illatis injuriis, violatiſque legibus per diem feſtum.* Ita Demoſthenes[l] contra Midiam. Τὰς δὲ Πρυτάνεις (νόμος κελεύει) ποιεῖν ἐκκλησίαν &c. Τὸν δὲ Ἐπιστάτην τῶν Προέδρων διαχειροτονίαν διδόναι τῷ Δήμῳ. *Prytanes* (Lex jubet) *convocare Concionem; Epiſtatam verò Proëdrorum dare Populo, ut ſuffragium ferat.* Ita Æſchines[m] contra Cteſiphontem. Quicquid decernendum erat, per aliquot dies ante Concionem in publico proponebatur, ne novum Civibus ſe offerret, niſi tamen aliquid improviſò contigiſſet, quod ſtatim expendere opus foret. Legebatur deinde Senatus conſultum, ſi quod eâ de re factum fuiſſet. Præco Proëdrorum juſſu clamabat, numquis dare conſilium vellet. Dictis ſententiis, decretum quod Proëdri ſcribendum mandaſſent, recitabatur; ſuffragiis comprobatum, populo denuntiabant; ſi ſecus, proponebant alterum; eidemque decreto adſcribebantur nomina Archontis, Tribus, quæ tunc Prytaneatum gereret, atque Oratoris, aut Civis, è cujus conſilio dimanaſſet. Id ſæpius apud Græcos Autores occurrit; nos unum damus Demoſthenis teſtimonium[n]: ἐπὶ ἄρχοντος Μνησιφίλου, Ἐκαλομβαιῶνος ἕνῃ καὶ νέᾳ, Φυλῆς πρυτανευούσης Πανδιονίδος, Δημοσθένης Δημοσθένους Παιανιεὺς εἶπεν. *Mneſiphilo Prætore, pridie Kal. Quintiles, Pandionia Tribu Prytaneatum habente, Demoſthenes Demoſthenis filius Pæanienſis cenſuit.* Hæc totius rei in Eccleſia proponendæ, ac decernendæ ſeries fuit, quæ huic, aliiſque iſtarum Orationum locis explicandis plurimùm proderit.

[l] *Demoſth. contra Midiam.*
[m] *Æſch. contra Cteſiph.*
[n] *Demoſth. de Corona.*

[E] Lex Athenis jubebat, Præconem in Concionibus proclamare: Τὶς ἀγορεύειν βέλεται τῶν ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότων, εἶτα πάλιν ἐν μέρει τῶν ἄλλων Αθηναίων; *Quis annis quinquaginta major publicè loqui vult; deinde quis aliorum Athenienſium per vices?* Ex hac lege ætatis ordo in loquendo ſervari debuiſſet, proindeque Demoſthenes, qui tunc, ut monuimus, annum dumtaxat agebat trigeſimum, inter ultimos dicere. Itaque præoccupati ſuggeſtus veniam præfatur. Hanc tamen legem video fuiſſe deſuetudine abrogatam. Eſt enim Æſchinis [o] querela in Orat. contra Cteſiphon. ἀτεχνῶς οὐ κάλλιστον, οὐ σωφρονέστατον κήρυγμα τῶν ἐν τῇ πόλει· τὶς ἀγορεύειν βέλεται &c. *haud amplius auditur optimum illud, pulcherrimumque omnium in Civitate præconium: ſi quis concionari vult &c.* Manebat autem Oratorum petulantia, ſibi invicem tumultuosè præripientium dicendi locum, quam pariter Æſchines [p] reprehendit: Τῆς δὲ τῶν ῥητόρων ἀκοσμίας οὐκ ἔτι κρατεῖν δύνανται οὔθ' οἱ Πρυτάνεις, οὔθ' οἱ Προέδροι, οὔθ' ἡ προεδρεύουσα φυλὴ, τὸ δέκατον μέρος τῆς πόλεως. *Oratorum immodeſtiam nec leges coercere poſſunt, nec Prytanes, nec Proëdri, nec Tribus, quæ Prytaneatum obtinet, in ſumma decima pars Civitatis.* Puto hanc ſolum à ſe Demoſthenem deprecari, nam de prætermiſſo ætatis ordine, cum deſuevisſet, nulla erat deprecandi ratio.

[F] Deſciverant profectò Athenienſes à proſperâ ſplendidâque fortunâ, quo non parum poſt bellum quoque Peloponneſiacum, eamque maximam calamitatem efflorverant. Cum enim Lacedæmonii, Bœotici belli tempore, Thebanorum cladibus, devictâque ipſorum arce Cadmeâ, ſuperbè ſe gererent, occaſionem Athenienſibus præbuerunt ſolicitandi ſociorum animos, ſimulque rebellandi. Igitur [q] Chii, Byzantii, Rhodii, Mitylenæi, Inſularium plurimi, aliæque Græciæ urbes in Athenienſium ſocietatem ſe commiſerunt, eâ conditione, ut communi conſilio, æquatiſque ſuffragiis in conventu, qui Athenis ageretur, negotia publica explicarentur, datâ tamen ipſis

[o] *Æſch. in Orat. contra Cteſiph.* [p] *Ibidem.* [q] *An.* 4. *O.* 100.

Athenienſibus Imperii auctoritate, quam illi modeſtè adhibentes, Euboœenſium, aliarumque Civitatum benevolentiam ſibi conciliarunt, eaſque dicto ſuo audientes habuerunt. Hinc aucti virium robore, adjunctiſque ſibi nobilioribus Thraciæ Urbibus, Euboeâ receptâ, deductis in Cherſoneſum, Cerſobleptis Regis liberalitate, Colonis, ac regionis urbibus præter Cardiam præſidio obfirmatis, longè latéque dominabantur. Cum ecce tibi Philippus Macedoniæ & Thraciæ illis urbes ademit, Pydnam, Potidæam, Methonem, Amphipolim, præter quinque & ſeptuaginta Urbes in Thracia, quæ cum ipſis fœdere conjungebantur, ut auctor eſt Æſchines in Orat. de falſa legat. Τὴν μὲν γὰρ ἀρχὴν ἐποιησάμεθα τῦ πολέμυ ὑπὲρ Αμφιπόλεως. Συνέβαινε δ' ἡμῶν τὸν στρατηγὸν ἐν τῷ πολέμῳ μὲν ἑβδομήκοντα ἢ πέντε πόλεις συμμαχίδας ἀποβεβληκέναι, ἃς ἐπήσατο Τιμόθεος ὁ Κόνωνος, ἢ προσέθηκεν εἰς τὸ συνέδριον. *Initiò enim bellum fecimus pro Amphipoli. Quo in bello accidit, Imperatorem noſtrum quinque & ſeptuaginta urbes ſocias amiſiſſe, quas lucratus fuerat Timotheus Cononis filius, & noſtro Concilio adjunxerat.* (Puto eo de Conventu loqui, de quo mox diximus.) Hinc ſanè non parum fractæ ſunt Reipublicæ vires. De ſingulis illis urbibus enucleatiùs, quid actum fuerit, enarrabimus in hac Oratione, cum mentio earundem fiet. Nunc indicamus tantummodo, ne prorſus iſthæc Oratoris verba in obſcuro jaceant.

[G] Nihil æquè afflictos conſternatoſque animos erigit, quàm iis oſtendere, ſuâ culpâ in malum incidiſſe, & in ſua eſſe poteſtate remedium afflictis rebus afferre. Damnum quippe nos angit vehementiùs, ac prope labefactat, quod vi ſuſceptum eſt; utpote quod vitari, noſtrâque induſtriâ deleri nequeat. Hac arte præoccupat Cives ſuos, ne animis cadant, nec ſpem abjiciant recuperandæ priſtinæ dignitatis.

[H] Lacedæmoniorum potentia culmen habuit circa Olympiadem centeſimam; cum enim ab anno primo O. 94. Athenas in ſuam poteſtatem redegiſſent, Pelopon-

ponnenſium alios metu, alios vi, dicto ſuo audientes haberent, Thebanos perdomuiſſent, hoc denique an. 380 A. C. 100. Olynthios quoque morem ſibi gerere coegerunt. Sed Græcos Hiſtoricos audiamus, qui hujus ſplendorem auctoritatemque Reipublicæ magnificis verbis nobis ob oculos ponunt. Sic enim Xenophon ſcribit[f]: Προσεχωρηκότων δὲ τῶν Λακεδαιμονίοις, ὥστε Θηβαίους μὲν καὶ τοὺς ἄλλους Βοιωτοὺς παντάπασιν ὑπ' ἐκείνοις εἶναι, Κορινθίους δὲ πιστοτάτους γεγενῆσθαι, Ἀργείους δὲ τεταπεινῶσθαι διὰ τὸ μηδὲν ἔτι ὠφελεῖν αὐτοὺς τῶν μηνῶν τὴν ὑποφοράν, Ἀθηναίους δὲ ἠρημῶσθαι, τῶν δ' αὖ συμμάχων κεκολασμένων, οἳ δυσμενῶς εἶχον αὐτοῖς, πανταχόθεν ἤδη καλῶς, καὶ ἀσφαλῶς ἡ ἀρχὴ ἐδόκει αὐτοῖς καθεστηκέναι. *Quæ omnia Lacedæmoniis benè feliciterque proceſſerant. Nam Thebani, ac reliqui prorſus Bœoti ſub illorum erant poteſtate; Corinthios habebant fidiſſimos; Argivi demiſerant animos, quod nullo ſibi fuiſſet emolumento ſubductum induciarum tempus; vaſtati Athenienſes; frænatiſque Sociis, qui malè affectam in eos voluntatem retinebant, jam ex omni parte benè, tutiſſiméque conſtitutum ipſis Imperium videbatur.* Sic etiam Diodorus[g]: Διὸ καὶ τότε τὰς καιρὰς πλεῖστον ἴσχυσαν Λακεδαιμόνιοι, καὶ τῆς Ἑλλάδος ἔσχον τὴν ἡγεμονίαν καὶ γῆν ἅμα καὶ θάλατταν. Θηβαῖοι μὲν γὰρ ὑπῆρχον ἔμφρουροι· Κορίνθιοι δὲ, καὶ Ἀργεῖοι διὰ τὰς προγεγονότας πολέμους ὑπῆρχον ταπεινωμένοι· Ἀθηναῖοι δὲ διὰ τῆς τῶν πολεμουμένων κληρουχίας ἠδόξουν ἐν τοῖς Ἕλλησιν. Οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι τῆς τε πολυανθρωπίας, καὶ τῆς ἐν τοῖς ὅπλοις μελέτης πολλὴν πρόνοιαν ἐπεποίηντο, καὶ φοβεροὶ πᾶσιν ὑπῆρχον διὰ τὴν δυνάμιν τῆς ἡγεμονίας. Διόπερ οἱ μέγιστοι τῶν τότε δυναστῶν (λέγω δὲ τὸν Περσῶν βασιλέα, καὶ τὸν Σικελίας δυνάστην Διονύσιον) ἐθεράπευον τὴν Σπαρτιατῶν ἡγεμονίαν, καὶ συμμαχίαν ἔσπευδον συντίθεσθαι πρὸς αὐτούς. *Igitur per ea tempora* (ann. 1. O. 100.) *maximis Imperii viribus fruebantur Lacedæmonii, & mari terrâque totius Græciæ principatum habebant. Quippe Thebani præſidio coercebantur. Corinthii atque Argivi, ſuperioribus bellis fracti ac depreſſi. Athenienſes, propterea quod in ea manebant conditione, qua qui bello*

[f] *Xenoph. de reb. Græcor.* lib. v. [g] *Diodor.* lib. xv.

devicti

devicti sunt, ignobiles erant, nulliusque pretii apud Græcos. Contra Lacedæmonii curabant quàm maximè, ingentibus Copiis instrui, armorumque curam gerere, suâque potentiâ cunctis metum incussérant. Quapropter potentissimi tunc temporis principes (Regem Persarum loquor, ac Dionysium Siciliæ dominum) Spartanorum Rempublicam colebant, curabantque societatem cum ipsis componere. Verùm ex eo tempore illorum fortuna ad fastigium perducta inclinare cœpit, quoad à Thebanis vehementer afflicta fuit, ac labefactata; cum hactenus cunctis Græcis potentiâ atque auctoritate anteissent, plerumque soli, aliquando cum Athenienſibus.

[ι] Cum ab enarrato Spartanæ felicitatis tempore ad istud, quo Demosthenes in præsenti orabat, septem duntaxat effluxerint Olympiades, quotquot Concioni aderant eandem felicitatem aut meminisse poterant, aut veluti recentissimam à Parentibus audivisse, perinde non eam describit Orator, sed in mentem solùm revocari jubet.

[κ] Cum in tanta, quam enunciavimus, felicitate insolenter se gererent Lacedæmonii, & Cadmeam Thebarum arcem Civibus restituere pernegarent, isti in desperationem acti omnem movere lapidem pro recuperanda libertate statuerunt. Itaque ad bellum, quod Bœoticum dictum est, parati, Legatos Athenas miserunt auxilium deprecaturi. Ὁ δὲ Δῆμος, lubet Diodori verbis rem gestam narrare, τῶν Ἀθηναίων διακύσας τῶν πρέσβεων ἐψηφίσαλο παραχρῆμα δύναμιν ὡς πλείσην ἀποσεῖλαι τὴν ἐλευθερώσουσαν τὰς Θήβας, ἅμα μὲν τῆς ἐνεργεσίας ἀποδιδὺς τὰς χάριλας, ἅμα δὲ βυλόμενος τὺς Βοιωτὺς ἐξιδιώσασθαι, κὴ σωαγωνισὰς ἰσχυρὺς ἔχειν καλὰ τῆς Λακεδαιμονίων ὑπεροχῆς &c. τέλος δὲ Δημοφῶν καλασαθεὶς σραληγὸς, κὴ παραχρῆμα πενλακισχιλίους ὁπλίτας, κὴ πενλακοσίους ἱππεῖς καλαλέξας, τῇ ὑσεραίᾳ τὴν δύναμιν ἅμ' ἡμέρᾳ προήγαγεν ἐκ τῆς πόλεως, κὴ δρομαῖος ἠπείγελο, φθάσαι σπεύδων τὺς Λακεδαιμονίους. Οὐδὲν δὲ ἧτλον ὁ δῆμος παρεσκευάζελο πανδημεὶ σραλέυειν εἰς τὴν Βοιωλίαν, ἐὰν ἡ χρεία. *Athenienſium verò populus, auditis Legatis, decrevit illico maximas Copias expedire ad liberandas Thebas, simul*

ratus

ratus beneficii gratiam rependere, ac ſibi Bœotos obſtringere, quos deinde fortes haberent ſocios contra immodicam Lacedæmoniorum potentiam &c. Denique Domophon dux creatus, ſelectis confeſtim quinque millibus gravis armaturæ peditibus, equitibuſque quingentis, poſtridie ſtatim ac illuxit eos eduxit ex urbe, feſtinatoque pergit, ſtudens Lacedæmonios antevertere. Nec minus Populus prompto, paratoque animo erat, univerſo militum robore, ſi opus foret, in Bœotia bellum gerere [t]. Qua quidem agendi generoſitate gens illa oſtendit, ſibi magis cordi fuiſſe Græciæ libertatem, quàm proprium diſcrimen, quod laceſſendâ Spartanorum irâ, Reipublicæ procreabat, ut Orator commemorat. Quamquam re verâ, ſi fidem habere velimus Xenophonti [v] ſcriptori graviſſimo, & συνχρόνῳ, non magnitudine animi, ſed inſidias è Lacedæmoniis metuentes Athenienſes in Bœotico bello Thebanis opitulati ſunt. Siquidem Mellon ad opprimendos ſeptem Tyrannos à Spartanis Thebis impoſitos, aliquid privatim auxilii ſibi ſumpſit ab Athenienſibus, quo confirmatus & eoſdem Tyrannos occidit, & Cadmeam recuperavit. Hoc facinore exciti Lacedæmonii, educto exercitu, profligatâque longè ſibi occurrentium Thebanorum manu, cum per Atticam peragrarent, Thebas petituri; tanto timore perculſi ſunt Athenienſes, ut in dicto judicio alterum è Ducibus, qui Melloni ſuppetias ierat, ſupplicio affecerint, alterum exilio. Quod cum audiſſent Thebani, dolum excogitarunt, quo Athenienſes neceſſariò inducerent in ſuam ſocietatem. Nam Sphodriæ Laconum Theſpiis Præfecto, pecuniâ corrupto ſuaſerunt, ut Piræum, qui nondum poſt murorum inſtaurationem portis claudebatur, occuparet. Rem tentavit, ſed irrito conatu; armenta tamen abduxit. Athenienſes cum Spartanis injuriam expoſtularunt; ſed Sphodria nullâ pœnâ multatus eſt Cleonymi filii ſui beneficio, qui ab Archidamo, Ageſilai Regis filio, hoc à Patre impetravit, ut liber evaderet. Athenienſes cum criminis autorem nullo damno affectum intelli-

[t] *Diod.* lib. xv. *an.* 3. *O.* 100. [v] *Xenoph. de reb. Græcor.* lib. v.

gerent,

gerent, exiſtimantes illud Lacedæmoniorum voluntate perpetratum, injuriam ulturi, atque inſidiarum metu, auxilium, ut diximus, Thebanis decreverunt. Verùm Oratoris eſt, rem non tam diligenter, cum ſit opus, expendere, ut in ſui traducat utilitatem.

[L] Bœoticum bellum optimè ſucceſſit Athenienſibus; eo ſiquidem fractæ ſunt Lacedæmoniorum vires. Hinc Demoſthenes colligit, nihil Civibus ſuis metuendum eſſe, cum benè conſulunt Reipublicæ, ut hac factum fuiſſe occaſione ſuperiùs adnotavimus. Contra Peloponneſiacum alterum extremâ Urbis ruinâ concluſum fuit, cum Cives inter ſe diffidentes, nullâque prudentiâ illud moderantes, præſertim ſuſceptâ Syracuſanâ expeditione, commune bonum, publicamque ſalutem neglexerint. Ad hæc duo maxima bella ſermonem præcipuè ab Oratore hoc loco referri non dubito.

[M] Quot locis deſpoliati tum temporis fuiſſent à Philippo Athenienſes ſuperiùs Nota F indicavimus.

[N] Pydna Macedoniæ Urbs apud Thermaicum ſinum in Pieria regione, ut Ptolemæus habet [x], Strabonis tempore dicebatur *Citro*. Diſtabat à Methone ſexaginta ſtadiis, eamque occupavit Philippus, ut jam adnotavimus, ann. 3. Ol. 105. cum jampridem, ſcilicet ann. 3. Ol. 92. eam ſubegiſſet Archelaus Macedonum Rex, Civeſque viginti ſtadiis longè à mari novum capere ædificandæ urbis locum coegiſſent [y]; deinde à Timotheo Athenienſi an. 3. Ol. 101. capta. Apud ipſam Paulus Æmilius cum Perſeo, poſtremo Regem Macedonum, debellavit, ſi Plutarcho, & Straboni [z] credimus, cujus iſta ſunt verba: ἐν μὲν οὖν τῷ πρὸ τῆς Πύδνης πεδίῳ Ρωμαῖοι Περσέα καταπολεμήσαντες, καθεῖλον τὴν τῶν Μακεδόνων βασιλείαν. *In Campo ante Pydnam Romani Perſeum bello conterentes, everterunt Macedoniæ Regnum*; nunc *Chitro* dicitur.

[x] *Ptol.* lib. iii. cap. 13. [y] *Diod.* l. xiii. [z] *Strabo in excerptis*, lib. vii. *Plut. in lib. de adul. & amici diſcr.*

[o] Potidæa, autore Stephano, Urbs Thraciæ, ſeu potius Macedoniæ, Thraciæ contermina ad Pallenes iſthmum ſita, vetus Corinthiorum Colonia, ſed a. 1. O. 104. à Timotheo facta Athenienſium vectigalis, ab ipſiſque longos muros Pallenem verſus demoliri juſſa, atque obſides dare, veritis, ne Cives ob Corinthiorum benevolentiam, cum quibus tunc Athenienſes gerebant inimicitias, rebellarent; ut eſt apud Thucydidem. Τῶν δὲ Ποτιδεατῶν ἐπιτειχισάντων τὴν ἔχθραν αὐτῶν οἱ Ἀθηναῖοι, Ποτιδαιάτας, οἳ οἰκοῦσιν ἐπὶ τῷ ἰσθμῷ τῆς Παλλήνης, ὄντας Κορινθίων ἀποίκους, ἑαυτῶν δὲ ξυμμάχους φόρου ὑποτελεῖς, ἐκέλευον τὸ ἐς Παλλήνην τεῖχος καθελεῖν, καὶ ὁμήρους δοῦναι. *Athenienſes, ex ipſorum* (Corinthiorum) *inimicitiâ ſuſpicionem Potidæenſium habentes, iis imperarunt muros dejicere, Pallenem verſus, atque obſides dare. Qui Potidæenſes ad ejuſdem Pallenes iſthmum habitant, Corinthiorum Coloni, Athenienſium Socii vectigales.* At imperata facere detrectantes deſciverunt [b]. Longa, ac non ſemel inſtaurata obſidione preſſi, demum Athenienſibus cedere coacti ſunt, à quibus expulſi, viri cum ſingulis veſtibus, cum duobus fœminæ ad Calcidenſes in Thraciam confugerunt. In Urbem mille Athenienſium Coloni deducti ſunt; in eaque obſidione abſumpta duo talentûm millia, ſeu duodecies centena millia Coronatorum [c]. Fruſtra dolo tentata à Braſida Lacedæmonio anno nono belli Peloponneſiaci [d], Philippo ceſſit an. 3. O. 105. depulſo Athenienſium præſidio, & ipſis Civibus, ſi Pauſaniæ credendum eſt; qui Cives demum à Caſſandro Macedonum Regem in ſuam Civitatem reſtituti [e], atque Urbs, de illius nomine Caſſandra nuncupata eſt.

[p] Quinque Methonas recenſet Stephanus. Demoſthenes Thracicam hoc loco nuncupat. Urbs erat in Macedoniæ finibus, Pydnâ quadraginta ſtadiis diſtans. Faciles inde Athenienſibus in illud Regnum excurſiones, ut ex Thucydide [f] exiſtimari poteſt:

[b] *An.* 2. O. 86. *Thucyd. ibid. Diod.* lib. xii. [c] *A.* 4. O. 87. *Thucyd.* lib. ii. *Diodor.* l. xii. [d] *An.* 3. O. 89. [e] *An.* 1. O. 116. *Pauſan. Eliac.* 1. *Diod.* lib. xix. [f] *A.* 3. O. 91. *Thucyd.* lib. vi.

Καὶ

Καὶ ἐς Μεθώνην τὴν ὅμορον Μακεδονίᾳ ἱππέας καὶ τὰ θάλασσαν κομίσαντες Ἀθηναῖοι, σφῶν τε αὐτῶν, καὶ Μακεδόνων παρὰ σφίσι φυγάδας, ἐκακίεργον τὴν Περδίκκου. *Atque Athonienſes, Methonem mari tranſportatis equitibus cum ſuis, tum Macedonicis, qui apud ſe exulabant, vaſtabant Perdiccæ Regnum.* Quamobrem à Philippo obſeſſa, capta, dirutaque eſt, ut verbis hiſce narrat Diodorus[g]: Φίλιππος δὲ, ὁρῶν τὴς Μεθωναίους ὁρμητήριον παρεχομένους τὴν πόλιν τοῖς πολεμίοις ἑαυτῶ, πολιορκίαν συνεστήσατο. Καὶ μέχρι μέν τινος οἱ Μεθωναῖοι διεκαρτέρουν, ἔπειτα καμόντες συνηναγκάσθησαν παραδοῦναι τὴν πόλιν τῷ Βασιλεῖ, ὥστε ἀπελθεῖν τοὺς πολίτας ἐκ τῆς Μεθώνης, ἑκάστους ἓν ἱμάτιον ἔχοντας. Ὁ δὲ Φίλιππος τὴν μὲν πόλιν κατέσκαψε, τὴν δὲ χώραν διένειμε τοῖς Μακεδόσιν. Ἐν δὲ τῇ πολιορκίᾳ ταύτῃ συμβῆναι τὸν Φιλίππου εἰς τὸν ὀφθαλμὸν πληγέντα τοξεύματι, διαφθαρῆναι τὴν ὄψιν. *Philippus autem animadvertens, Methonæos urbem ſuam ipſius hoſtibus tamquam belli receptaculum exhibere, illam obſidione cinxit, quam forti animo Cives aliquo tempore pertulerunt; ſed ejus deinde viribus oppreſſi, Urbem Regi hac tradere conditione coacti ſunt, ut ſibi cum ſingulis veſtibus abire fas eſſet. Philippus eam diruit, agrumque Macedonibus diſtribuit. Dum urbs quateretur, accidit Philippum ſagittâ in oculo percuti, ejuſque orbari uſu.* Oculo Regem captum apud Thracicam Methonem præter Diodorum tradunt quoque Strabo[h]; Euſtathius, aliique; quare qui recentiores de Peloponneſiaca aut Theſſala Methone haç in re loquuntur, audiendi quidem non ſunt.

[Q] Illyrios, Pæonas, ac Thraces intelligit, qui ſuis legibus viventes, ſuorumque Regum imperio ſponte libentérque obtemperantes, in Philippi poteſtatem concedere vi adacti ſunt[i]. Hi ſanè Athenienſium amicitiam, quàm ejuſdem Philippi, maluiſſe nemo ibit inficias.

[R] Philippus Amyntæ Macedonum Regis filius, Pater Alexandri Magni; *ut enim cæteri ex patribus, ſic hic, qui lumen illud progenuit, ex filio eſt nominandus,*

[g] *An.* 4. *O.* 106. *Diod.* lib. xvi. [h] *Strabo in excerptis*, lib. vii. *Euſtath. ad* lib. ii. *Iliad.* [i] *Diod.* lib. xvi.

ut de Catone loquitur Tullius [k]; poſt obitum Alexandri, & Perdiccæ fratrum ſuorum Macedoniæ Regnum a. 1. O. 105. adeo concuſſum, labefactatumque ſuſcepit, ut vix quiſquam putaſſet in ſuo poſſe conſiſtere. Nam & illud Amyntas bello victus Illyriis fecerat vectigale, quibus etiam Philippum obſidem dederat; & nuper, Perdiccâ in acie contra eoſdem Illyrios cum quatuor Macedonum millibus occiſo, recenti calamitate concutiebatur. Acceſſerant Pæones provinciam depopulati; Thraces, qui Pauſaniam; Athenienſes, qui Argæum, viros è regia ſtirpe eductos, armis in regnum deducere nitebantur. Attamen vir magnanimus non ſeſe abjecit, ſed priùs eloquentiâ, blanditiis, muneribus Civium benevolentiam ſibi conciliavit; deinde milites diligentiùs ad bellum inſtruxit, militarem edocuit diſciplinam, ac præſertim phalangem, quam excogitatam ab Heroibus ad Trojam ex Homero didicit. Demum cum Pæone muneribus, promiſſiſque delinito, tum Athenienſibus omni officiorum genere, dimiſsâque Amphipoli illectis, pacem compoſuit. Hinc viribus confirmatus, gloriæ ac felicitatis curſum incepit. Nam poſtero anno, cum Agis Pæonum Rex ſupremum obiiſſet diem, regionem ingreſſus, Pæones ipſos prælio fudit, juſſitque, ſi pacem vellent, è Macedoniæ finibus decedere, Urbeſque deſerere, quas ibi antea occupaverant. Poſtmodum Illyrios profligavit, ſeptem ipſorum millibus uno conflictu deletis, pacemque iniquis conditionibus dedit. Iterum an. 3. ejuſdem Olymp. Thraciæ Urbes, quas paulò ante memoravimus, ex Athenienſium manibus eripuit, Olynthios ſibi conjunxit, & an. 4. perdomitis Theſſalorum Tyrannis ſummam ab iis populis gratiam inivit. Inſequenti an. 1. O. 106. Pæonum, Illyriorum, Thracumque Reges in ſui perniciem conjuratos fregit adeo, ut Macedonum Regibus obedire coegerit. Denique dejecta Methone, ſuſceptaque parte in Phocenſi bello, Græcis omnibus ſui metum incuſſit, &

[k] *Cic.* lib. iii. *de Off.*

jam hoc anno primo Olympiadis ſeptimæ viam ſibi muniérat ad univerſæ Provinciæ, finitimárumque principatum[l]. Quocirca non immeritò Demoſthenes hoc loco ejus potentiam extollit, tamquam ſolertiâ atque animi virtute partam.

[s] Erigit Athenienſes in ſpem recuperandi tot Urbes, ac munitiones, quibus Philippus Rempublicam deſpoliáverat; nam ut eas ille, vincendo, ſibi comparáverat; ita poſſe Athenienſes, ſi valeant armis, ac vincant, in ſui poteſtatem redigere. Cæterùm loca, vallo, foſsâ, propugnaculis munita præmio Victoribus ſunt, ſed non parato, nec inerruento.

[t] Armorum jure ſibi aſſeruerat Philippus, ut nuper vidimus, Pæonas, Illyrios, ac Thracum aliquos.

[u] Fœdere atque amicitiâ ſibi Theſſalos atque Olynthios conciliaverat. De Olynthiis alius erit dicendi locus. Cum Theſſalis hæc fuit ineundi fœderis cauſa: Thebes Alexandri Pherarum Tyranni uxor Conjugem doloſè neci dederat, vocatis in partem facinoris Lycophrone ac Tiſiphono ſuis fratribus. Res initio Theſſalis grata, jucundaque; at cum Tyrannicidæ militem peregrinum ſibi devinxiſſent, dominandi voluptate capti, Imperium ſibi ſtatuere non dubitarunt. Verùm Alevadæ, homines illuſtri genere clari, tantam indignitatem ferentes ægro animo, cum pares non eſſent rei abſolvendæ, ad expellendos Tyrannos Philippi opem implorarunt. Detulit illico Rex magnanimus, poſitiſque in Theſſalia caſtris[m], illos vincit, proſternit, deturbat, Urbeſque omnes in libertatem vindicat, tantâ Civium benevolentiâ, ut nunquam deinceps nec ipſe, nec Alexander ejus filius, Theſſalorum auxilio deſtituti, bellorum diſcrimen adierint[n]; adeò gens illa accepti beneficii gratiam habere ac referre voluit.

[x] Naturâ comparatum eſt, ut qui alieno indigent auxilio, ab iis quærant, qui dare poſſint. Hinc potentiſſimi Reges tenuiorum Principum obſequia ſibi

[l] *Diod.* lib. xvi. [m] *An.* 4. *O.* 105. [n] *Diod.* lib. xvi.

comparant benefaciendi facultate; benevolentiam, voluntate.

[y] Duo mala ad bellum fauſtè gerendum perniciosa maximè Reipublicæ Athenis inveteraverant, de quibus Demoſthenes ſæpius agit; alterum, quòd militari diſciplinâ non leviter diſſolutâ, non facilè Athenienſes nomina Tribunis dabant, de quo in fine Olynthiacæ tertiæ queritur, ſuadetque vacationes, & commeatus Civibus prohiberi; alterum, quod divites pecuniam nimis avarè publicis uſibus denegabant. Cum enim tributa penderentur à mille ducentis illis, de quibus in Orat. de Claſſibus loquuti ſumus, quorum aliqui paratam pecuniam plerumque minimè habebant; ditiores pro rata parte erogabant dumtaxat, nec pro reliquis quidpiam dare inducebant animum. Hinc parum argenti obveniebat Reipublicæ, nec ſuppetebat, quo bellum alere poſſet. De hac re in laudatâ Oratione verba facit Demoſthenes, ac remedium proponit; Nos quoque plura de hujuſmodi argumento ibidem adnotavimus.

[z] Quantas ad hoc uſque tempus injurias Philippus fecerit Athenienſibus nuper enarravimus. Eas ulciſci nunc hortatur Demoſthenes Cives ſuos, idque, recuperando ſolertiâ, ac ſtrenuitate, quod per inertiam deſidiamque amiſerant.

[a] Geminam populorum Claſſem, qui à Philippo ſtarent, ſed non ſtabili fide, ponit Orator hoc loco; unam eorum, quibus ille familiariter uteretur, aliorum alteram huic oppoſitam, quos acerbo in ſe animo eſſe reputaret; utramque tamen odio ac metu in ipſum duram difficilemque. At quam gentem, quos populos huic duplici Claſſi aſſignabo? Dico equidem, Pæonas, Illyrios, Thracas ob oculos præſertim habere, cum illos indicat, qui ſuſpecti & graves erant Philippo, quamvis ei morem gererent. Vi enim dudum ſubacti, ut jam retulimus, vi pariter ac metu illum ſequebantur, nec poterat illorum amicitiam non infidam exiſtimare, quam arma ac timor expreſſerant.

[b] In

[b] In altera verò claſſe collocari arbitror Theſſalos, ac Thebanos, quos Rex diligenter complectebatur, atque obſervabat; cum utriſque in armis erat contra Phocenſes, & Lycophronem Tyrannum. Attamen Orator, qui nullum prætermittit bene de Thebanis merendi locum, tacitè innuit, utroſque iniquum in Regem animum ferre, quippe cujus conſuetudinem gravem ac periculoſam cuicumque Mortalium exiſtimet. Neſcio quî aliquibus in mentem veniat ſubintelligere hoc loco Macedonum Proceres, Olympiam uxorem, Alexandrum Philippi filium. Nam de iis agit, qui bello eum peterent, ſi poſſent, ſibi Athenienſes obtinere ſuſcipiendi facinoris auxiliatores. Quid hoc ad Olympiam fidiſſimam conjugem? quid ad Alexandrum quadrimum? Siquidem natum an. 1. Ol. 106. die ſeptimo Sextilis contra Plutarchum tutiſſimis argumentis probat vir maximus Scaliger [o]. Proceres autem, quos Rex familiariſſimos haberet, cur ei inſidiarentur? A Pauſania quidem interemptus eſt, ſed ob gravem acceptam injuriam. Macedonum aliquos ab illo abhorrere ait Demoſthenes in tertia Olynth. ſed qui militiæ ac tributorum onere deprimerentur, non qui ejus familiaritatem colerent.

[c] Poſtquam Athenienſes ab inferendo in Macedoniæ regnum Argæo deſtiterant, pacemque fecerant cum Philippo, nunquam aperto bello cum eo contendere in animum induxerant, quamvis tot damnis, injuriiſque provocati, ſtuduerantque ſolùm loca ſua tueri, amicis opitulari. Quoad nimiâ Regis potentiâ perterriti, ac Demoſthenis eloquentia commotis, armis illam frangere decreverunt an. 1. O. 108. ac bellum indicere. Οἱ δὲ Ἀθηναῖοι, Diodorus [p] eſt autor, *τὴν αὔξησιν ὑφορώμενοι τῷ Φιλίππῳ, τοῖς ἀεὶ πολεμουμένοις ὑπ' αὐτῷ ἐβοήθουν, πρέσβεις ἀποστέλλοντες ἐπὶ τὰς πόλεις, καὶ παρακαλοῦντες τηρεῖν τὴν αὐτονομίαν, καὶ τὰς ἐπὶ τὴν προδοσίαν ὁρμοῦσας τῶν πολιτῶν θανάτῳ κολάζειν. Ἐπηγγέλλοντο δὲ πᾶσιν συμμαχήσειν, καὶ φανερῶς ἐαυτοὺς πολεμίους ἀποδείξαντες τῷ βασιλεῖ, διεπολέμουν πρὸς Φίλιππον. Μάλιστα δ' αὐτὸς*

[o] *Joſeph. Scalig. ad hunc annum Euſeb.* [p] *Diod.* lib. xvi.

παρώξυνε πρὸς ἅπαντας τοὺς Ἕλληνας· Δημοσθένης ὁ ῥήτωρ, δεινότατος ὢν τῶν κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους Ἑλλήνων. *Athenienſes autem Philippi incrementa reformidantes, opem tulerunt iis, qui ſemper ab eo infeſtis armis vexati ſunt; Legatos quoque miſerunt circùm urbes, eas ad tuendam libertatem adhortantes, ac morte plectendos Cives, qui proditionem pararent. Cunctis fœdus, ac ſocietatem ſuam promittebant, & apertè inimicum Philippo præſe ferentes animum, bellum cum ipſo gerebant. Eos præſertim Demoſthenes Orator ad Græciam defendendam inflammabat, qui tunc eloquentiæ vi potentiſſimus Græcorum omnium ætatem degebat.* Dum verò hæc habita eſt Oratio, in eâ primâ deſidiâ manebant Athenienſes, nec quidquam adverſus Philippum moliri audebant. Non tamen deſiſtebat Demoſthenes contra illum orare, ut ex hac Oratione, aliiſque habitis ante memoratum à Diodoro tempus patet. Quare meritò hoc loco dicitur, neminem ab illo poſſe deſciſcere, cum Athenis nullum pateat perfugium; timidè, cautèque nimium ſe gerentibus Civibus.

[d] Ægrè tamen ferebat Philippus vel quod auxilia ſociis mitterent Athenienſes, eoſque tuendos ſuſciperent; hinc iis minitabatur, ni ceſſarent, pœnas perſoluturum. At peculiarem quamdam ſe ulciſcendi minitandique occaſionem ei datam puto, cum hoc ipſo anno poſt oppreſſam Pheræorum Tyrannidem, pacatamque Theſſaliam, Pylas tranſgredi, & in Phocidem irrumpere voluit, ferociſſimam gentem in propriis ſedibus aggreſſurus, quam & ſibi inimicam, & Theſſalorum oppreſſionem quæſiſſe viderat. Pylas tamen ab Athenienſium Copiis occupatas reperit, quæ illi tranſitum prohibentes, in Macedoniam regredi coegerunt [q]. Hinc iræ, atque arrogans in Rempublicam ſermo, fremitus, minæ.

[e] Aptiſſima comparatio. Ut enim, qui ſtudet lentâ obſidione Urbem aliquam capere, vallo eam cingit, ac paulatim progrediens, tectus accedit, ex omnique illam parte concludit; ita Philippus Athe-

[q] *Diod.* lib. xvi.

nas

nas haud aperto Marte, ſed veluti indagine cingebat. Nam prius deſpoliatas remotioribus Imperii propugnaculis, Pydnâ, Potideâ, Methone, Amphipoli, cæteriſque Thraciæ urbibus in anguſtum adduxit. Deinde fœdere, atque amicitiâ conjunctis ſibi Theſſalis, Bœotiſque, vix eis reliquit, unde ſpiritum haurire poſſent.

[f] Nihil æquè in generoſo ac nobili animo poteſt, quam pudor ac dedecus; huic ærumnas præponit, ipſamque mortem. Ut igitur extollat ſeſe ab humili abjectâque fortunâ, vires omnes impendet, calamitatem familiariùs feret.

[g] Magna huic ſententiæ vis eſt, atque ad excitandos animos potentiſſima; ſimul enim ante oculos ponit, qui dudum fuerit Macedonum ſtatus, quique Athenienſium. Macedones enim paucis ante annis, nempe an. 1. Ol. 105. cum Philippus Regni habenas moderandas ſuſcepit, pavidi, victi, ſordidati; Athenienſes imperio, dignitate, viribus florentes; adeo ut quinque aut ſex annorum intervallo tantam fortunæ commutationem nemo ſibi perſuadere potuiſſet: *παραλαβὼν*, inquit Diodorus [r], *τὴν Μακεδονίαν δουλεύουσαν Ἰλλυριοῖς, πολλῶν καὶ μεγάλων ἐθνῶν, καὶ πόλεων κυρίαν ἐποίησε. Suſcipiens Macedoniam Illyriis ſervientem, maximorum populorum ac Civitatum dominam reddidit.* Exemplum hoc, familiare cunctis ætatibus, pluribuſque nationibus, maximo documento eſt, ludere in rebus humanis Fortunam.

[h] Philippum ſuperiori anno, dum Methonem Thraciæ obſideret, ſagittâ in oculo ictum memoriæ traditum eſt [s], quam ſagittam conſultò emiſiſſe ferunt Aſterem Amphipolitam, ſuo nomine inſcriptam. Vulnus exculpſit oculum; tantùm verò de hujuſmodi calamitate gloriabatur, ut Cliſophus ejus paraſitus alterum & ipſe ſibi oculum obligaverit, hero ſupparaſitatus [t]. Hinc vitæ diſcrimen adiiſſe dubitari ne-

[r] *Diod.* lib. xvi. [s] *Diod.* lib. xvi. *Plutarc in Parall. Strab.* lib. ix. *Agellius* lib. ii. *Noct. Attic. Solenus* lib. iv. & xv. *Ulp. in Olynth.* 3. [t] *Ælian.* lib. ix. *Animal.* cap. 7.

quit. An verò Demoſthenes de hujuſmodi caſu loquatur, non ſatis certum. Puto Regem ante, vel poſt Theſſalicam expeditionem in morbum incidiſſe; quod utique in promptu Mortalibus quotidiè eſt. Ἀσθενεῖ enim, quod verbum hoc loco uſurpat Orator noſter, propriè ſignificat, ex interno morbo languere.

[i] Miro quodam artificio, quotieſcumque Philippi vires ac felicitatem exaggerat, addit ut plurimùm, illam ex Athenienſium magis incuriâ, quàm ex illius virtute, derivaſſe. Nam ſi ſecus Cives ſibi perſuaderent, nullum adhiberent remedium ei coercendæ, velut inutile reputantes, atque animis caderent.

[k] Nullus dubito, verbis hîſce, εἴ τι πάθοι καὶ τὰ τῆς τύχης &c. indicari Philippi mortem, ſi unquam accideret. At in dubium revocari poteſt, utrum iſta, quæ ſequuntur, ac Parentheſi concluduntur: ἧττον οἶδε βέλτιον, ἢ ἡμεῖς ἡμῶν αὐτῶν ἐπιμελούμεθα· καὶ γὰρ ἐξεργάσαλο. *quæ nunquam non diligentiorem, quàm vos ipſi, curam gerit rerum veſtrarum; quas enim earum fovet, abſolvit:* ad ipſum mortis eventum, quæ Philippo obvenire potuiſſet, referenda ſint; an generatim ad plures rerum caſus, qui bene feliciterque Athenienſibus acciderant, Fortunæ benignitate, non ſuâ induſtriâ diligentiâque. Puto Demoſthenem huc mentem advertiſſe. Ut enim vetera omittam, recenter aliqua contigerant, in quibus Fortuna potiùs, quàm prudentia partes habuerat. Quid egerant Athenienſes, ne Artaxerxes bellum, quo ſe ulciſci deſiderabat, in ipſos commoveret? Nihil ſanè. Caſu tamen nequicquam illatum fuit. Quoties luſit fortuna in Sociali bello? Illud autem nonne ipſa ſolùm abſolvit? Quippe Perſarum minæ ſuaſerunt Reipublicæ pacem componere; & cum fœderati bellum ducere debuiſſent Regis ope confirmati, quam trecentis triremibus adverſus Athenienſes allaturum ſe vociferabatur, repentè finem diſcordiis impoſuerunt. Et alia hujuſmodi. Rurſus, ſi gravi tum Philippus morbo concutiebatur, cur immaturo animi ardore Cives ad bellum cum eo ſuſcipiendum concitabat, nec affectæ valetud nis exitum expectabat? Si convaluerat, fruſtra de proxima illius morte cogitabat.

Ad hanc tamen, ſi cui lubeat, hæc quoque verba, interjectione comprehenſa, referre non moror, dummodo optando proferantur hoc ſenſu: καὶ τὰ τῆς τύχης ἡμῖν ὑπάρξει (ἦπερ αἰεὶ βέλτιον, ἢ ἡμεῖς ἡμῶν αὐτῶν ἐπιμελούμεθα, καὶ γὰρ ἐξεργάσαιτο) *& Fortuna nobis arrideat, quæ ſemper diligentiorem, quàm nos ipſi, curam noſtrûm gerit, & utinam abſolvat*, ſcilicet Philippum ad exitum vitæ perducere, quod incepit, immiſſo morbo. Hunc ſenſum verba illa capere poſſunt, quippe ἐξεργάσαιτο eſt aoriſtus optativi medii verbi ἐξεργάζω. Quamquam ſi adeſſet particula ἂν, quæ potentialitatem, ut vocant, oſtenderet, hanc tutius ſententiam complecti poſſemus. Wolfius vir doctiſſimus oſcitanter per tempus futurum ſic vertit: *& fortunæ favor nobis adeſſet, quæ ſemper nos meliùs, quàm noſmetipſi curamus (etenim fortaſſe abſolvet rem, ſuumque beneficium conſummatum reddet).*

[l] Enimvero ſi Reſpublica non fuiſſet orbata Pydnâ, Potideâ, Methone, Amphipoli, quas urbes Philippus, ut jam diximus, occupaverat, quæque in Macedoniæ finibus jacent, ut pariter admonuimus; contingeret autem Regem mori, quamobrem maximi rerum motus in Regno fierent; poſſent Athenienſes iſtud, cui vellent, deferre, ac ſuæ conſulere utilitati; Ut ſuperioribus annis pertentaverant, cum è vivis, ſublato Rege Perdicca, Regnum avitum Argæo dare[v] contenderant, excluſo Philippo.

[m] Poſtquam an. 3. O. 105. Macedonum Rex Amphipolim vi ſubegit, numquam Athenienſes ab ea dejecerant oculos, ſummaque ferebantur ejus recuperandæ cupiditate; quocirca illam quotidiè à Philippo repetebant, ac Demoſthenes in 3. Olynth. Cives exagitat, quod, cum Hierax, Stratocleſque illius Civitatis populares publico ſuorum nomine Athenis urgebant, ut cum ea Claſſe, quæ ab Eubœa tuenda redibat, Amphipolim navigarent, Urbem accepturi, occaſionem neglexerint. Igitur, cum illa numquam ex Athenienſium animis effluxiſſet, ejuſ-

[v] *Diod.* lib. xvi.

que

que aliquando recipiendæ ſpem alerent, monet Orator, quod, quamvis accidat ejuſdem compotes fieri, ipſis tamen non ſatis id fore ad turbandas res Macedonicas; cum tot aliis locis, quæ memoravimus, privati, ad tantam rerum molem parum opis habere poſſint ex una dumtaxat Civitate. Nunc ut aliqua de hac ipſa Civitate loquar: eſt Amphipolis Macedoniæ Urbs prope Thraciam, *Novem Viæ* prius appellata, & Amphipolis dicta, quod à Strymone fluvio utrinque alluereturr. A. 1. O. 79. capta Urbe, Athenienſes in illam decem colonorum millia eum Civium, tum Sociorum, Apione duce deduxerunt, ejectis Edonis incolis. Προελθόντες δὲ τῆς Θράκης ἐς μεσόγειαν, διεφθάρησαν ἐν Δραβήσκῳ τῇ ἠδωνικῇ ὑπὸ τῶν Θρᾳκῶν ξυμπάντων, οἷς πολέμιον ἦν τὸ χωρίον αἱ ἐννέα ὁδοὶ καλούμενον[x]. *Progreſſi verò* (Coloni) *in Thraciæ Mediterranea, apud Drabeſcum Edonorum à cunctis Thracibus interempti ſunt; quibus oppidum, quod novem Viæ vocabatur, infeſtum erat, poſtquam in illorum ceſſerat poteſtatem.* Quamobrem iterum an. 4. O. 85. novos Colonos partim è Civibus collectos, partim à vicinis oppidis in illam duxerunt[y]. Nemo tunc ipſis negotium exhibuit, pacemque Civitas habuit, quoad an. 1. O. 89. arctiſſimâ obſidione concluſa in Braſidæ Lacedæmonii poteſtatem redacta eſt. Grave id accidit Athenienſibus, cum quia ſolùm vigintiquinque ſtadiis ab Eione diſtabat, nobili ipſorum Emporio, in oſtio Strymonis poſito; tum ὅτι ἡ πόλις, Thucydidis verbis loquor, λῷον ἦν σφίσιν ὠφέλιμος, ξύλων τε ναυπηγησίμων πομπῇ, καὶ χρημάτων προσόδῳ, καὶ ὅτι μέχρι μὲν τοῦ Στρυμόνος λῷον πάροδος, Θεσσαλῶν διαγόντων ἐπὶ τὰς ξυμμαχίδας σφῶν, τοῖς Λακεδαιμονίοις. Τῆς δὲ γεφύρας μὴ κρατούντων, ἄνωθεν μὲν μεγάλης ὁδοῦ ἐπὶ πολὺ λίμνης τοῦ ποταμοῦ, τὰ δὲ πρὸς Ἠιόνα τριήρεσι τηρουμένων, ἃ ἂν δύνασθαι προελθεῖν[z]. *quod ipſis ea urbs magni erat emolumenti, arborum exportatione ad fabricandas naves, ac vectigalibus; tum quia illinc tranſitus Strymonis erat*

[x] *Thucyd.* lib. i. *Diod.* lib. xi. & xii. [y] *Diod.* lib. xii.
[z] *Thucyd.* lib. iv. *Diod.* lib. xii.

Lace-

Lacedæmoniis, cum adverſus eorumdem Athenienſium ſocios illuc uſque à Theſſalis ducebantur. Siquidem cæruleus pons, ſuperiùs propter paludes intercluſo fluminis aditu, inferiùs Eionem verſus à Triremibus impedito, tranſgredi non potuiſſent. Reſtituta deinde Athenienſibus eſt an. 3. ejuſdem Olymp. 10. Peloponneſiaci belli, cum fœdus quinquaginta annorum percuſſum fuit, quo fœdere id etiam cautum eſt: ἀποδότων ἢ Ἀθηναίοις Λακεδαιμόνιοι, καὶ οἱ ξύμμαχοι Ἀμφίπολιν. *Reddant Athenienſibus Lacedæmonii, ac Socii Amphipolim.* Verùm cum inde multæ in Macedoniam excurſiones, multaque incommoda, ſtatim ac regnare cœpit Philippus, ad eam perdomandam ſtudium atque operam contulit. Ratus autem meliùs ſibi fore, ea dimiſſa, pacem ab Athenienſibus emere, pacatam reliquit; Sed anno abhinc altero, tertio nimirum O. 105. ad ingenium rediit, obſeſſamque in ſui ditionem recepit. Qua re commoti Athenienſes, dum manebat obſidio, Philippum adierunt, iſque urbem reſtituturum promiſit, ſi potiretur; interim velle Civium injurias ulciſci: Καὶ τῷ μὲν Φιλοκράτους ψηφίσματος μέμνηται, τῆς δὲ ἐπιστολῆς, ἣν πρὸς ὑμᾶς ἔπεμψεν, ὅτι Ἀμφίπολιν ἐπολιόρκει, ἐπιλέλησται. Ἐν ᾗ ὁμολόγει τοῖς Ἀμφιπολίταις ὑμετέρων εἶναι. Ἔφη γὰρ ἐκποιήσειν ὑμῖν ἀποδώσειν, ὡς ἔσαν ὑμετέρων καὶ ὑ τῶν ἐχόντων. Καίτοι ἐκεῖνος μὲν, ὡς ἔοικεν, οἱ πρότερον ἐν Ἀμφιπόλει οἰκοῦντες, πρὶν Φίλιππον λαβεῖν, τοῖς Ἀθηναίων χώραν εἶχον. Ἐπειδὴ δὲ Φίλιππος αὐτοῖς ἐλήφθη, ὑ τοῖς Ἀθηναίων χώραν, ἀλλὰ τοῖς ἑαυτῶν ἔχει. *In memoriâ Philocratis decretum habet; Epiſtolam verò, quam ad vos miſit, cum Amphipolim obſideret, non habet. Qua in epiſtola fatebatur Amphipolim ipſam veſtram eſſe. Dicebat autem, ſi in ſuam redigeret poteſtatem, eam vobis reſtituturum, quippe veſtri foret juris, non eorum, qui tunc obtinebant. Illi igitur, ut re verâ eſt, qui prius Amphipolim incolebant, antequam illam Philippus occuparet, Athenienſium regionem incolebant. Poſtquam ipſe habet, non amplius Athenienſium detinet, ſed quæ ſua erat, detinet*[a]. Ita

[a] *Oratio de Halon. inter Demoſth.*

nos

nos docet Autor Orationis de Haloneſo, quæ falsò Demoſtheni tribuitur: Atque hinc eruitur, Amphipolim in ſocietate, non in poteſtate, Athenienſium tunc fuiſſe. Hæc ejus urbis fortuna ad noſtræ hujus Orationis tempora. Nunc non ignobile oppidum remanet, à Turcis *Emboli*, à Græcis *Chriſtopolis* nuncupatum.

[n] Magnificis decretis aſſueverant Athenienſes; proinde ſolerter illos præoccupat Demoſthenes, ne faſtidioſè ferant humiliora conſilia, quæ dare ſtatuerat, præſenti rerum conditioni magis accommodata, quàm illorum magnanimitati.

[o] Et ſanè mirum videri debet, cur quinquaginta ſolùm triremes emittendas proponat, dum vel trecentas inſtrui cohortatus fuerat altero abhinc anno, ſcilicet tertio O. 106, cum Orationem de Claſſibus habuit. Aut enim trecentas educere, erat ex Reipublicæ viribus; & cur longè minori claſſe Regem potentiſſimum aggredi, cum maximâ opus fore videbatur, hortatur? Aut eidem tantæ vires non ſuppetebant; & quæ unquam calamitas, duorum annorum ſpatio, eas fregerat? Res videtur Œdipo indigere; at non tanti faciamus. Credo equidem hæc demiſſiora conſilia à ſplendidioribus illis dimanâſſe. Cum enim Demoſthenes experientiâ didiciſſet, Cives ſuos, propoſitæ rei magnitudine tunc oppreſſos, nihil egiſſe, & cum illam Claſſis molem ſe ſuſtinere non poſſe intelligerent, (ut plerumque agendæ rei deſperatione fit) conſilium omne inſtruendarum navium abjeciſſe. Quare ut aliquid modò gerant, cum tanta ſit aliquid gerendi neceſſitas, faciliora in medium adducit, quæque nulla difficultate explicari poſſint.

[p] Præcipuum ſtudium Athenienſibus fuit navalis roboris, ac diſciplinæ, unde reſpublica incrementum ceperat, dignitatem auctoritatemque ſuam tuebatur. Huic robori diſciplinæque innutriendæ multæ leges conſtitutæ ſunt, præmia propoſita. Primùm

mùm Themiſtocles, cujus divino conſilio rem nauticam ſummâ curâ amplexati ſunt Cives ſui, Artifices, ac Peregrinos, qui urbem incolebant, immunitate donavit, ut cum opus foret, navigationi operam darent [b]. Pericles deinde ſtipendio, in octo menſes conſtituto iis, qui ſe claſſi per annum adſcriberent, alacriores ad navigandum reddidit, ut narrat Plutarchus in ejus Vita, atque in Demoſthenis Oratione adverſus Polyclem (quæ tota eſt de re navali, multùmque ad perdiſcendas in hac ipſa re leges Athenienſium confert). Apollodorus queritur apud Judices, ſe pro ſuis Nautis iſtud ſtipendium ab Imperatore neutiquam accepiſſe: ἡ γὰρ μισθὸν ὀδίνα λαβὼν παρὰ τῦ στρατηγῦ ὀκτὼ μηνῶν, καὶ ἐπλευσε, τὰς πρέσβεις ἄγων, διὰ τὸ ἄριστά μοι πλεῖν τὴν ναῦν. *Nullam octonûm menſium ab Imperatore mercedem capiens navigavi, tranſmittens Legatos, propterea quod optimè mihi eſſet navis ad mare trajiciendum inſtructa.* Stipendium verò tribus in dies obolis, videlicet ſemidrachmâ, definiebatur, ut ex Thucydide habemus [c]. Ait enim, Alcibiadem Tiſſapherni perſuaſiſſe, ut à drachma, quam adhuc Regis Perſarum nomine quotidiè Lacedæmoniorum Nautis perſolverat, in tres obolos contraheret: ἡ διδάσκαλος πάντων γιγνόμενος, τὴν τε Ἀττικὴν μισθοφορὰν ξυνέτεμεν, ἀντὶ δραχμῆς ὥστε τριώβολον (ἡ τοῦτο μὴ σωτηχῶς) δίδοσθαι· λέγων κελεύων τὸν Τισσαφέρνην πρὸς αὐτὸς, ὡς Ἀθηναῖοι ἐκ πλείονος χρόνυ ἐπιστήμονες ὄντες τῦ ναυτικῦ, τριώβολον τοῖς ἑαυτῶν διδόασι· ἃ πιστὸν πεῖσαι, ὅσον ἵνα αὐτῶν μὴ οἱ ναῦται ἐκ περιουσίας ὑβρίζοιεν, οἱ μὲν τὰ σώματα χεῖρω ἔχωσι, δαπανῶντες ἐς ὠμηρείαν τὸν προσοφειλόμενον μισθόν. *Et omnia ipſum docens, ſtipendium quoque ita decurtavit, ut daret pro drachma Attica tres obolos (idque non ſemper) monens Tiſſaphernem iis* (Lacedæmoniis) *renunciare, Athenienſes diutius nauticæ rei peritos, tres tantum obolos nautis ſuis perſolvere, non tantum proper Ærarii anguſtias, quantùm ne propter pecuniæ affluentiam inſolentiores evaderent, atque alii vitiis, corporum corruptoribus, inſerviren*t,

[b] *Plutarc. in ejus Vit.* [c] *Thucyd.* lib. viii.

eamque

eamque in res illas conſumerent, unde invaletudo emerſ git; alii à navibus diſcederent, velutí ſui reditus obſidem relinquentes pactam abundanter mercedem. Sic enim iſthæc poſtrema verba fatis obſcura atque involuta cenſeo reddenda eſſe. Quin etiam iiſdem tribus obolis Lacedæmoniorum Nautæ merebant, quod facilè oſtendit Xenophontis locus libri primi de Græc. rebus, ubi Lyſander Spartanus Cyrum minorem hortatur, ut Nautis drachmam Atticam quotidianum ſtipendium tribuat; Hinc enim fore, ut ipſos ab Athenienſibus abducat. Quo non impetrato, ὁ μὲν Λύσανδρος τότε μὲν ἐσιώπησε. Μετὰ δὲ τὸ δεῖπνον, ἐπεὶ αὐτῷ προπιὼν ὁ Κῦρος, ἤρετο τί ἂν μάλιστα χαρίζοιτο αὐτῷ, εἶπεν, εἰ ἐκ τῶν μισθὸν ἑκάστῳ ναύτῃ ὀβολὸν προσθείης. Ἐκ δὲ τούτου τέτταρες ὀβολοὶ ἦσαν ὁ μισθὸς, πρότερον δὲ τριώβολον. *Lyſander tunc tacuit. Poſt Cœnam poſtquam illum Cyrus porrecto poculo ad bibendum provocaſſet, ſciſcitatus eſt, qua maximè re poſſet illius gratiam inire; reſpondit, ſi Nautarum ſtipendium uno auxiſſet obolo. Hinc autem illud cœpit quatuor eſſe obolorum, cum antea trium ſolùm fuiſſet.* Quod ſi Cyrus [d] eodem loco dicit Patrem ſibi mandaſſe, ut in ſingulas Lacedæmoniorum naves menſtruas triginta minas, id eſt, Coronatos trecentos conferat, & Egeſtani è Sicilia ſexagena ferunt Talenta argenti, menſtruum, ut ajunt, ſtipendium totidem Athenienſium triremibus [e], videlicet ſexcentos Coronatos in ſingulas, inde tamen inferri nequit, plus nautis militibuſque datum, quàm tres in dies obolos. Nam eâ pecuniâ & victus, & ſtipendium, & Nauticus apparatus comparari opus erat. Ii ſolùm, qui Paralo, navi ſacræ, operam ſuam præbebant, quatuor obolorum merces dabatur, ut Harpocration nobis eſt auctor; οἱ δὲ ἐπιβεβηκότες αὐτῆς Παράλοι ἐκαλοῦντο, οἱ δὲ διὰ ταύτην τὴν ὑπηρεσίαν τέτταράς τε ὀβολοὺς ἐλάμβανον, καὶ τὸ πλεῖον μέρος ἐνιαυτοῦ οἴκοι ἔμενον. *Quibus* (navem) *conſcenderant, Parali vocabantur, ac propter operam ſuam quatuor obolos accipiebant, maximâque anni parte domi manebant.* Quod ad Nauta-

[d] *Xenoph. de reb. Græc.* lib. i. [e] *Thucyd.* lib. vi.

rum

rum ætatem attinet, eam puto eodem annorum numero comprehenſam fuiſſe, quo militarem. Delectus fiebat à Senatoribus, & Tribunis plebis, ut ex laudata contra Polyclem Demoſthenis Oratione colligitur: ἐψηφίσασθε, τάς τε ναῦς καθέλκειν τὰς τριηράρχους, καὶ παραπομίζειν ἐπὶ τὸ χῶμα, καὶ τὰς βυλευλὰς, καὶ τὰς δημάρχους καὶ λόγους ποιεῖσθαι τῶν δημοτῶν, καὶ ἀποφέρειν νάυλας, καὶ διὰ τάχυς τὸν ἀπόστολον ποιεῖσθαι, καὶ βοηθεῖν ἑκασαχῆ. *Decreviſtis Trierarchos naves ad mare deducere, & ad vallum advehere. Senatores etiam, ac Demarchos delectum facere Popularium, Nautas deſignare, expeditionem celeriter facere, atque auxilium in loca ſingula mittere.* Hæc ſatis hoc loco fuerit adnotaſſe.

[q] Navium nomina apud Græcos fuerunt vel è Remigum, ac remorum numero, vel ex ipſarum uſu, aut oneris menſura. Primi generis perhibentur τριήρης *Triremis*, τετρήρης *Quadriremis*, &c. Secundi μυριαγωγὸς *decem millium ponderum*, φορτηγαὶ νῆες *Naves onerariæ*, πολεμικαὶ *bellicæ*, ὁπλαγωγαὶ, σιταγωγαὶ, *armis frumento*, & inter iſtas ἱππαγωγαὶ *equis vehendis aptæ*, de quibus nunc mentio fit. Qua forma fuerint, conjectare potius licet, quàm certò ſcire; nec multùm refert in opus iſtud incumbere, cum nos longè Veteres in conſtruendis agendiſque navibus antecellamus.

[r] Mons Oeta præruptus, atque aditu difficillimus, qui Phocenſium regionem à Septentrione claudit, ad mare producitur contra Eubœam, ubi litus ad Artemiſium curvatur. Ibi inter fluctus ac ſaxa miræ altitudinis anguſtum relinquit iter dimidii jugeri, quod alicubi ob ſtagnantes aquas coarctatur adeo, ut vix in ſexaginta paſſus aperiatur. In hiſce anguſtiis olim Phocenſes murum conſtruxerant ad arcendos Theſſalos, ipſorum occupandæ regioni maximè inhiantes. In muro portam munierant, qua ſibi poteſtas eſſet occludendi Græciæ aditum, aut aperiendi; eique magis, magiſque impediendo, ſtagnantes induxerant aquas calidas, quæ ſcatent per ea loca. Inde Thermopylarum nomen compactum eſt; quod

quod enim πύλαι Græcis, *Portæ* Latinis; quod illis Θερμὸς, iſtis *calidus* dicitur, & ſi Pylæ ſolùm vocetur, ab enarratis portis appellationem habet [f]. Locus utique celeberrimus Leonidæ memorabili audaciâ, & Perſarum ſtrage; maximique pretii, quod propter Oetæ, atque Acroceraunorum Montium aſperitatem vix aliunde ab ea parte in Græciam iter haberi poſſit. Nam quò per Aenianas, Paſtoris ductu, Hydarres Medus jugum ſuperaverat, nec facilè adiri, & locus faciliùs obſtrui munitionibus poterat. Nunc vocatur *Boccadi Lupo*.

[s] De Cherſoneſo agemus, cum Orationem ejus nomine inſcriptam expendemus.

[t] De Olyntho pariter ſuo loco habebitur ſermo.

[v] Eubœa maxima in Ægeo Inſula, Atticæ, Bœotiæque à Borea objecta, ab Eubœa Aſopi filia nomen accepit, nunc dicitur *Negroponte*. A Darii Copiis poſt captam Eretriam vaſtata [g]. A Xerxe poſt pugnam ad Artemiſium occupata [h]. Profligato Perſico bello unà cum tot reliquis Inſulis & Civitatibus fœdere Athenienſibus juncta eſt, quo ille fœdere paulatim vectigales effectæ ſunt, coactæque ipſis Athenienſibus morem gerere [i]. Ab iis defecit an. 2. O. 82. ſed paulo poſt à Pericle in poteſtatem redacta eſt [k]. Sed iterum an. 3. O. 92. rebellavit, Bœotiſque ac Lacedæmoniis fœderata, ut viam ſibi ſterneret ad iſtorum auxilia ſuſcipienda, ſiquidem maris imperium Athenienſes obtinebant, inſani operis mole cum Bœotia conjuncta eſt. Non erit abs re Diodorum audire [l]: Διόπερ αἱ πόλεις ἅπασαι πρὸς τὴν διάχυσιν ἐπερρώσθησαν, ἢ πρὸς ἀλλήλας ἡμιλλῶντο. Οὐ γὰρ μόνον τοῖς πολίταις ἐξιέναι παρῆμεν προσέταξαν, ἀλλὰ καὶ τοῖς παροικοῦσι ξένοις. Ὥστε διὰ τὸ πλῆθος τῶν τοῖς ἔργοις προσιόντων τὴν πρόθεσιν ταχέως λαβεῖν συμβέβηκεν· Τῆς μὲν ἂν Εὐβοίας καλεσκευάσθη τὸ χῶμα καὶ τὴν Χαλ-

[f] *Herod. in Polym.* [g] *An.* 3. O. 72. *Herodot. in Erato.* [h] *An.* 1. O. 75. *Diod.* lib. xi. *Herod. in Erato.* [i] *Thucyd.* lib. i. [k] *Thucyd. ibid. Diod.* lib. xii. [l] *Diod.* lib. xiii.

κίδα,

κἶδα, τῆς ᾗ Βοιωτίας πλησίον Αυλίδος. Ενλαῦθα γὰρ ὁ μέλαξὺ τόπος ἰῶ στενότατος. Σωέβαινε μὲν ἓν ἀεὶ ἢ πρότερον κατ' ἐκεῖνον τὸν τόπον εἶναι ῥᾴν, ἢ πυκνὰς ποιεῖσθαι τροπὰς τὼ θάλατταν. Τότε δὲ πολὺ μᾶλλον ἦν ἐπιτεινόντα τὰ καὶὰ τὸν ῥᾴν, ὡς ἂν εἰς στενὸν ἄγαν συγκεκλεισμένης τῆς θαλάττης. Ὁ γὰρ διέκπλους ἀπελείφθη μιᾷ νηῒ. Ωκοδόμησαν δὲ ἢ πύργους ὑψηλοὺς ἐπ' ἀμφοτέρων τῶν ἄκρων, ἢ ξύλινας ταῖς διαῤῥοίαις ἐπέζησαν γεφύρας. *Proinde Civitates omnes aggerem magnis viribus conſtruere contendebant, ac ſingulæ aliarum invicem induſtriam æmulabantur. Non enim ſolum Civibus imperaverant veluti agmine facto ad opus accedere, ſed & advenis, qui ſedem ibi domicilii ſuſceperant. Adeo ut propter multitudinem operarum moles celeriter perfecta fuerit. Agger igitur ab Eubææ parte Chalcidi, à Bœotiæ Aulidi propinquabat. Illic enim anguſtiſſimum fretum. Eò loci contigerat antea ſemper æſtuare fluctus, crebraſque maris fieri reciprocationes; Tunc vero magis, in majores anguſtias concluſo pelago. Quippe uni ſolùm navi tranſitus relictus fuerat. Ab utraque aggeris extremitate altas turres conſtruxerant, ligneoſque pontes ſuper canales conſtituerant.* Verùm an. 4. O. 100. Athenienſes, duce Chabria in eam tranſgreſſi, amicas Urbes novo fœdere complexi ſunt; adverſos populos, quos inter Heſtiæos Lacedæmoniis conſuetudine obſtrictos, armis ſubegerunt [m]. Donec an. 3. O. 105. inteſtinis inſulâ diſcordiis laceratâ, Urbium aliæ Thebanos, Athenienſes aliæ ad opem ferendam vocarunt. Illico Thebani affuerunt, pluraque loca in ſui poteſtatem adduxerunt. Quamobrem Timotheus pro Concione Cives Athenis monuit, ne Socios hoſtibus deſererent, ac, veluti conſpiratione facta, Inſulam periculo liberarent. Qua celeritate naves conſcenderint Athenienſes, auxilium tulerint, Thebanos ejecerint, narrat Demoſthenes [n]; nos Æſchinis tantùm verba proferimus in Orat. contra Cteſiph. Επειδὴ διέβησαν εἰς Εὔβοιαν Θηβαῖοι καὶαδιλώσασθαι τὰς πόλεις

[m] *Diod.* lib. xv. *Thucyd.* lib. viii. [n] *Demoſth. in Cherſon. in Androt. & alibi.*

πειρώμενοι, ἐν πέντε ἡμέραις ἐβοηθήσατε αὐτοῖς καὶ ναυσὶ, καὶ πεζικῇ δυνάμει. Καὶ πρὶν τεσσαράκοντα ἡμέρας διελθεῖν, ὑποσπόνδους Θηβαίους ἀφήκατε, κύριοι τῆς Εὐβοίας γενόμενοι. Καὶ τὰς πόλεις αὐτοῖς, καὶ τὰς πολιτείας ἀπέδοτε, ὀρθῶς, καὶ δικαίως αὐτοῖς παρακαταθέμενοι, οὐκ ἡγούμενοι δίκαιον εἶναι τῷ ὀργὴν ἀπομνημονεύειν ἐν τῷ πιστευθῆναι. *Poſtquam deſcenderant in Eubœam Thebani, conati urbes in ſervitutem redigere; quinque* (trium Demoſthenes ait) *dierum ſpatio ipſis eſtis opitulati, miſſis navibus, ac peditatu. Nondum verò triginta diebus exactis, per inducias Thebanos dimiſiſtis, Eubœæ totius potiti. Urbes, earumque Rempublicam, Civium fidei benè ac prudenter commiſiſtis, nequaquam rati æquum eſſe irarum meminiſſe, dum ipſi ſe vobis in fidem tutelamque tradidiſſent.* Diodorus [o] autem narrat levioribus præliis ſæpius dimicatum Athenienſes inter ac Lacedæmonios, alternante Victoriâ, τῆς δὲ νήσου διὰ τὸν ἐμφύλιον πόλεμον καὶ φθορείσης, καὶ πολλῶν ἀνθρώπων παρ' ἀμφοτέρων διαφθαρέντων, μόγις ταῖς συμφοραῖς νουθετηθέντες, εἰς ὁμόνοιαν ἦλθον. Οἱ μὲν οὖν Βοιωτοὶ τῷ εἰς οἶκον ἐπάνοδον ποιησάμενοι, τῷ ἡσυχίαν ἦγον. *Inſulâ verò inteſtino bello labefactatâ, pluribuſque ex utraque parte hominibus interemptis, Cives vix calamitatibus ad ſanam mentem revocati, inter ſe convenerunt. Itaque Bœoti domum regreſſi, quieti manſerunt.* Hæc illa expeditio Athenienſium eſt, de qua hoc loco Demoſthenes, & ſæpius alibi ſermonem habet. In Inſulam deinde manus injecit Philippus, eamque ſe Reipublicæ pro Amphipoli traditurum frequenter luſit.

[x] Haliartus Bœotiæ civitas, ab Haliarto Teſſandri filio condita, & nuncupata, ut Stephanus eſt Autor, ſeu ἀπὸ ἁλιέων, καὶ ἄρλω, *à Piſcatoribus, & pane* dicta, ut vult Euſtathius ad hæc Homeri verba,

Ποιηέντ' Ἀλίαρτον [p].

Herboſum Haliartum.

In ejus oppugnatione occubuit Lyſander clariſſimus Lacedæmoniorum imperator. Rem diligenter narrat Xenophon [q]. Cum Cadmeam Thebanis reddere

[o] *Diod.* lib. xvi. [p] *Iliad. β. v.* 503. [q] *Xenoph. de reb. Græc.* lib. ii.

Spar-

Spartani detrectarent, nec illi paterentur imponi ſibi jugum ſervitutis, eam armis recuperare decreverunt, adjunctis ſibi Græciæ populis, quotquot potuerunt, ac præcipuè Athenienſibus, qui eorundem Lacedæmoniorum potentiam coercere gravem omnibus, & periculoſam, è re ſua fore exiſtimarunt. Id cum Lacedæmonii audiiſſent, Pauſaniam, ac Lyſandrum, diviſo exercitu, pergere in Bœotiam jubent. Hic primò Haliartum, ut in via, occupare ſtudet; obnititur Thebanorum præſidium; mora nectitur. Interim Thebis adveniunt militum Copiæ, confligunt, vincunt; fugiunt Lacedæmonii, Lyſander fortiter pugnans occumbit[r]. Poſtridie cum reliquo exercitu Pauſanias accurrit. Conſternantur animis Bœoti, metuentes novo prælio impares fore; ſed in tempore præſto eſt Athenienſium ſubſidium, quo confirmantur illi, reprimuntur Lacedæmonii, qui ut ſua recipiant cadavera, non abnuunt in Peloponneſum regredi. De hoc rerum ſucceſſu, atque Athenienſium magnanimitate in ſublevandis Thebanis loquitur hoc loco Demoſthenes. Pauſanias refert Haliarti, dum obſideretur, Cohortes quoque Athenienſium fuiſſe.

[y] Philippus hoc anno, cum maximo prælio Onomarchum Phocenſem, profligaſſet, ac Theſſaliæ res compoſuiſſet, προῆγεν ἐπὶ τὰς Πύλας πολεμήσων τοῖς Φωκεῦσι. Κωλυσάντων δὲ τῶν Ἀθηναίων διελθεῖν τὰς παρόδους, ἐπανῆλθεν εἰς Μακεδονίαν, *proceſſit ad Pylas, bellum cum Phocenſibus geſturus. Sed cum Athenienſes tranſitum illum impedirent, prohiberentque, in Macedoniam ſe recepit.* Sunt Diodori verba[t]: ad hujuſmodi facinus Demoſthenes digitum intendit.

[z] Nemo ſecuriùs pacem agit Principe Copiis inſtructo. Profectò militares apparatus ſunt in bello præſidium, in pace ornamentum. At ſæpius non decori, non ſecuritati, ſed ærario conſulendum eſt.

[a] De Civibus, qui à Philippo donis corrupti, eidem navabant operam ſuam, quique Rempublicam ad ejus nutum adminiſtrabant, frequentiſſima De-

[r] *An.* 3. *O.* 100. [t] *Diod.* lib. xvi.

moſthenis querela eſt in Philippicis, in Cherſoneſica, atque alibi pluries. Id malum Athenis invaluit adeo, ut Lucianus [t] Philippum dicentem inducat, ſe muneribus unum Demoſthenem lucrari non potuiſſe: Οὗτος μέν γε (Φίλιππος) δημηγορίας ἐξαγγελθείσης, Ἀθλώ-ηθέν πω̃ς καθαπλομένης τὲ Φιλίππε, ἢ Παρμενίωνος ἠγανακληκότος, ἢ τὶ ἢ σκωπλικὸν εἰς τὸν Δημοσθένλω ἐφειπόντος· ὦ Παρμένιων, ἔφη, δίκαιον ὁ Δημοσθένης παῤῥησίας τυγχάνει. Μόνος γέ τοι τῶν ἀπὸ τῆς Ελλάδος δημαγωγῶν ἀδαμᾶ τοῖς ἀπολογισμοῖς ἐγγέγραπλαι τῶν ἐμῶν ἀναλωμάτων. Καί τοι μᾶλλον ἠβελόμλω, ἢ γραμμαλεῦσι ἢ τελωνίταις ἐμαυτὸν πεπιστευκέναι. Νῦν δ' ἐκείνων μὲν ἕκαστος ἀπογέγραπλαι χρυσίον, ξύλα, πόρους, θρέμμαλα, γλῶ. Ὁ δ' ἐπιμήκεις στόλας ἀποπέμπει, σωλάτλει δυνάμεις, ἀνλιμεθίσαλαι. *Hic* (Philippus) *renunciatâ Concione, quæ Athenis ipſum conciderat; & cum Parmenion indignatus, dicteriis Demoſthenem proſequeretur: O Parmenion, dixit, par eſt Demoſthenem uti dicendi libertate, qui ſolus è Græcis populi ductoribus nequaquam in meis expenſi rationibus ſcribitur. Et ei quidem magis vellem, quam ſcribis, & Claſſiariis, me fidiſſe. Nunc iſtorum quilibet acceptum mihi refert aurum, ligna, reditus, pecudes, agros. Ille verò maximas navales Copias expedit, conflat bellicas vires, contra me ſtat.*

[*b*] Felici plerumque eventu comprobatum eſt, nihil magis conducere ad frangendam hoſtium audaciam, ac debellandam, quàm in eorum Provincias bellum ferre. Tunc enim populi damnis, ac vaſtitatibus afflicti, pecuniam nutriendo bello dare nequeunt, ac ſibi metuentes, tuendæ regioni milites revocare neceſſe habent. Memnonem Rhodium ſupremum Darii Ducem timuit Alexander, parantem trecentis triremibus Macedoniam aggredi, dum ipſe proſpero Marte in Aſia pugnabat, & niſi fato ceſſiſſet, frænum fortaſſe injeciſſet Macedonum felicitati. Divino Scipionis conſilio exercitus in Africam tranſmiſſus Romanæ Reipublicæ ſalutem peperit. Pro-

[t] *Lucian. in Dial. de Demoſth. laud.*

pinquiora

pinquiora nobis exempla referre poſſem, ſed non lubet iis enarrandis vacare.

[*c*] Mercenarios milites vocat epiſtolares Copias, quia miſſis literis colligebantur ab Imperatorum aliquo, cui negotium dabatur. Jam ſuperiùs adnotavimus eò deſidiæ Athenienſes veniſſe, ut nullâ legum, quæ Cives nomen dare jubebant, habitâ curâ, peregrinis plerumque Copiis uterentur. Romæ pariter otio detentis animis parùm poſtremis temporibus Cives militiæ vacabant; at modico detrimento, cum demum par nullus eſſet Reipublicæ hoſtis. Athenis non ita, cui civitati cum potentiſſimis Adverſariis perpetuò confligendum fuit, plerumque dubiâ, vel iniquâ fortunâ, cum peregrinas Copias in caſtris habuit.

[*d*] Lex erat Athenis, ut quicunque decimum octavum ætatis annum abſolviſſet (Pollux vigeſimum dicit, ſed falsò, ut ſupra probavimus) ex ephebis excederet, ac lexiarchicis tabulis inſcriberetur, ut ad Rempublicam poſſet accedere, militiæque onera ſuſtinere. Quoad militiam attinet, de qua hoc loco, & paulo poſt aliqua dicemus, ſinguli Cives cujuſcunque forent Ordinis ſtatim ac ætatem illam degerant, armis induti, militari ſe Sacramento obſtringebant. Rem diſertis verbis idem Pollux [v] deſcribit, quæ verba ſi referam, operæ me pretium facturum puto: Περίπολοι ἔφηβοι περιήεσαν τὴν χώραν περιφυλάττοντες, ὥσπερ ἤδη μελετῶντες τὰ στρατιωτικά. Καὶ εἰς μὲν τὰς ἐφήβους εἰσήεσαν ὀκτωκαίδεκα ἔτη γενόμενοι, δύο δὲ περιπόλας ἠριθμοῦντο· εἴκοσι δὲ ἀνεγράφοντο τῷ ληξιαρχικῷ γραμματείῳ, καὶ ὤμνυον ἐν ἀγραύλοις· ἐ καὶ αἰσχυνῶ τὰ ὅπλα, ἐ δὲ καταλείψω τὸν παραστάτην, ὧ ἂν στοιχῶ. Ἀμυνῶ δὲ καὶ ὑπὲρ ἱερῶν, καὶ ὁσίων, καὶ μόνος, καὶ μετὰ πολλῶν. Καὶ τὴν πατρίδα οὐκ ἐλάττω παραδώσω. Πλεύσω δὲ καὶ γῆν ὁπόσην ἂν παραδέξομαι. Καὶ σωήσω τῶν αἰεὶ κειμένων, καὶ τοῖς θεσμοῖς τοῖς ἱδρυμένοις πείσομαι. Καὶ ὅς τινας ἄλλους ἱδρύσεται τὸ πλῆθος ἐμφρόνως. Καὶ ἄν τις ἀναιρῇ τοὺς θεσμούς, ἢ μὴ πείθηται, οὐκ ἐπιτρέψω. Ἀμυνῶ καὶ μόνος, καὶ μετὰ πάντων,

[v] *Poll. Onomaſt.* lib. viii. c. 9.

καὶ τὰ ἱερὰ πάτρια τιμήσω. Ἵσορες Θεοὶ, Ἄγραυλος, Ἐνάλιος Ἄρης, Ζεὺς, Θάλλω, Αὐξὼ, Ἡγεμόνη. *Circumeuntes Ephebi regionem cuſtodiebant, militiæ curam jam ſuſcipientes. In Ephebiorum autem ætatem ingrediebantur octodecim annos nati. Duobus dei nde inter circuitores adnumerabantur. Dum vigeſimum agerent, in lexiarchicis tabulis inſcribebantur, & in Agrauli templo jurabant: Arma non dehoneſtabo; nec adſtantem, quiſquis is fuerit, ſocium relinquam; defendam focos & aras, ſolus aut conſociatus; nec minus è Patria prodibo; navigabo, contra quamcunque regionem adnavigandam excipiam. Semper Judicum dictis audiens ero; conſtitutis legibus obediam, & quibuſcunque aliis Populus prudenter ſtatuat. Si quis leges diſſolvat, aut contemptui habeat, impediam. Eaſque ſolus, aut omnibus conjunctus tuebor. Colam patria Sacra. Teſtes Numina ſint, Agraulus, Mars, Enalius, Jupiter, Thallo, Auxo, Hegemone.*

[*e*] Patet tum temporis Athenis pluris in pretio habitum unum, quàm alterum eorum, qui ducendis Copiis idonei reputarentur; vel etiam quempiam, propter gratiam apud Populum, magis magiſque exoptatum, cæteris poſthabitis, ad bellum gerendum; ut Romæ Pompeius ad Piraticum & Mithridaticum.

[*f*] Populo non multa ſæpius cogitanti, cuncta enucleare neceſſe eſt; idque Athenis potiſſimùm, ubi Adverſariorum Concionibus facilè ſaniora conſilia corrumpebantur.

[*g*] Cum hæc protulit verba Demoſthenes, nullus dubito, duo ipſi præcipuè ſ obſervata ante oculos fuiſſe, cladem ſcilicet Syracuſanam, & naufragium in Helleſponto, Charete Duce. Siquidem in duabus hiſce maximis expeditionibus ingentes adhibuit peregrinas Copias Reſpublica, ingentemque retulit calamitatem, quæ duo perhibentur hoc loco. Exteros maxima ex parte fuiſſe milites ad expugnandas Syracuſas immiſſos, in dubium revocari non ſinit Thucydides[x], à quo diligenter quicumque interfuerint po-

[x] *Thucyd.* lib. vii.

puli mercede, aut ſocietate adſciti, deſcribuntur. Clades verò, ac rei exitus tantæ fuit adverſitatis, ut poſt plures navales conflictus, extremumque illum in Syracuſarum [y] portu, pluresque iterum terreſtres pugnas nemo domum redierit, nulla navis naufragium, aut manus hoſtium effugerit; necati pariter duo ſupremi Duces Demoſthenes Alciſthenis filius, Nicias Nicerati; tantâ denique ærumnâ contriti ſunt Athenienſes, ut nuſquam deinde penitus convaluerint. Quam quidem ærumnam non parum idem Thucydides acceptam refert peregrinis Copiis, qui animo exciderant. Quod autem pertinet ad Charetis claſſem, illam compertum eſt naufragium feciſſe, dum adverſantibus ventis, ac furente procella, hoſtium naves inſequi voluit, ad pugnamque provocare, quamvis Iphicrates, ac Timotheus, Duces alteri, temerarium Charetis conſilium capere noluerint; qua de re accuſatis abrogatum ipſis Imperium eſt, ac datum prorſus Chareti, cujus cauſa Reſpublica detrimentum fecerat [z]. At in ea claſſe Mercenarios plerumque milites fuiſſe colligo, ex Oratore noſtro, qui mox, dum ait: ἐξ ὧν δ' αὗται τὰ ξενικὰ ὑμεῖς στρατέυεται, &c. πρὸς Ἀρτάβαζον, ἢ παντὶ μᾶλλον οἴκοθεν πλέονται, *Poſtquam hæ Peregrinorum Copiæ vobis militant*, &c. *ad Artabazum, & quemvis potius in locum navigant:* oſtendit Charetis manum, quam hic illico ad Artabazum duxit, è mercenariis militibus fuiſſe conflatam. Quod autem illi audaciſſimo Imperatoris conſilio cauſam dederint, (id contigiſſe opus eſt, ſi de ipſis Demoſthenem in præſentia loquutum velimus) conjectari hinc ſolùm poteſt, quod aliàs hoc exemplum afferre ad rem non fuiſſet; & quod prope abeſt à vero Cohortes illas deſperatione actas, cum publica ſibi pecunia deficeret, ut brevi adnotabimus, quamcumque pugnandi occaſionem dari ſibi voluiſſe, manubiarum ſpe.

[y] *An.* 4. *O.* 91. *Thucyd.* lib. vii. *Diod.* lib. xiii. [z] *An.* 1. *O.* 106. *Probus in Iphic. & Timoth. Ælian.* lib. iii. *var. hiſtor. cap.* 47. *Polyæn.* lib. iii.

[*b*] Cum Majorum ſuorum facinora, ſplendidiſſimaſque res geſtas, marmore, coloribus, literis expreſſas ubique cernerent, magnos gerebant animos Athenienſes, quapropter inſita quadam magnanimitate metiebantur decreta ſua ; ſocordia vero, atque otii dulcedine, quâ tum maximè capiebantur, fracti, rebus agendis inertem navabant operam.

[*i*] Militarem ætatem Athenis ab exacto anno decimo octavo incepiſſe jam diximus, manſiſſe verò duobus & quadraginta, ac ſexageſimo deſiiſſe Arpocration & Ariſtoteles tradunt[a]. Quin etiam ut ſingulæ Tribus Eponymum ſuum habebant, à quibus cognomentum acceperant, ita ſingulis illis militaribus annis Eponymum alterum aſſignatum fuiſſe, à quibus quilibet militiæ annus appellabatur, iidem memoriæ hominum tradidere. At video ætatem ipſam ab Ulpiano[b] ad annum quadrageſimum decurtari. Sic enim ait ad iſta Olynthiacæ Orationis tertiæ verba: μέχρι πέντε, ἢ τετταράκοντα.] Ὡς παράδοξον τοῦτο εἶπεν, ἵνα ἐμφήνῃ ἁπάντων τὴν πολλὴν σπουδήν. Νόμος γὰρ κελεύων τοὺς παρὰ Ἀθηναίοις μέχρι τετταράκοντα ἐτῶν στρατεύεσθαι, ἀρξαμένους ἀπὸ ὀκτὼ καὶ δέκα, ἢ μέχρι μέντοι τῶν εἴκοσι παῖδας ὄντας τέως περιπολεῖν τὰ περὶ τὴν πόλιν φρούρια. Εἰς ὑπερορίους δὲ πολέμους ἀπὸ εἴκοσιν. Αὐτοὶ τότε, ἢ ὃς ἂν ἐκέλευεν ὁ νόμος στρατεύεσθαι, πολεμεῖν ἐψηφίσαντο διὰ τὴν πολλὴν σπουδήν, ὡς εἴρηται. *Uſque ad quinque, & quadraginta.*] *Hoc dicit, veluti quidpiam admirabile, ut oſtendat ingens eorum ſtudium. Lex enim apud Athenienſes jubebat ad quadrageſimum annum bella ſequi, initio facto ab octodecimo, à quo uſque ad vigeſimum, cum pueri eſſent, in præſidiis apud loca circa Urbem commorabantur. A vigeſimo autem exibant in externa bella. Verùm hoc tempore eos quoque juſſerunt in militiam ire, quos lex eximebat ; idque ob ſingulare ſtudium, ut dictum eſt.* Quid igitur dicam in hujuſmodi ſententiarum diverſitate ? Primùm de ætate aſſentior Ariſtoteli, qui vixit etiam, quo tempore Athenienſis florebat Reſpublica, & bellorum meminiſſe poterat, quæ contra Philippum ſuſtinuerat. Facilè quoque inducor, ut

[a] *Ariſt. de Rep. Athen.* [b] *Ulp. in Exar. Ol.* 3.

credam

credam ſexageſimo anno definitam fuiſſe militarem ætatem apud eam gentem, quo apud Lacedæmonios, de quibus nulla eſt difficultas, ſi Xenophonti [c] credimus, à quo narratur detrectaſſe Ageſilaum in Bœoticam ire expeditionem : καὶ Ἀγησίλαῳ μὲν λέγων, ὅτι ὑπὲρ τετταράκοντα ἔτη ἀφ' ἥβης εἴη, ἢ ὥσπερ τοῖς ἄλλοις τοῖς τηλικούτοις ἐκεῖσε ἀναγκη εἴη τῆς ἑαυτῶν ἔξω στρατεύεσθαι, ἅτε δὴ καὶ Βασιλεῦσι τὸν αὐτὸν ὄντα ἀπεδείκνυε. Κακεῖνος μὲν δὴ λέγων ταῦτα, οὐκ ἐστρατεύετο. *Ageſilaus oſtendebat, ſe quadraginta vixiſſe annos ſupra pubertatem, qua ætate cum nemo aliorum Civium cogatur externis bellis intereſſe, ita & Reges jus idem manere. Quæ cum ille diceret, in militiam non eſt profectus.* Xenophontis [d] quoque teſtimonium habemus, ita narrantis : Ἐκ δὲ τούτου (nimirum poſt acceptum Leuctricæ cladis nuntium) φρουρὰν μὲν ἔφασαν οἱ Ἔφοροι τοῖν ὑπολοίποιν μόραιν, μέχρι τῶν τετταράκοντα ἀφ' ἥβης. Ἐξέπεμπον δὲ καὶ ἀπὸ τῶν ἔξω μορῶν, μέχρι τῆς αὐλῆς ἡλικίας. Τὸ γὰρ πρόσθεν εἰς τὰς Φωκέας μέχρι τῶν πέντε καὶ τριάκοντα ἀφ' ἥβης, ἐστράτευον. *Hinc Ephori decernunt Claſſes reliquas Civium, qui à pubertate quadraginta annos prætergreſſi non fuerant, in præſidio eſſe. Id etiam fieri mandarunt Tribubus, quæ foris degebant. Siquidem antea contra Phocenſes ii militaverant, qui à pubertate trigeſimum quintum annum haud exceſſerant.* Demoſthenem deinde in laudato Olynth. tertiæ loco (nam de Ulpiano nihil ſanè laboro) ideo ut rem ſingularem narraſſe arbitror, quoſcumque Civium, qui quintum & quadrageſimum annum non ſuperaſſent, ad conſcendendas naves coactos fuiſſe; non quòd militandi ætatem prætergreſſi forent; ſed quòd quæcumque vacatio removeretur iis etiam, qui jam legitima ſtipendia meruiſſent. Omnes autem id temporis homines emeritis eſſe ſtipendiis, facilè credi poteſt. Cæterùm, me auctore, nemo reputabit, annos illos à decimo octavo ad ſexageſimum idcirco militares fuiſſe nuncupatos, quia per id omne tempus unicuique arma ferenda forent; ſed quia in eo vitæ curſu ſtipendia à legibus aut peculiaribus decretis

[c] *Xenoph. de reb. Græc.* lib. v. [d] *Ejuſd.* lib. vi.

definita

definita facere oporteret. Nec ſanè aliter exiſtimari poteſt. Cum enim nemo civium, lege, à militia Athenis eximeretur, non Opifices, ut aliàs diximus, non Philoſophi ipſi, graviſſimum quietumque Mortalium genus (ſiquidem vel Socratem & Platonem arma geſſiſſe memoriæ proditum eſt[e]) quis artibus, diſciplinis, quin & procreandis filiis operam dare potuiſſet?

[*k*] Quoti verò fuerint Athenis legitimi ſtipendiorum anni, me ſanè latet, quippe neminem vidi, qui hoc literis conſignaverit. Ex hoc Demoſthenis loco intelligere mihi videor, longum quidem lege ſancitum fuiſſe, ſed quantum compertum non eſt. Definiri enim tempus admonet, quo milites iſti merere ſtipendia debeant, idque uſitato brevius, ut ad militandum alliciat: χρόνον ταχὺν στρατευομένους, μὴ μακρὸν τοῦτον, ἀλλ' ὅσον ἂν δοκῇ καλῶς ἔχειν, ἐκ διαδοχῆς ἀλλήλοις. *Definito militantes tempore, non hoc longo tempore, ſed quanto vobis è Reipublicæ uſu eſſe videatur, ac ſibi invicem ſuccedant.* Romæ, ut in hac etiam re iſtius maximæ Reipublicæ leges cum Athenienſium conferam, ætas militaris incipiebat ab anno decimo ſeptimo, finiebat quadrageſimo ſeptimo, niſi aliter ratio Reipublicæ poſtularet. Equites decem annos ſtipendia faciebant; Pedites ſenos, & ſi honores petere vellent, decem & ipſi pariter. Ut ad militiam Athenienſium redeam, admonet locus, ut aliqua de militum ſtipendiis in medium afferam. Initiò Græcis omnibus, mercede ſe milites conduci, probroſum fuit, primique ipſorum Cares mercenariam militiam egerunt. Deinde adeo mores mutarunt, ut paſſim & ubique ſtipendia meruerint. Quoad Athenienſes attinet, nullâ pecuniâ omnes arma pro Republica ferre à Solone juſſi ſunt; & ni paruiſſent, à dicenda in Concione ſententia, aliiſque civilibus juribus arcebantur[f]. Pericles poſtmodum hanc nimiùm duram tenuiorum hominum conditionem ratus eſſe, quibus

[e] *Plato Apol. Socrat. Ælian. Hiſt.* lib. vii. c. 14. [f] *Æſch. in Ctesiph. & Timarch. Demoſth. in Timocr.*

nullâ

nullâ mercede artes, domoſque ſuas deſerere, & ſigna ſequi oporteret, primus Auctor fuit, ut ipſis ſtipendium conſtitueretur, ut Ulpianus [g] docet: πρῶτος μὲν ἐκεῖνος (Περικλῆς) ἔταξε μισθοφορὰν, καὶ ἔδωκε τῷ Δήμῳ στρατευομένῳ. *Primus ille* (Pericles) *ſtipendium ſtatuit, deditque Populo in militiam proficiſcenti.* Hæc autem merces non ſemper eadem fuit. Peditibus diobolaris plerumque in dies; id eſt quolibet menſe Coronatus unus, vulgò *ſcudo*, ut ex Olynthiacæ tertiæ verbis illis colligitur: στρατιώτης αὐτὸς ὑπάρχων ἀπὸ τῶν αὐτῶν τούτων λημμάτων, ὥσπερ ἐστὶ δίκαιον, ὑπὲρ τῆς πατρίδος. *Ipſe, ut par eſt, hac mercede* (duobus obolis) *pro Patria militet.* Id autem ſtipendii non ſufficere viſum eſt, ut audio ex hac Oratione, ubi non majori pecuniâ tum quoque merere milites proponens Demoſthenes propter anguſtias Ærarii dicit: εἴ τις οἴεται μικρὰν ἀφορμὴν, σὶτηρέσιον τοῖς στρατευομένοις ὑπάρχειν, οὐκ ὀρθῶς γνώσεται. Ἐγὼ γὰρ οἶδα σαφῶς, ὅτι εἰ τοῦτο γένηται, προσποριεῖ τὰ λοιπὰ αὐτὸ τὸ στράτευμα τὰ ἀπὸ τοῦ πολέμου, &c. *Quod ſi quis putat hanc parvam eſſe pecuniam pro militum commeatu, non rectè putat. Novi enim apertiſſimè, hoc accepto, reliqua ſibi exercitum bello comparaturum.* Igitur curſu temporis ad tres obolos auctum fuiſſe hinc ſanè autumo, quod in fœdere per [h] annos centum Athenienſes inter, atque Argivos, Mantineos, Eleoſque ſancito cautum fuit, ſi fœderatorum aliquis ſociales vires diutiùs retinere velit, quàm pactis contineatur, illum debere tres quotidie obolos dare ſingulis militibus, drachmam equitibus. ὡς δὲ πλέονα χρόνον βέλωνται τῇ στρατιᾷ χρῆσθαι, ἡ πόλις ἡ μεταπεμψαμένη διδότω σῖτον, τῷ μὲν ὁπλίτῃ, καὶ ψιλῷ, καὶ τοξότῃ τρεῖς ὀβολοὺς Αἰγιναίους τῆς ἡμέρας ἑκάστης, τῷ δὲ ἱππεῖ δραχμὴν Αἰγιναίαν. *Si longiùs militum Copiis uti velint, Civitas, quæ auxilium arceſſit, det pro commeatu tres quotidie obolos Æginæos cuique levis gravisque armaturæ, ac Sagittario militi; Equiti drachmam pariter Æginæam* [i]. Nec tamen in tribus obolis manſit, ſed ad quatuor

[g] *Ulp. in enar. Orat. Demoſth. de Ordin. Rep.* [h] *An.* 1. *O.* 90.
[i] *Thucyd.* lib. v.

per-

pervenit, unde proverbium, τετρωβόλου βίος, *quatuor obolorum vita*; Quare Euſtathius[i] adnotat: ἡ τετρωβόλου βίος παρὰ Παυσανίᾳ, ἀντὶ τοῦ στρατιώτου μισθός. *Et quatuor obolorum vita apud Pauſaniam* (idem valet) *ac militis ſtipendium.* Quamquam autem ex laudato fœdere conſtet duplam ſolùm pactam Equiti fuiſſe mercedem, triplam nihilominus datam patet ex hac Demoſthenis Oratione, in qua Peditibus aſſignantur decem drachmæ menſtruæ, triginta equitibus. Hujuſmodi ſtipendia aucta aliquando ſunt, utilitate, aut neceſſitate cogente, ut in Platææ obſidione ſingulis Peditibus duæ quotidianæ drachmæ fuerunt, altera militis nomine, altera famuli, qui militi navaret operam[k]. Romanis quoque, ne ab hac Republica, cum fieri poteſt, atque in mentem venit, dejiciamus oculos, initio idem ac Græcis militare ſtipendium fuiſſe Polybius tradit; duos enim Pedites obolos quotidie habuerunt ὀψώνιον, *ſtipendium.* Denarium deinde, quod drachmæ fere ad amuſſim comparari poteſt, datum Auguſti tempore queritur poſt ejus obitum gregarius quidam miles Percennius apud Tacitum[l]: *Enimvero militiam ipſam gravem, infructuoſam, denis in diem aſſibus* (denario videlicet) *animam, & corpus æſtimari. Hinc veſtem, arma, tentoria, hinc ſævitiam Centurionum, & vacationes munerum redimi.* Veſtes, frumentum, arma, aliquando à Quæſtoribus tributa verum corraſo è ſtipendiis pretio Polybius affirmat; Centurionum rapinas C. Gracchi Tribuni Plebis lege coercitas fuiſſe, Plutarchus. Jam verò duplex ſtipendium Centurioni, triplex Equiti perſolutum fuiſſe teſtimoniis probare ſupervacaneum foret, cum id frequenter ſe offerat Romanam evolventibus Hiſtoriam.

[*l*] Hoc pariter loco mirari ſubit, quæ tanta calamitas Rempublicam afflixiſſet adeo, ut juſtum exercitum conflare non poſſet. Profectò viribus valebat, ſed quas exercere nec Populo gratum, magnique fuiſſet negotii. Proindè ea, quæ agenda proponit, Orator attenuat, ut in ea Plebs velit incumbere.

[i] *Euſtb. ad Odyſſ. α.* [k] *Thucyd.* lib. viii. [l] *Tacit.* lib. i.

[*m*] Cum

[m] Cum proſperam fortunam, ut ſuperiùs libavimus, moderatè ferre nequirent Lacedæmonii, atque inſolenter ſe gererent, contra illorum potentiam fœdere ſe conjunxerant Athenienſes, Bœoti, Corinthii, Argivi, aliique Peloponnenſium ab a. uſque 3. O. 96.[m], & Corinthi commune præſidium conſtituerant, unde Iſthmi anguſtias obtinerent, tranſitum in Bœotiam, Atticamque Lacedæmoniis prohibituri. Hinc ſæpius in hoſtem infeſta movebant ſigna: ἐπολέμουν, Xenophontis[n] teſtimonio, Ἀθηναῖοι μὲν, καὶ Βοιωτοὶ, καὶ Ἀργεῖοι, καὶ οἱ σύμμαχοι αὐτῶν, ἐκ Κορίνθου ὁρμώμενοι. *Bellum gerebant Athenienſes, Bœoti, Argivi, eorumque Socii, è Corinthiorum urbe facto impetu.* Graviſſimas experti ſunt Corinthii, infenſiſſimaſque Sociorum Copias; quare de iis ejiciendis non ſemel cogitarunt, recipiendiſque Lacedæmoniis. Verùm dilacerata factionibus Civitas, fœdata quidem cladibus eſt, ac magis magiſque à Sociis oppreſſa, ut Xenophon[o] literis conſignavit. Athenienſium Cohortibus Iphicratem initio præfuiſſe præter Demoſthenis teſtimonium Xenophon idem, ac Diodorus nos docet. Nam iſte exitioſam illam expeditionem quam Paſimelus, & Alcimenes, Corinthii, Lacedæmoniorum ope, ad liberandam Patriam ſuſceperunt, memoriæ hominum prodens, narrat irrito conatu facinus evanuiſſe, profligatiſque Adverſariis τῇ δ' ὑστεραίᾳ τῶν ἐκ τῆς πόλεως ἐπεξελθόντων, ὧν Ἰφικράτης ἡγεῖτο, συνέβη γενέσθαι μάχην, ἐν ᾗ Λακεδαιμόνιοι νικήσαντες, ἐκ ὀλίγης ἀπέκλειναν, *Poſtridie Urbem egreſſi, Iphicrate Duce, manus conſeruerunt; At victoria à Lacedæmoniis ſtetit non parvâ hoſtium clade.* Ille altero die poſt eandem pugnam ipſum Iphicratem Copias ſuas Corintho contra Phliaſios eduxiſſe, memorat. Manſere in ea Urbe Athenienſes, quoad, inito cum Arcadibus fœdere, iſtis inimicos Corinthios exaſperarunt, dimiſſique ſunt. Xenophontem audiamus, qui rem ita diligenter ſcribit[p]: Ἐπεὶ δὲ λογιζόμενοι (οἱ Ἀθηναῖοι) εὕρισκον σφῶν μεῖον Λακεδαιμονίοις, ἢ σφίσιν αὐτοῖς, Τὸ Ἀρκάδας μὴ προσδέεσθαι

[m] *Diod.* lib. xiv. [n] *Xenoph. de reb. Græc.* lib. iv. [o] *Ibid.* [p] *Xenoph.* lib. vii.

Θηβαίων,

Θηβαίων, ὅτω δὴ προσεδέχοντο τὴν τῶν Ἀρκάδων συμμαχίαν, &c. Εἰπόντος δὲ Δημοτίωνος ἐν τῷ Δήμῳ τῶν Ἀθηναίων, ὡς ἡ μὲν πρὸς τὺς Ἀρκάδας φιλία καλῶς αὐτῷ δοκοίη προκεῖσθαι, τοῖς μέν τοι στρατηγοῖς προσάξαι ἔφη χρῆναι, ὅπως μὴ ἡ Κόρινθος σῶα ἢ τῷ Δήμῳ τῶν Ἀθηναίων. Ἀκούσαντες ταῦτα οἱ Κορίνθιοι, πέμψαντες ταχὺ ἰκανὺς φρουρὺς ἑαυτῶν πάντοσε, ὅπου ἐφρούρουν Ἀθηναῖοι, κήρυκον αὐτοῖς ἀπιέναι, ὡς ἤδη ἔτι δεόμενοι φρουρῶν. Οἱ δὲ ἐπείθοντο. Ὡς δὲ συνῆλθον οἱ ἐκ τῶν φρουρίων Ἀθηναῖοι εἰς τὴν πόλιν, ἐκήρυξαν οἱ Κορίνθιοι, εἴτις ἀδικοῖτο Ἀθηναίων, ἀπογράφεσθαι, ὡς λημψομένυς τὰ δίκαια. Οὕτω δὲ τούτων ἐχόντων, Χάρης ἀφικνεῖται μετὰ τῆς ναυτικῆς πρὸς Κεγχρεάς. Ἐπεὶ δὲ ἔγνω τὰ πεπραγμένα, ἔλεξεν ὅτι ἀκούσας ἐπιβεβοήθει, τῇ πόλει βοηθῶν παρεῖναι. Οἱ δὲ ἐπαινήσαντες αὐτὸν, ὑδέν τι μᾶλλον ἐδέχοντο τὰς ναῦς εἰς τὸν λιμένα, ἀλλ' ἀπαλλεῖν ἐκέλευον. Καὶ τὺς ὁπλίτας δὲ τὰ δίκαια ποιήσαντες ἀπέπεμψαν. Ἐκ μὲν οὖν τῆς Κορίνθυ οἱ Ἀθηναῖοι ὕτως ἀπηλλάγησαν. *Poſtquam verò Athenienſes deliberando compertum habuere, non minus Lacedæmoniis, quàm ſibi conducere, Thebanis Arcadas non deſerere, horum Societatem acceperunt*, &c. *Cum autem Demotion Athenienſibus diceret pro Concione, ſibi videri, conſtitutam cum Arcadibus amicitiam è Republica eſſe, ſed Imperatoribus injungendum, ut Corinthus ſalva, atque integra ipſi maneat Reipublicæ. Quod cum accepiſſent Corinthii, miſſo celeriter in omnia loca, ubi Athenienſium milites commorabantur, valido præſidio, eos abire juſſerunt, renunciaruntque ſe amplius eorum ope non indigere. Hi verò dicto audientes fuerunt; quibus Congregatis in urbe ex omni munitione, Corinthii præconis voce edixerunt, accuſationem deferret quicumque Athenienſium ſibi illatam injuriam quereretur, jus ſuum accepturus. Quæ dum ita ſe habent, Chares cum Claſſe Cenchreas advenit, ac re cognita, Civitati opem ſe laturum adeſſe dixit, quam inſidiis peti intellexerat. At Cives laudata ipſius benevolentia, non tamen claſſi portum aperuerunt, ſed retrò navigare juſſerunt. Milites quoque omni officii genere cumulatos dimiſere. Hoc igitur pacto Athenienſes Corintho diſceſſerunt.* Hæc geſta fuiſſe a. 1. O. 103. inde mihi perſuadeo, quod per id temporis

temporis Dionyſium ſeniorem Syracuſanorum Tyrannum vivere deſiiſſe idem Xenophon ſcribit. Hoc autem anno illum obiiſſe Diodorus [q] eſt auctor. Quin etiam cum ſequenti anno ſecundo ejuſdem Olymp. Xenophon Hiſtoriæ, vitæque ſuæ finem impoſuerit [r], ulterius tempus iſtud rei geſtæ produci nequit.

[*n*] De hoc Polyſtrato neque Xenophon, neque Diodorus meminerunt. Scriptor Sicilienſis [s] Calliſtratum refert a. 4. O. 100. cum Chabria, ac Timotheo Ducem ab Athenienſibus creatum adverſus Lacedæmonios, Demoſthenes quoque adverſus Timotheum. Verùm cum nemo literis mandaverit, illum hoc tempore Corinthi fuiſſe, Si ſuſpicari velimus, Librarii mendum irrepſiſſe, cur cogitatione Philocratem potius non complectamur, qui, ut Xenophon [t] tradit, Corinthi hoc tempore fuit, Mercenariorum militum dux, ſimul cum Iphicrate; idque convenit cum Demoſthenis verbis: tunc ſcilicet in ea Civitate Athenienſium manum è Civibus ac Peregrinis fuiſſe conflatam. Sed hæc, parvi quidem momenti, miſſa faciamus.

[*o*] Iphicratem præſidiariis Athenienſium Copiis Corinthi præfuiſſe, ex iis, quæ diximus, dubitari nequit. Inter maximos Græcorum Imperatores merito dux iſte commemoratur. Οὐκ ἀνοίκειον δὲ ἐπὶ τὰ περὶ τῆς Ἰφικράτης ἀρετῆς ἱστορούμενα παραθεῖναι. Οὕτω γὰρ παραδίδοται στρατηγικήν τε ἀγχίνοιαν ἰσχηκέναι, καὶ πρὸς πᾶσαν ἐπίνοιαν ἀγαθὴν φύσει κεχρῆσθαι διαφόρως. *Haud alienum erit, quæ de Iphicratis virtute memoriæ hominum ſunt conſignata, proponere. Hic enim traditur imperatoriam habuiſſe ſolertiam, & ad quamvis utilem cogitationem verſatili ingenio uſus fuiſſe.* Sunt Diodori [v] verba. Terra marique res maximas geſſit, quæ luculenter ab eodem Diodoro ac Xenophonte in libris de rebus Græcorum deſcribuntur, totaque ejus vita à Cornelio Nepote immortalitati conſecratur, quos graviſſimos auctores adire poterit, qui cupiat

[q] *Diod.* lib. xxv. [r] *Diod.* ibidem. [s] *Diod.* lib. xv. [t] *Xenoph. de reb. Græc.* lib. iv. [v] *Diod.* lib. xv.

ſingillatim

ſingillatim clariſſimi viri facinorum compos fieri. Eum Athenienſes χαλκῆς εἰκόνος, καὶ σίτήσεως ἐν Πρυτανείῳ, καὶ δωρεῶν, καὶ τιμῶν ἄλλων. Ænea ſtatua, victu in Prytaneo, muneribus, aliiſque honoribus honeſtarunt [x].

[p] Chabrias Iphicrati ſucceſſit in Athenienſium, qui Corinthum cuſtodiebant, præfecturâ. Nam cum iſte altero, quo illic degebat, anno, fractâ tutelæ fide, Urbem, omnemque regionem in Reipublicæ poteſtatem redigere voluiſſet, Cives obſtiterunt; quare Athenienſes, Chabriam in ejus locum ſuffecerunt. Lubet Diodori teſtimonium afferre: Τούτων δὲ πραχθέντων, Ἀργεῖοι μετὰ τῶν ὅπλων πανδημεὶ στρατεύσαντες εἰς Κόρινθον, τήν τε ἀκρόπολιν καθελάβοντο, καὶ τὴν πόλιν ἐξιδιοποιησάμενοι τὴν Κορινθίων, χώραν Ἀργείαν ἐποίησαν. Ἐπεβάλετο δὲ καὶ Ἰφικράτης ὁ Ἀθηναῖος καταλαβέσθαι τὴν χώραν, ἐπιτήδειον ὄσαν εἰς τὴν Ἑλλάδος ἡγεμονίαν. Τοῦ δὲ δήμου κωλύσαντος, ἐστρατήγει μὲν ἀπεθέλο τὴν ἀρχήν. Οἱ δὲ Ἀθηναῖοι Χαβρίαν ἀντ' αὐτοῦ στρατηγὸν εἰς τὴν Κόρινθον ἐξέπεμψαν. *Quibus rebus geſtis Argivi cum univerſa Civium multitudine armati Corinthum aggreſſi, ipſiuſque cum urbis, tum arcis, potiti ſunt. Et Urbem quidem ſibi vindicarunt, agrum Argivæ terræ adſcripſerunt. Regionem Iphicrates quoque Athenienſis occupare exoptaverat, maximè idoneam reputans ad gerendum Græciæ principatum. Sed obſtitit Populus; ille verò Imperium depoſuit, miſſuſque ejus loco ab Athenienſibus Corinthum Chabrias, qui militum Præfecturam gereret.* Hic pariter ampliſſimis rebus geſtis maximiſque laudibus honeſtatur. Eæ à Diodoro Xenophonteque præcipuè celebrantur; Cornelius etiam Nepos illius Vitam deſcripſit. Mortuus eſt a. 3. O. 105. in Sociali bello, dum Claſſis Præfectus in Chii portum voluit irrumpere. Cadaver in Patriam advectum ſplendido tumulo, quod Pauſaniæ tempore viſebatur, conditum eſt [y].

[q] Peregrini milites ab Athenienſibus vocabantur, quicumque ex Attica terra ortum non ducerent. Igi-

[x] *Demoſth. adv. Ariſtar. Pauſ. in Attic.* [y] *Xenoph. Diod. Pauſ. ubi ſupra.*

tur

tur in Civium memoriam revocat navales, ac terreſtres pugnas, quibus conſociati cum Græcorum quibuſdam ſuperioribus annis Lacedæmonios fregerant. Quas quidem pugnas ſingillatim recenſere ſupervacaneum exiſtimavi. Quis enim ignorare poterat contra eoſdem Lacedæmonios proſpera ad Zacynthum prælia, ad Corcyram, ad Haliartum, aliiſque in locis, dum Bœoticum vigeret bellum, quibus in præliis modò aliquos earumdem inſularum Populares, modò Thebanos Socios habuerunt. Singula ſuo loco dicendo peragrabo; In rem præſentem ſatis eſt indicaſſe.

[r] Digitum ſine dubio intendit, opinor, Demoſthenes ad Charetis Claſſiarios, qui, ut ſuperiùs monuimus, & mox repetemus, è peregrinis, ac Mercenariis conſtabant. De iis operæ pretium eſt Diodorum [z] audire: Οὗτος (Χάρης) ὃ τὰς μὲν πολεμίας ἐυλαβέμενος, τὰς μὲν συμμάχους ἀδικῶν διέλιπε. Καταπλεύσας γὰρ εἰς Κέρκυραν συμμαχίδα πόλιν, σάσεις ἐν αὐτῇ μεγάλας ἐκίνησεν, ἐξ ὧν συνέπεσε γενέσθαι σφαγὰς πολλὰς, καὶ ἁρπαγὰς, δι' ἃς συνέβη τὸν Δῆμον τῶν Ἀθηναίων διαβληθῆναι παρὰ τοῖς συμμάχοις. Ὁ μὲν οὖν Χάρης καὶ ἕτερα τοιαῦτα παρανομῶν, ἀγαθὸν μὲν οὐδὲν διεπράξατο, τῇ δὲ πατρίδι διαβολὰς. *Hic* (Chares) *hoſtes metuens, Socios injuriis cumulans tempus degit. Quippe claſſe Corcyram in Sociam amicamque Civitatem navigans, ingentes in ea turbas commovit, quæ Civibus cædes plurimas, ac direptiones; Athenienſibus apud Socios calumnias, vituperationeſque pepererunt. Chares igitur & alia hujuſmodi gravia, atque injurioſa commiſit, et nihil egit boni, Patriamque obtrectatoribus dilaniandam objecit.*

[s] Rurſus Charetis Copias ob oculos habet, quas ille ad Artabazum Perſarum Satrapam, qui ab Artaxerxe [a] deſciverat, ſuppetias duxit, ut nota prima Orat. de Claſſ. adnotavimus. At verò agmen illud non tam eò perrexit, quòd ægrè Athenienſibus navaret operam in bello Sociali; quam quòd mercede deſtitu-

[z] *Diod.* lib. xv. *a.* iv. *O.* 104. [a] *a* i. *O.* 106.

tum, illam ſibi quærendam ſtatuit ab Artaxerxe; quo colore ſuſceptum conſilium Chares excuſavit, audax quidem, ac Reipublicæ periculoſum; Hinc enim ſubeundum huic erat Perſarum odium. Id apertè ſcribit Diodorus, nec obſcurè indicat Orator noſter, cum ſtatim ac iſtud Imperatoris facinus enarravit, addat: ὁ δὲ στρατηγὸς ἀκολουθεῖ· εἰκότως. Οὐ γάρ ἐστιν ἄρχειν, μὴ διδόντα μισθόν. *Imperator* (milites) *ſequitur*; *& meritò quidem. Iis enim imperare nequit, cum ſtipendia non ſolvat.* Quamobrem non ſponte, ſed Cohortibus neceſſariò obſequentem, Charetem hanc ſuſcepiſſe expeditionem putandum eſt.

[*t*] Στρατηγοὶ ſupremi erant exercitus Duces. Ταξίαρχοι Tribuni militares in unaquaque Tribu, & hi duo Magiſtratus peditatui imperabant. Ἱππάρχοι Magiſtri Equitum, Φύλαρχοι Præfecti Equitum ſingularum Tribuum, & hi pariter duo, ut patet, Equitatui præerant. Nos hæc nomina in oratione addimus. *Imperatores*, *Tribunos*, *Centuriones*, *Magiſtros Equitum*, ut Wolfium quoque feciſſe vidimus, jam tum inducentes animum illa in annotationibus explicare; quamobrem *Centuriones* notiori voce diximus (quamquam propriè peditibus præeſſent) pro *Præfectis Equitum*, qui, nullâ adhibitâ explicatione, facilè cum *Magiſtris Equitum* confunderentur. Verùm ut ad rem veniamus: More inſtitutoque Majorum apud Athenienſes deni Duces eligebantur, ſinguli è ſingulis Tribubus. Ab hoc Magiſtratu arcebantur, qui lites haberet; νόμος, τὸν στρατηγὸν μὴ ἔχειν δίκας, *Lex eſt, nullam imperatori litem eſſe:* qui nunquam arma tuliſſet; τὸν ἀστράτευτον μὴ στρατηγεῖν, *nec Imperium obtinere, qui nunquam caſtra ſequutus fuerit* [b]: qui filiis careret; νόμος ἐκέλευε, τὸν ἄπαιδα μὴ στρατηγεῖν, *Lex jubet, exercitum non ducere, qui ſobole deſtituitur* [c]. Quod ſi filiam haberet, eam apud Collegarum aliquem deponere, dum Copiis præeſſet, cogebatur [d]. Siquidem

[b] *Syrianus in Hermog.* [c] *Autor. probl. ret.* c. 3.
[d] *Syrian. ut ſupra.*

prudenti consilio noluerunt ejus mentem domesticis curis impediri, ac filios manere domi obsides paternæ in Rempublicam fidei. Belli negotia Duces in commune deliberabant; ea vincebat sententia, cui plures ipsorum accessissent. Æquatis suffragiis, Polemarchi arbitrium erat, alterutram anteferre. Singuli singulis diebus imperio potiebantur. Hujus disciplinæ luculentissimum exemplum profert Herodotus[e]. Nam cum decem Athenienſium Duces sciſſis bifariam sententiis in Marathone altercarentur, committendane pugna esset cum Persis, vellentque alii, alii respuerent, Miltiades qui avidè prælium optabat, in suas traxit partes Callimachum, Aphidnæum, Polemarchum, cujus calculo signa conferre statutum est; iis conferendis Imperii sui diem Miltiades elegit, clarissimâque victoriâ memorandum Posteris fecit. Cum de creandis Imperatoribus dixerim, haud ab re duco de bello decernendo Athenienſium instituta, & leges in medium adducere. Igitur antequam illud Plebs sciret, triduò deliberandum erat: ὥσπερ ἔφασε Δημοσθένης, τὴν Ἐλατείαν Φιλίππου καταλαβόντος καὶ λύσας τὸν νόμον ἐν τρισὶν ἡμέραις βουλεύεσθαι. *Veluti fuasit Demosthenes, cum Philippus Elateam invasisset, dissolutâ lege, quæ tribus diebus deliberare præcepit*[f]. Decreto bello, septem intercedebant dies, antequam exercitus educeretur, qui militibus dati, ut se ornarent, rebusque domesticis providerent: ἀπείρητο Ἀθήνησι στρατιὰν ἐξάγειν πρὸ τῆς τοῦ μηνὸς ἑβδόμης. *Interdictum erat Athenis exercitum educere ante septem dies*[g]. Cui pariter legi in maximis Reipublicæ necessitatibus aliquando derogatum fuisse argumento est, quod in Chersonesi Orat. narratur de triduana in Eubœam expeditione. Demum exercitu emisso nefas erat pugnam capessere, nisi antea Præco Diras hostibus imprecatus agnum inter duas acies duxisset, isque ab inimicorum aliquo caperetur: νόμος ἦν Ἀθηναίοις, μὴ συμβάλλειν, πρὶν ἢ

[e] *Herod. in Erato.*

[f] *Syrian. Marcellin. Aphines περὶ καταστάσεως.*

[g] *Hesychius.*

τὸν ἄρνα προσμένων τις λάθῃ τῶν πολεμίων. *Lex erat Athenis, nequaquam pedem conferre, niſi prius hoſtium aliquis expectantem agnum cepiſſet* [h]. Nec rem myſterio caruiſſe docet Diogenianus [i]: Οἱ πόλεμον αἱρεῖν βουλόμενοι κήρυκα ἔπεμπον, ἄρνα ἐπιφερόμενον, ὃν ἠφίει ἔνδον, ἐνδεικνύμενος, μηλόβοτον αὐτῶν ὑσίαν ἔσεσθαι καὶ τὴν πόλιν. *Qui bellum ſuſcipere volunt, Præconem mittunt, agnum ducentem, quem intus miſſum faciebat, oſtendens, ipſorum urbem, ac bona paſtionem ovibus præbitura.* Ut ad Imperatorum Decemviratum redeam, invaluit deinde conſuetudo, ut non omnes, at unus, duo, tres, aut plures, prout ratio Reipublicæ poſtularet, ſummo cum imperio in bellum expedirentur, qua de re tot exempla nobis exhibent Hiſtoriarum monumenta, ut ea referre laborioſi hominis foret. Reliqui domi manebant, agebantque Diis pompas quotannis magnificentiſſimè Athenis ornatas, ſimul cum Taxiarchis, Phylarchis, Hipparchis, ut non ſolùm ex hoc Demoſthenis loco habetur, ſed ex Orat. contra Midiam: Ὑμεῖς γάρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἐχειροτονήσατε τῶν &c. ἱππάρχου, ὀχεῖσθαι διὰ τῆς ἀγορᾶς ταῖς πομπαῖς οὐ δυνάμενον. *Vos enim, Athenienſes, hunc* (Midiam) *Magiſtrum Equitum creaſtis, cum per forum equitare in Pompis haud poſſet.* Moveor etiam Thucydidis [k] verbis, ut credam, (ſecus fortaſſe, ac ſuperius dixi) in convocandis repentinis Concionibus aliquid autoritatis obtinuiſſe Duces, ſimul cum Prytanibus, qui tamen aut ſoli, aut principes hoc jure fruebantur. Ita verò Thucydides habet: ἐκκλησίαν ἢ ποιήσαντας τοὺς στρατηγοὺς, καὶ τοὺς πρυτάνεις. *Concionem verò advocantibus Imperatoribus, ac Prytaneis* [l]. Ab ipſis delectus fiebat, dabatur quoque militibus commeatus, ut à Lyſia, Plutarcho, Demoſthene certiores reddimur. Denique Magiſtratus erat annuus, ut reliqui, ſed ex uſu Reipublicæ facilè in plures annos, novis tamen

[h] *Heſychius.* [i] *Diogen. cent. 2. prov. 96.* [k] *Thucyd.* lib. iv. [l] *Lyſ. adv. Alcib. & Diogiton. Plutarch in vita Phocion. Demoſth. adv. Periclem.*

ſuffragiis,

ſuffragiis, producebatur; adeo ut Phocion illum, populo mandante, quinque, & quadraginta annis geſſerit [m]. Taxiarchi, ſeu Tribuni militares, decem pariter fuerunt ſinguli è ſingulis Tribubus. Horum munus, Ordines militares inſtruere, Pedites in aciem ducere, itinera, & commeatus indicere. Phylarchi totidem, eodemque ordine creabantur. Unuſquiſque ſuæ Tribus Equitibus pari jure, ac peditibus Taxiarchi imperabant. Hipparchi demum duo fuerunt, quibus in omnem Equitatum Imperium erat; Ducibus tamen obtemperabant, ut apud Romanos Magiſter Equitum Dictatori. De quibus omnibus à Lyſia [n] admonemur, pluraque congerit vir clariſſimus Sigonius [o].

[*u*] Menelaus iſte prorſus ignoraretur, niſi ejus hoc loco mentio fieret à Demoſthene; nullis enim, quæ viderim, literarum monumentis proditus memoriæ hominum eſt. Si quis conjectando locus aperiri queat, qui illum Phocenſium aliquem, regionis, armorumque peritum credat, puto non longè à verò diſcedere. Exterum fuiſſe Orator monet; at ex ea gente, ſuadet primùm Athenienſium cum illa Societas pro qua commune bellum gerebant adverſus Thebanos; deinde quod viro indigebant ejuſdem regionis incolæ, qui & locorum ſcientiâ poſſet Reipublicæ Copiis, quibus, ut ait, Demoſthenes præficiebatur, ſecuritatem quærere, & auctoritate commeatus. Non enim dubito ſermonem hìc fieri de illo exercitu, quo, ut ſupra admonuimus, repulerant hoc anno Athenienſes Philippum à Thermopylis, & quod illic retinere hactenus oportebat, ne, quod ſemel Regi non nè ſucceſſerat, iterum tentaret. Nam quem locum um per ea tempora tutati ſunt Athenienſes iſto maidoneum, cui convenire poſſit, quod ipſe Demoſthenes ait: in eo pro aris, & focis conſtitiſſe?

[m] *Plut. in ejus vita.* [n] *Lyſ. in Orat. de neglecta militia, at. pro Mantith. & alibi.* [o] *Sig. de Rep. Ath. c. 5. & 7.*

[x] Talenta duo, ac nonaginta, ſeu 55200 Coronatorum, quos patriâ linguâ *ſcudi* vocamus, quadrant optimè propoſitæ ſumptuum rationi. Eorum quippe ſi quadragena navibus talenta, ſeu 24000 Coronatorum, totidem militibus aſſignentur, ac demum talenta duodecim, ſeu 7200 Coronatorum. Equitibus, ſumma perficitur. Hinc patet, Demoſthenem ob anguſtias Ærarii priſtinum Bellatorum ſtipendium in uſum revocare voluiſſe; ſcilicet duos in dies obolos Peditibus, ſenos Equitibus, ſeu drachmam. Quamobrem ait, ſingulis illis in menſem decem drachmas obventuras; iſtis triginta. Quæ drachma ſi per duo militum millia, quot Orator conſtituit, ducatur, parem iis ſummam conficit; hæc, ſi per duodecim menſes, illa viginti quatuor Coronatorum millia abſorbet. Miror itaque Wolfium virum clariſſimum & contra computandi rationem, & contra græcorum verborum fidem ita Demoſthenis locum reddidiſſe: *militum duobus millibus totidem alia, ut duas ſinguli milites drachmas in menſem pro cibariis accipiant*, cum græcus Codex ſic habeat: στρατιώτας ᾗ δισχιλίοις, τοσαῦτα ἕτερα. Ἵνα δέκα ἕκαστος τῦ μηνὸς ὁ στρατιώτης δραχμὰς σιτηρέσιον λαμβάνῃ. Quod etiam confirmat in aliquibus grammaticis notis ad hanc Orationem: *Si denæ*, inquit, *drachmæ fuerunt* σιτηρέσιον, *id eſt, ſi pecunia pro cibariis data eſt, nihil aliud dicit, niſi deeſſe pecuniam, qua ſtipendia militibus ſolvantur.* Σιτηρέσιον non tantùm ſignificat frumentum, quod militibus dividebatur, ſed quicquid victus, & ſtipendii nomine accipiebant. Id etiam prætermittendum non eſt, quod ex ducentis iſtis Coronatis unicuique navi in ſingulos menſes perſolvendi mirificè comprobatur noſtra de Navium magnitudine ſententia, quam initio Orat. de Claſſibus enucleavimus. Nam ſi unicuique remigum tres quotidie oboli (quæ uſitata ipſorum merces erat, ut diximus) diſtribuantur, in qualibet Navi centum illorum, ac triginta tres fuiſſe compertum erit. Demus, aliquanto plures Velocibus impoſitos,

impoſitos, ad augendam ipſarum celeritatem; attamen quanticumque ſingulis remis aſſignentur, par, aut ſuperior ipſorum remorum numerus ei, quem retulimus, comperietur.

[y] Eteſiæ Venti ſunt Anniverſarii in Græcia flantes. Incipiunt, cum Sol ultimos peragrat Cancri gradus; deſinunt, cum medium Virginis ſignum luſtrat; Spirant enim per quadraginta dies, ut Apollonius, aut quinquaginta, ut Timoſthenes ait. Nocte ceſſant, ac ſub ortum Solis moventur, proinde à Nautis ſomniculoſi vocantur. Flant à Borea, idque optimè convenit Demoſthenis dicto: tunc è Græcia ſolvi non poſſe in Macedoniam. Cum Eteſias, atque hiemis aſperitatem conjungat, nemo reputet, Oratorem doctiſſimum ignoraſſe Eteſiarum tempus. Non enim res ita ſe habet; ſed indicat utraque anni tempeſtate, & cum ſpirant Eteſiæ, & cum ſævit hiems (quia tum quoque venti Septentrionales plerumque regnant, aut mare ſurget) claſſe in Macedoniam fas non eſſe tranſmittere [p].

[z] Lemnos ejuſdem Ægæi maris Inſula ſatis nota; ſic dicta à Lemna Dea; Vulcano ſacra, quem in illam cecidiſſe perhibebant, è Cælo dejectum. Thoas fertur, Bacchi filius, primos in eam incolas adduxiſſe, quapropter ab Homero [q] nuncupatur.

Πόλιν θείοιο Θόαντος,
Urbem divini Thoantis.

Duas habuit Urbes, Myrinam à Myrina Thoantis uxore nuncupatam [r]; atque Ephæſtiam. Inſulam centum viginti duo paſſuum millia per gyrum metiuntur. Fama erat, Lemnias mulieres, ſpreto Veneris Numine, pœnas illi dediſſe fœtore corporis; quare à ſuis viris odio habitæ, rejectæque, facta conſpiratione cunctos ad unum interfecerunt. Argonautæ paulo poſt illuc appulſi, vi, mulierum inſulæque potiti, colendæ terræ procreandiſque filiis operam dederunt [s]. Hinc illud Pindari [t] de Jaſone;

[p] *Herod. in Erato.* [q] *Il.* iii. ỳ 230. [r] *Schol. Apollon.*
[s] *Herod. in Melpom.* [t] *Pind. Ode* ix. *epod.* 11.

Κλέψεν τε Μήδειαν σὺν ἀν-
Τᾷ τᾶν Πηλιαδόφονον,
Ἔν τ' Ὠκεανῷ πελαγέσι μίγεν,
Πόντῳ τ' ἐρυθρῷ, Λημνιᾶν
Τ' ἔθνει γυναικῶν ἀνδροφόναν.
Clam duxit Medeam cum ipſa,
Quæ Pelium occidit,
Certavitque in maris fluctibus,
Et in ponto rubicundo cum Lemniarum
Stirpe Mulierum homicidarum.

Illam igitur Minyæ, Argonautarum Poſteri, tenuerunt, donec Pelaſgi ex Attica pulſi, illuc appellentes eos depulerunt [y]. At Pelaſgi deinceps non diſſimili pœnâ affecti ſunt. Ulturi enim Athenienſium vim, qua ſibi ſolum Atticum vertere opus fuit, clam in Atticam è Lemno tranſmittentes, dum Dianæ feſtum apud Brauronem agebatur, raptas ibi Athenienſes mulieres domum duxerunt, ex eiſque liberos procrearunt. Hos Matres, injuriæ memores, maternâ linguâ, & in Pelaſgos odio imbuerunt, quo acti, frequenter ingenuos pueros divexabant. Quamobrem Patres veriti, ne poſtquam adoleviſſent, quidpiam gravius molirentur, cunctos cum Matribus occidione delerunt. Hinc Inſulam diu afflixit annonæ difficultas; quam Cives deprecaturi Delphi Oraculum conſuluerunt. Reſponſum à Pythia eſt, emollirent Athenienſium animos. Verùm acceptam ab iſtis conditionem, qua jubebant terram æquè uberem ſibi dari, ut menſam, quam ipſis ornaverant, iniquam exiſtimantes neglexerunt. At pœna ſibi aliquando inflicta eſt; nam Miltiades Athenienſis, Cimonis filius, è Cherſoneſo ſolvens in Lemnum devectus, Pelaſgis mandavit, inſulâ ſtatim decederent, nec injuriam quererentur, Oraculi memores. Hephæſtienſes æquo animo conditionem acceperunt; Myrinæi poſt acerbam obſidionem vi adacti [z]. Ita Lemno potiti ſunt Athenienſes, eique dederunt Atticos mores, & linguam, quibus deinde uſi perpe-

[y] *Herod. in Erato.* [z] *Herod. ut ſupra.*

tuo

tuò ſunt, ut nos docet Thucydides; memoratis enim qui cum Athenienſibus fuerunt in maxima illa Syracuſana expeditione ait [y]: Αθηναῖοι μὲν αὐτοὶ Ἴωνες ἐπὶ Δωριέας Συρακουσίους ἐκόντες ἦλθον, καὶ αὐτοῖς τῇ αὐτῇ φωνῇ, καὶ νομίμοις ἔτι χρώμενοι Λήμνιοι, καὶ Ἴμβριοι, καὶ Αἰγινῆται, οἱ τότε Αἴγιναν εἶχον. *Athenienſes, qui ſunt Iones contra Syracuſanos, qui Dorici ſunt generis, ſponte venerunt, & cum ipſis Lemnii, Æginetæ, qui tunc Æginam incolebant ac Imbrii, omnes nunc pariter eadem cum Athenienſibus linguâ, iiſdemque legibus utentes.* Quàm opportunæ ſint ad tranſmittendum in Macedoniam tres memoratæ Inſulæ Thaſus, Sciathus, Lemnus, palam facit ipſe locorum aſpectus. Lemnos modò *Stalimine* appellatur.

[1] Thaſus Ægæi maris inſula prope Thracium litus. Urbs in eadem à Thaſo condita eſt, Agenoris Phœnicum Regis filio, qui illuc, dum Patris juſſu quæreret ſororem Europam appulit. Colonis deinde à Pariis aucta eſt, quos etiam Strabo [z] ejuſdem conditores facit: ὑπὸ δὲ Παρίων ἐκτίσθη Θάσος, καὶ Πάρος ἐν τῇ Προποντίδι πόλις. *A Pariis condita eſt Thaſus, ac Parium Propontidis Civitas.* Nobilis fuit marmorum, vinique præſtantiâ; hinc ejus vites à Virgilio [a] celebrantur,

Sunt Thaſiæ vites, ſunt & Mareotides albæ.

Hinc pariter de ejus vino Ariſtophanis jocus, cum anus quædam jactaret, cutem ſuam benè olere; ei ſiquidem reſpondet Chremylus,

Εἰ Θάσιον ἐνέχεις, εἰκότως νὴ Δία [b]

Si Thaſium infundas, meritò quidem per Jovem.

Auri fodinis etiam ditata eſt. Quoad Athenienſes attinet, eam, ut plurimas Ægæi maris, poſt depulſum è Græcia, profligatumque Xerxem, vectigalem ſibi fecerunt. Deinde: ἀποστάντες Θάσιοι ἀπὸ Αθηναίων, μεταλλῶν ἀμφισβητοῦντες ἕνεκα, ἐκπολιορκηθέντες, ὑπὸ τῶν Αθηναίων χειρωσάμενοι, Diodori teſtimonium eſt

[y] *Thucyd.* lib. vii. [z] *Strabo.* lib. ii. [a] lib. ii. *Georgic.*
[b] *Ariſtoph. in Pluto.*

Thaſii,

[c] *Thaſii, cum ab Athenienſibus defeciſſent, ob exortam eos inter de metallis controverſiam, ab ipſis Athenienſibus obſidione preſſi, in poteſtatem redacti ſunt.* Poſtmodum in Lacedæmoniorum ditionem veniſſe opinor, (cum Lyſander claſſe victor maris imperium tenuit, multaſque inſulas Athenienſibus eripuit) eorumque præſidium deinceps à Civibus ejectum, acceptumque intra mœnia Thraſibulum cum Athenienſium cohortibus dubitare non ſinit hic Demoſthenis locus [d]: Τῶν μὲν τοίνυν Θασίως τὰς μετ' Ἐκφάντε πῶς οὐκ ἀδικήσετε, ἐὰν ἀφελῆσθε τὴν ἀτέλειαν; οἱ παραδόντες ὑμῖν Θάσον, καὶ τὴν Λακεδαιμονίων φρουρὰν μεθ' ὅπλων ἐκβαλόντες, καὶ Θρασύβυλον εἰσαγαγόντες, καὶ παραχόντες φίλην ὑμῖν τὴν ἑαυτῶν πατρίδα, αἴτιοι τε γενέσθαι σύμμαχον τὸν περὶ Θρᾴκην τόπον ὑμῖν ἐγένοντο. *Id autem, quomodo injuriâ non afficietis Thaſios, Ecphantum ſequutos, ſi ipſis immunitatem adimitis? Qui traditâ vobis urbe, ac vi dejectâ Lacedæmoniorum præſidio, adductoque Thraſybulo, Patriam ſuam in amicitiam veſtram dederunt; in cauſa quoque fuerunt, ut proximi Thraces ſeſe vobiſcum ſocietate conjungerent.* Nunc adhuc antiquum retinet nomen.

[2] Sciathus Ægæi maris Inſula, Theſſaliæ proxima. In ea duas urbes fuiſſe ac Portus meminit Strabo [e]. Σκίαθος αὐτὴ δίπολις, καὶ λιμένα. Vocatur adhuc eodem nomine.

3. Imbrus Inſula Corybantibus, qui Dæmones ſunt, ac Mercurio Sacra, ſita adverſus Thraciam, Lemno proxima, nunc *Lembro* dicitur. Magnam ſanè parit admirationem, nullis profectò literarum monumentis, nec ab ipſo Diodoro hæc tantas injurias Athenienſibus à Philippo illatas memoriæ hominum tradi. Non enim res parvi momenti eſt, è Lemno, atque Imbro Cives Athenienſes in ſervitutem adductos fuiſſe; ereptâ ſacrâ Triremi turbatam Attici litoris pacem; ingentem pecuniæ vim ſub ipſis propè

[c] *a.* i. *O.* 79. *adverſus Leptinem.* [d] *Demoſth.* *Diod.* lib. ix. 11. [e] *Strabo*, lib. ix.

Athenis

Athenis abductam. Cum tamen iſtiuſmodi facinorum ſit Demoſthenes teſtis locupletiſſimus, ea in dubium revocari nequeunt; proindeque inveſtigandum eſt, quo tempore, quave occaſione patrata fuerint à Philippo. Ego quidem exiſtimo confectum id eſſe a. iii. O. 105. ſtatim ac ille Amphipolim, Pydnam, Potidæamque maritimas Macedoniæ urbes imperio ſuo ſubegit; tunc enim & ille claſſem habuit inſtructam; atque Athenienſes, quod Orator ait, nullo negotio Socias Urbes ope ſuâ tueri, & confirmare potuiſſent. Hac igitur claſſe Philippus, facilè in eas Inſulas navigare quivit, in Geraſtum Euboeæ Promontorium, in Atticam, ubi narratas injurias fecit. Id autem magno, ni fallor, argumento eſt, rem eo ſolùm tempore, nulloque alio ante hanc Demoſthenis Orationem perpetratam fuiſſe, quòd ille tunc liber foret à cæteris bellis; Athenienſes autem ſociali maximo, difficillimoque, paulò ante inflammato, detinerentur; quocirca & Regi nihil erat impedimento, quominus ageret quicquid vellet, & Athenienſibus difficultates undique necterentur, quibus à propulſandis, ulciſcendiſque in præſentia Regis injuriis detinerentur. Accedit, quod hic poſtmodum ſemper, ad hujus Orationis tempus, terreſtribus bellis irretitus fuerit vel contra Phocenſes, vel contra Theſſalorum Tyrannos, vel contra Thracum, Pœonum, atque Illyriorum Reges, ut ex Diodoro [e] patet; quare minus ei commodum potuiſſet accidere maritimas illas expeditiones accipere. Contra, Sociale bellum Athenienſes abſolverant a. i. O. 106. cum quatuor dumtaxat annos perduraſſet; proinde & ipſis facilè nimium fuiſſet memoratas Regis injurias propulſare.

4. Duæ fuerunt uſque ad Antigoni tempus Athenienſibus Naves ſacræ, Delia, quæ & Salaminia, ac Paralus: ἦσαν δὲ τὸ μὲν πρῶτον ἱεραὶ δύο τριήρεις, ἥτε Σαλαμινία, ἣν καὶ Δηλίαν ἐκάλουν, καὶ ἡ Πάραλος: *Erant primum*

[e] *Diod.* lib. xvi.

mùm duæ Sacræ Triremes, Salaminia, quam & Deliam vocabant, & Paralus, ut nos inſtruit Ulpianus. [f] Quare qui ab hoc numero Paralum excludit, & diverſam ab iſtis eam navem commentatur, qua Atticos Cives Athenis ad Panathenæa advehebantur, neſcio, quo teſtimonio innitatur. Delia, ſeu Salaminia, eadem erat ipſa, qua Theſeus maximum clariſſimumque facinus aggreſſurus in Cretam navigavit cum Adoleſcentium tributo, quorum quatuordecim ſingulis annis Minoi Regi traducere Athenienſes cogebantur, à Minotauro devorandos. Magnanimus Heros tantam Patriæ calamitatem indignè ferens, pugnam cum Monſtro ferociſſimo non detrectavit, vicit, peremit, atque Ariadnæ Regis filiæ induſtriâ, beneficioque extra inexplicabiles labyrinthi gyros egreſſus eſt. Inde Religionis causâ Delum appulſus, Athenas remeavit. Cives ad recolendam victoriæ ac beneficii memoriam, in eo celeberrimo loco Sacrificium quotannis inſtauraturi, cum eâdem, qua Theſeus, navi illuc navigabant, tantaque erat hujus celebritatis religio, ut, quoad in portum redirent, nemo Athenis pœnâ capitis afficeretur [g]. Navis autem, ne illam vetuſtas diſſolveret, & mari minus idoneam redderet, cum opus foret, reficiebatur, inductis in carioſorum locum novis lignis, & uſque ad Phalerei Demetrii ætatem permanſit [h]. Altera Sacra Triremis fuit Paralus, ἀπὸ παραλίας, *litore*, nuncupata, ſi Heſychio credimus: Πάραλια ἡ Απλικὴ. Ἔνθεν καὶ ἡ ναῦς Πάραλος. *Attica maritima; hinc Paralo navi nomen.* Si Suidæ, & Harpocrationi, à Paralo Heroe: Πάραλος, Harpocration ait, μία τῶν παρ' Αθηναίων πρὸς τὰς δημοσίας χρείας διαπεμπομένων τριήρων, ἀπό τινος Ηρωος τὴνομα λαβοῦσα Παράλου. *Paralus Triremium una, quæ ad publicos uſus ab Athenienſibus mittebatur, nomen accepit à quodam Heroe Paralo.* Si denique Ulpiano in Midian, à Paralo Periclis filio. Hac Triremi, quæ pariter

[f] *Ulp. in Enarrat. Orat. contra Midiam.*
[g] *Plato in Phædon.*
[h] *Plutarch. in Theſeo.*

cæteris

cæteris meliùs inſtructa erat, ut jam retulimus, Athenienſes utebantur ad publica decreta deferenda [i]; ad cladium aut victoriæ nuncium Athenas afferendum; Siquidem plerumque cum ipſa, tum Salaminia Claſſem proſequebantur, Thucydidis [k] teſtimonio.

5. Athenienſes præcipuâ Religione Minervam colebant; ejus Simulachro principem locum in arce dederant, vocatamque ex ejus nomine Urbem ſuam cum omni agro dicaverant. Eidem Erichthonius, Rex Athenarum quartus, maximos ludos inſtituit, atque Αθλωαία, *Minervalia*, vocavit: ἤγαγε ἡ τὼ ἑορτὼ ὁ Ερεχθόνιος ὁ Ηφαίστε, καὶὰ φήσιν Ελλάνικός τε, ἢ Ανδροτίων, ἑκάτερος ἐν πρώτῃ Ατθίδος. Πρὸ τότε ἡ Αθλωαία ἐκαλεῖτο. *Feſtum inſtituit Erichthonius Vulcani filius, ut Hellanicus & Androtion dicunt, uterque in primo Attidis; ante hunc* (Theſeum) *Athenæa vocabantur* [l]. Panathenæa poſtmodum appellata ſunt, cum Theſeus coactis in unam Civitatem totius Atticæ populis, Feſtum celebriori ſolemnitate agendum conſtituit: Παναθλωαία ἡ κληθῶαι φασὶν ἀπὸ Θησέως, ὅτι ὑπὸ Αθλωαίων ἐτέθη, συνοικισμένων εἰς μίαν ἁπάντων πόλιν. *Panathenæa verò dicta ſunt à Theſeo, quòd conficiantur ab Athenienſibus, poſtquam omnes* (Attici) *in unam Civitatem collecti ſunt* [m]. Διτὰ Παναθλωαία, iterum Pauſaniam affero, ἤγετο Αθλώησι. Τὰ μὲν καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν. Τὰ ἡ διὰ πενταετηρίδος, ἅπερ ἢ μεγάλα ἐκάλεν. *Gemina fiebant Athenis Panathenæa. Alia quolibet anno, alia omni quinquennio, quæ magna nuncupabantur* [n]. Quamquam ἀνώνυμος Autor argumenti Demoſthenicæ Orationis adverſus Midiam parva Panathenæa dicat triennalia. Ad ſolenne ſacrificium quilibet Atticæ pagus Bovem mittebat, quibus diſtributis lautè Populus epulabatur [o]. Curſus equorum, aurigarum, apparatus, pompæ, ludi eodem ritu, iiſdemque ceremoniis, ac in reliquis Feſtis diebus inviſebantur. Hæc ſilentio prætereo, utpote notiſſi-

[i] *Demoſth. in Cherſ.* [k] *Thucyd.* lib. iii. [l] *Pauſ. in Arcad.* [m] *Ibidem.* [n] *Ibidem.* [o] *Schol. Ariſtoph. in Nebulis.*

ma;

ma; aliqua ſolùm hujuſmodi conventus propria paucis enarranda ſuſcipio. In Pompâ Senes aliquot conſpiciebantur, procedentes cum Oleæ Ramo, unde Θαλλόφοροι appellati. Comici hinc jocus in Veſpis.

Οὐκέτι πρεσβύτων ὄχλος
Χρήσιμός ἐς', ὐδ' ἀκαρῆ.
Σκοπλόμενοι γὰρ αὖ ἐν
Τοῖσιν ὁδοῖς ἁπάσαις
Θαλλόφοροι καλύμεθ'.
Nequaquam Senum turba
Utilis eſt, ne minimùm quidem.
Irriſi enim in
Viis omnibus
Ramiferi vocamur.

Ii Senum eligebantur, qui decorâ facie honeſtarentur, ut Xenophon teſtimonium tradit in Convivio: ἀλλ' ὐδὲ μψῦπι ταύτη γε ἀτιμαστέον τὸ κάλλος, ὡς ταχὺ παρακμάζον. Επεὶ ὥσπερ γε παῖς γίγνεται καλός. Οὕτω καὶ μειράκιον, καὶ ἀνὴρ, καὶ πρεσβύτης. Τεκμήριον δ', Θαλλοφόρους τῇ Αθηνᾷ τοὺς καλοὺς γέροντας ἐκλέγουσι, ὡς συμπαρομαρτοῦντος πάσῃ ἡλικίᾳ τοῦ κάλλους. *Non tamen forma vituperanda eſt, quod celeriter defloreſcat. Nam veluti ſuam habet Pulchritudinem Puer; ita & Adoleſcens, Vir, Senex. Cujus rei teſtimonio ſunt Thallophori, ad quod munus in Minervæ Sacris formoſi eliguntur Senes, veluti per omnem ætatem illos venuſtas comitata ſit.* Athletis præmium dabatur vas Olei, Oleæque corona [p]. Equites ut in Prometheis & Vulcanibus Lampadas geſtabant. De Lampadibus refert Plato [q]: λαμπὰς ἦσαν πρὸς ἑαυτέρων ἀφ' ἵππων τῇ Θεῷ. *Lampadum certamen ex Equis Deæ ſub veſperum erat.* De curſu Xenophon [r]: ἦν δ' Παναθηναίων τῶν μεγάλων ἱπποδρομία. *Erat magnorum Panathenæorum curſus equeſtris.* Puellæ demum Peplum in Pompa geſtabant, in quo contexta Palladis facinora conſpiciebantur, ac nomina Civium optimè de Republica meritorum. Hinc

[p] *Suidas. Schol. Ariſtoph.*
[q] *Plato* lib. *de Rep.* 1.
[r] *Xenoph. in Convivio.*

Ariſtophanis

Ariſtophanis [r] dictum, ſtrenuos viros vocantia τῦ πέπλυ ἀξίως, *peplo dignos*. Ludis hiſce nefas erat intereſſe cum veſte tincta, ut Lucianus [t] ait. Pompas autem magnificentiſſimo apparatu ductas fuiſſe, Plato [u] nos docet. Iis præerat Rex cum Ædilibus: ὁ δ' Βασιλεὺς Μυςηρίων προέςηκε μετὰ τῶν Ἐπιμελητῶν, καὶ Ληναίων, καὶ ἀγώνων τῶν ἐπὶ λαμπάδι. *Rex cum Ædilibus Myſteriis præeſt, Lenæis, ac Ludis, qui cum Lampade celebrantur.* Quo ritu Panathenæa, Hephæſtia, & Promethea conficiebantur [w].

[6] Bacchanalia ex Ægypto in Græciam Melampus adduxit [x]. Antiquiſſimum fuit Græcorum Feſtum, atque adeo Athenienſibus ſolenne, ut ex illo ante Olympiades tempus computarent. Quolibet anno tertio celebrabantur; aliaque fuerunt ruſtica, alia urbana. Ruſtica in agris agebantur menſe Πυανεψιῶνος, *Octobri*, vel, ut alii putant, Ἀνθεςηριῶνος, *Novembri*, ut qui Peregrinorum, aut rus colentium propter hiemis aſperitatem Athenas ad urbana Bacchanalia pervenire non poterant, impiâ celebritate nequaquam carerent. Urbana menſe Ἐλαφηβολιῶνος, *Februario*, adveniebant. In Pompa primi Bacchantes procedebant, alii Sileno rum, alii Satyrorum, alii Panum habitu; partim aſinis inſidebant, partim hircos immolatum ducebant. Fercula ſequebantur, ac primum vas aquæ. Deinde Virgines κανηφόραι qualos capite ferentes, primitiarum plenos. Has comitabantur Φαλλοφόροι, turpe hominum genus; iterum Ιθύφαλλοι muliebri veſte induti. At cur cætera non taceam, quorum Chriſtianum virum obliviſci decet non meminiſſe? Inverecundam celebritatem diligenter deſcribit Lylius Giraldus, & Natalis Comes. Eam diſponebat Archon cum Curatoribus: ὁ δ' Ἄρχων διατίθησι μὲν Διονύσια καὶ Θαργήλια μετὰ τῶν Ἐπιμελητῶν. *Archon diſponit Bacchanalia & Thargelia cum Curatoribus* [y].

[r] *Ariſtoph. in Equit.* [t] *Lucian. in Nigrino.* [u] *Plato in Alcibiad.* [w] *Pollux. Onomaſt.* lib. viii. [x] *Herod. in Euterpe. Diod.* lib. i. *Plutarch. de Iſide, & Oſiride.* [y] *Pollux* lib. xviii. *Demoſth.*

[7] Ex

[7] Ex hoc Demoſthenis loco palam fit Socias Urbes Methonem, Pagaſas, Potidæam, cum à Philippo obſiderentur, ab Athenienſibus nequaquam neglectas, atque illud quidpiam auxilii collatum fuiſſe, ſed vano conatu ob decernendi tarditatem. De duabus jam aliquid adnotavimus. Tertia ſupereſt Pagaſæ, Theſſaliæ Civitas ad mare; hinc Jaſonem cum Argonautis ad vellus aureum ſolviſſe tradunt; ἀπὸ τῶν πηγῶν, *à fontibus*, dicta, quibus ea Regio abundabat. Quando Philippi poteſtatem venerit, nemo literis conſignavit; ſed habitâ rerum ac temporum ratione id ſuperiori anno 4. O. 106. contigiſſe certum videtur. Siquidem ille à regnandi exordio ad hujus Orationis annum, primum ſcilicet O. 107. in Theſſaliam non venit, niſi a. 4. O. 105, & 4. pariter O. 106. ſi Diodoro [z] fides habeatur, auxilium Theſſalis laturus contra Lycophronem, ac Thiſiphorum Pherarum Tyrannos, qui, ſuadente Thebe Sorore ſua, atque Alexandri, Pherarum pariter Tyranni, conjuge ipſum neci dederant, ſed capti dominandi libidine partum ſibi iniquis artibus Imperium, iniquioribus tuebantur. Cum autem in prima expeditione eos in fugam tantùm conjecerit, Urbes in libertatem vindicaverit; in altera verò cum Tyrannos, Phocenſibus conjunctos, magnoque agmine confligentes omnino deleverit, occiſis uno prælio ſex hoſtium millibus, tribus millibus captis, hoc tempore Pagaſas in ejus ditionem conceſſiſſe aut victoriæ præmio, aut Theſſalorum liberalitate, aut Victoris potentiâ, cui obniti nec fas, nec potis Civibus fuiſſet, minus abeſt à vero.

[8] Trierarchi, id eſt Navium gubernatores, Athenis quolibet anno cum reliquis Magiſtratibus conſtituebantur, ut jam diximus. Quamobrem cum repentina navigatio indicebatur, nequaquam in præſentia creabantur, indictis comitiis; decernebatur ſolum, quibus, quotiſque conſcendendum foret. Nau-

[z] *Diod.* lib. xvi.

tarum,

tarum, ac militum delectus primò ex Inquilinis, Libertiniſque fiebat, ut qui non naturâ, ſed civium benignitate Urbis & Regionis commodis fruebantur, primi incommoda ſuſtinerent. Libertini Romæ ut à ferendo ſuffragio, ita à militia excludebantur, niſi aliter neceſſitas cogeret, ut in bello Samnitico et Punico ſecundo, in quo *Libertinos etiam, quibus liberi eſſent & ætas militaris, in verba juraſſe*, Livius narrat. Athenis Concioni intereſſe nequibant, ſed Cives otio dediti libenter iis militiæ onera concedebant. Maximus fuit in ea Civitate ſervorum numerus; etenim ad quadringinta millia numerabantur, quamobrem facilè credi poteſt, magnum quoque fuiſſe Libertinorum. Cæterum iſthæc Demoſthenis verba χωρὶς οἰκετῶν de quonam alio hominum genere intelligi poſſunt, quàm de Libertinis, qui, à familia reliquiſque ſervis decedentes, ſeorſum habitabant? Nam qui eos denotari putat, qui *extra urbem degebant*, non ſatis vim græci verbi intelligere mihi videtur. Wolfius vertit, *Libertinos, qui ſuam ipſi rem familiarem adminiſtrant*; at cur non potius, ut ego, *qui ſeorſum habitant à familiis dimiſſi?*

[9] Philippus inteſtinis Eubœenſium diſcordiis non ſeſe immiſcuerat, quæ a. 3. O. 105. Inſulam labefactarunt. Pars enim altera ad ſibi opem ferendam Athenienſes vocavit, Thebanos altera, ut ſupra retulimus [a]. Brevi quoque compoſitæ ſunt. Hinc igitur occaſionem non habuit, ſuperbas haſce literas, quarum Demoſthenes meminit, iis conſcribendi. Putandum magis eſt, homines illos, utpote Athenienſium amicos, ac Socios, conqueſtos cum Rege fuiſſe de raptis navibus prope Geraſtum, de quibus n. 4. ſermonem fecimus, durumque reſponſum accepiſſe; aut eos aliquam ipſi Regi recèns moleſtiam exhibuiſſe, puta, in Theſſalico bello, quod modò profligaverat, aut ad Thermopylas cum Athenienſibus. Quippe Eubœenſes nuper Epiſtolam accepiſſe, eamque de

[a] *Diod.* lib. xvi.

recenti re datam fuiſſe, ex Orationis ſenſu colligitur.

Pag. 45. l. 18. ὥσπερ δὲ οἱ Βάρβαροι, &c. Lepidiſſima, et pulcherrima quidem comparatio, quæ mirificè ob oculos ponit parvas illas ſubitaſque expeditiones ad Pylas, in Cherſoneſum, Pydnam, Potidæam, aliaſque ſupra commemoratas, quæ ictus potius dolorem oſtenderant, quam ejus præveniendi voluntatem. Siquidem cauſa amovenda fuiſſet, unde ipſe dolor infligebatur.

Pag. 48. l. 5. Τῶν στρατηγῶν ἕκαστος δὶς ἢ τρὶς, &c. Athenienſium Imperatores, ut reliqui Magiſtratus, geſti muneris rationem reddere tenebantur. Idcirco dicebantur, ὑπεύθυνοι, *rationi reddendæ obnoxii*, qua lege ſumma Populi poteſtas, ac ſalus Reipublicæ continebatur. Ei tamen aliquando derogatum fuit, ut cum Ariſtidi commiſſa eſt Platæarum obſidio; Alcibiadi, Niciæ, Demoſtheni Syracuſanum bellum, ut eſt apud Plutarchum, Niciæ atque Alcibiadis geſta deſcribentem. Quum hujuſmodi auctoritate pollebant Imperatores, Ἀνυπεύθυνοι appellabantur, ſcilicet Suidæ teſtimonio ἀνυπεύθυνοι, *à ſubeundo rerum geſtarum Judicio immunes*. Patriam igitur repetentes, quicquid egiſſent, Magiſtratuum, aut Populi ſuffragiis ſubmittebant; ſæpius etiam veluti malè geſtæ Reipublicæ Rei deferebantur. Demoſthenes utrumque his verbis complectitur, eorumque Imperatorum imprudentiam deteſtatur, qui maluerunt Fori, quàm hoſtium periculis ſe exponere. Exempla non indicat, quippe Athenis notiſſima, ſæviſſimaque. Et nuper quidem, meminiſſe poterant, Iphicratem, ac Timotheum (de quibus nota prima Orationis de Claſſibus verba fecimus) Magiſtratu dejectos ac multatos exilio, pecuniâque, quod obortâ tempeſtate hoſtem claſſe invadere detrectaſſent [b]. Cui autem ignota eſſe poterat ſeveritas illa, qua, Patrum memoriâ, Plebs in eos Duces animadvertat, qui ad Arginuſas navali prælio Callicratidam Lacedæmonium

[b] *a. 1. O.* 106.

fuderant,

fuderant, maximâque victoriâ [c] potiti fuerant, quoniam furente procellâ Mortuorum ſuorum corpora, ut ſepulturæ traderent, nequaquam recuperare potuerint, potiùs quàm neglexerint. Quamobrem morte multati ſunt Thraſyllus, Calliades, Lyſias, Pericles, & Ariſtocrates; Ariſtogenes, & Protomachus fugâ neci ſe ſubtraxerunt. Rem diligentiſſimè narrant Xenophon, ac Diodorus [d], ideo quoque lectu dignam, ut hujuſmodi Judiciorum forma percipiatur. Nos à tranſcribendo loco abſtinemus, quippè nimiùm prolixo.

[c] *a.* 3. *O.* 93. [d] *Xenoph. de Reb. Græc.* lib. i. *Diod.* lib. xiii.

DE RHODIORUM LIBERTATE.

IN ARGUMENTUM.

[A] CHares ab Athenienſibus miſſus ad aſſerendam Reipublicæ Amphipolim, rem ipſis gratam ſe facturum exiſtimans, ſi Chios quoque, Cos, Rhodios in ejus poteſtatem redigeret, claſſe illuc profectus, id primùm tentare conatus eſt. Ii quamvis Reipublicæ Socii, ſed prorſus liberi, ad propulſandum periculum ſervitutis, malè Ducem habuerunt, communique adverſus Athenienſes fœdere, adſcitis etiam Byzantiis, Mauſolo Cariæ Regulo, aliiſque ſe conjunxerunt. Deliberatum eſt Athenis quid agendum. Extat diſertiſſima Iſocratis Oratio pacem ſuadentis, conceſſa iis populis libertate. Vicit autem ea ſententia, quæ armis eorum audaciam comprimendam dicebat [e]. Igitur Charetem iterum cum Chabria Claſſi præfecerunt, qui Chium progreſſi, urbemque, fœderatorum præſidio firmatam, Chares terrâ, Chabrias mari oppugnandam ceperunt; irrito tamen conatu, quin & Chabrias inito navali prælio, fractâque Prætoriâ, fortiter pugnans fluctibus abſorptus eſt [f]. Tres annos [g], haud quatuor, ut Diodorus ait, hoc bellum, quod Sociale nuncupatur, permanſit. Siquidem ejuſdem Sicilienſis teſtimonio magnis animis utrinque geſtum, & ad neutram partem inclinante fortunâ anno demum primo O. 106. finem habuit; cum Athenienſes ſibi ab Artaxerxe metuentes

[e] *Autor. argum. Iſocratis Orationis de pace.* [f] *Diod.* lib. xvi. *a.* 3. *O.* 105. [g] *Demoſth. Orat. de Cor.* [h] *Ulp. in Enar. Olymp.* 3.

pacem

pacem fecerint conceſſa libertate, pro qua Socii bello decertabant: ἐποιήσαντο εἰρήνην, ὥστε πάντας αὐτονόμους ἐᾶσαι τὺς συμμάχους, *pacem fecerunt eâ conditione, ut Socii ſuis legibus ſuaque uterentur libertate* [h]. Quæ poſtquam ita confecta ſunt, Βασιλέως γνώμῃ βοηθούσης Ἀρτεμισίας τοῖς καλὰ τὴν Ῥόδον ἐυπόροις, ἐπιθένται τῷ Δήμῳ οἱ δυνατοὶ, καὶ ἄρχουσι τῆς Ῥοδίων πόλεως οἱ τὰς ἴσας κεκλημένοι, *Perſarum Regis ſententiâ Rhodiorum divitibus auxiliante Artemiſia, Populum potentiores invadunt, atque Urbe potiuntur* [i]. Itaque Plebs oppreſſa opem Athenienſium implorat, cauſamque præbet locupletiſſimæ nervoſæque huic Orationi, qua Demoſthenes miro artificio Cives ſuos perſuadere conatur, ut bellum pro ea gente ſuſcipiant, à qua præcipuæ partes Socialis tumultus geſtæ ſunt, tantaſque ipſi injurias acceperant. Hanc a. 2. O. 107. habitam fuiſſe & Dionyſius [k] Halicarnaſſeus eſt autor, qui eam Demoſthenem dixiſſe affirmat Theello Athenis Prætore (hic autem Magiſtratum cepit Diodori [l] teſtimonio hoc ipſo an. ſecundo, ac Theſſalus appellatur; ſed unum, eundemque eſſe cum Theello in dubium revocari nequit, quia ſucceſſit Ariſtodemo in Magiſtratu, ut de ipſo Theello inquit Dionyſius) & ipſa temporis ratio ſuadet. Nam neque ultra adduci poteſt, cum hoc anno fato ceſſerit Artemiſia [m]; nec citra reduci, quippe Oratio ſermonem faciat de Artaxerxis in Ægyptum expeditione, ut de recenti re. Hanc verò, commodùm accidit, hoc pariter annò ſuſceptam fuiſſe, & initio quidem; cum verbis hiſce ab iſthac enarranda res geſtas ejuſdem anni Diodorus ſcribere incipiat: Καλὰ δὴ τὺς ὑποκειμένυς καιρὺς πάλιν ἐπολέμησε τοῖς Αἰγυπτίοις (ὁ Περσὼν βασιλεὺς) καὶ πράξεις ἀξιολόγυς κατεργασμένος, διὰ τῆς ἰδίας ἐνεργείας τὴν Αἴγυπτον ἀνεκτήσατο, καὶ Φοινίκην, καὶ Κύπρον. *Per hæc tempora rurſus (Perſarum Rex) bellum cum Ægyptiis geſſit, memorandaſque res fecit, ſuaque ſtrenuitate Ægyptum,*

[i] *Ulp. in Enarrat. hujus Orat. Ammæum.* [l] *Diod.* lib. xvi. [k] *Dionyſ. in Epiſt. ad* [m] *Diod. ibidem.*

Cyprum, Phæniciamque recepit [n]. Quæ rerum geſtarum tempora dum mihi in mentem venerunt cogitare, miratus equidem ſum, quî unquam potuerit iſthæc Oratio ſuo loco dimoveri, & poſt Olynthiacas, eamque de Claſſibus, cujus hic propemodum fit mentio, collocari.

[B] Rarò peſtis iſta ac labes Reipublicæ vel à benè moratis abfuit Civitatibus. Græciam quidem vehementiſſimè afflixit; nos quantùm paulò ante id temporis valuerit, non alio, cum multa ſuppeterent, comprobabimus teſtimonio, quàm Thucydidis [o]: ἕτως ὠμὴ ἔτασις (τῶν Κερκυραίων) προὐχώρησε, ᾗ ἔδοξε μᾶλλον, διότι ἐν τοῖς πρώτη ἐγένετο. Ἐπεὶ ὕστερόν γε ἡ πᾶν, ὡς εἰπεῖν, τὸ ἑλληνικὸν ἐκινήθη, διαφορῶν ὑσῶν ἑκασατῦ, τοῖς τε τῶν Δήμων προςάταις τὰς Ἀθηναίους ἐπάγεσθαι, ᾗ τοῖς ὀλίγοις τὰς Λακεδαιμονίους. *Ad hunc modum crudelis* (Corcyrenſium) *ſeditio graſſata eſt, viſaque ſævior, quòd prima fuerit. Nam deinceps Græcia omnis, ut ita dicam, tumultuata eſt, ubique obortis diſcordiis; actumque, ut Populorum voluntatis Moderatores Athenienſium opem accerſerent; optimates, Lacedæmoniorum.* Utrique ad eam Rempublicam confugientes, quæ ipſis cognatam Imperii formam tueretur. Rhodi verò inteſtinum iſtud diſſidii malum jamdiu emerſerat, utroque Civium ordine, Plebis, atque Optimatium ſibi invicem adverſante. Quamobrem & an. 1. O. 96. Patritios Plebe ſuperante, Athenienſes in urbe recepti ſunt, ejectis Lacedæmoniis; & a. 2. O. 97. validiores Optimates vicem Athenienſibus reddiderunt, iiſdem Lacedæmoniis revocatis [p]. Nuper denique Civitas ad ingenium rediit, excitato tumultu, quem in Orationis argumento explicuimus.

[C] Artemiſia Cariæ Regina, Mauſoli Regis & Soror, & conjux, biennio Imperium tenuit poſt Viri mortem, ὑπὸ ᾧ τὰς αὐλὰς ποιεῖς, Μαύσωλος ὁ Καρίας δυνάσης ἐτελεύτησεν, ἄρξας ἔτη εἰκοσιδύο καὶ. Τῷ ᾧ ἀρχὴν διαδεξαμένη Ἀρτεμισία ἡ ἀδελφὴ, ᾗ γυνὴ, ἐδυνάσευσεν ἔτη

[n] *Ibidem.* [o] *Thucyd.* lib. iii. [p] *Diod.* lib. iv.

δύο

δύο. *Per hæc tempora Mausolus Cariæ Dynaſtes fato functus eſt, cum regnaſſet quatuor ac viginti annos. Imperium ſuſcepit Artemiſia ejus conjux, ac Soror, tenuitque annos duos*, atque hoc a. 2. O. 107. è vivis erepta eſt [q]. Tanto viri ſui amore conflagravit, ut ejus leniendo deſiderio magnificentiſſimum illi ſepulchrum excitaverit, quod inter ſeptem Orbis miracula computatur, & unde ſplendidiores tumuli, ut Romæ Buſtum Auguſti, Mauſolea nuncupata ſunt [r]. Mos, à naturâ quidem abhorrens, erat in Caria, ut Reges in matrimonium germanam Sororem ducerent, cum vellet ea gens non alium ſibi Regem dominari, quàm qui ſolo Regum ſuorum ſanguine procreatus foret. Hinc ortum habuit Græcorum fabula de Junone Jovis conjuge, ac Sorore, qua tamen Philoſophi ætheris atque aëris cognationem ſignificare voluerunt.

[D] Nunquam Athenienſibus memoriâ exciderunt Tyranni, qui populo oppreſſo urbi ſuæ imperaverant, & hac ſervitutis recordatione non ſolùm ſibi perpetuò cavebant, ne ſtatus popularis diſſolveretur, ſed urbes omnes Imperio ſuo audientes, aut ſibi Socias eâdem gubernari Reipublicæ formâ voluerunt. Hinc ante bellum Peloponneſiacum hanc Megaræ formam retinere ſtuduerunt, & Sami aliiſque in locis conſtituerunt [f]. Contra verò cum triginta Tyranni Athenis dominarentur, non ſatis proviſum ſecuritati ſuæ fore putarunt, niſi è Sociis Civitatibus Democratia prorſus abjiceretur. Quocirca Piſandro, & Diotrephi, mandarunt, ut negotium conficerent: ἢ εἴρητο αὐτοῖς, τῶν ὑπηκόων πόλεων, αἷς ἂν προσίσχωσι, ὀλιγαρχίαν καθεσ͂άναι &c. Οἱ δ' ἀμφὶ τὸν Πείσανδρον παραπλέοντές τε, ὥσπερ ἐδέδοκτο, τὰς δήμους ἐν ταῖς πόλεσι καθέλυον. *Mandatumque ipſis eſt, ut in ſubjectis Urbibus, ad quas appuliſſent, Paucorum Imperium conſtituerent &c. Quare Piſander, ejuſque Collegæ circumnavigantes, ut ſibi imperatum fuerat, Populo autoritatem in Oppidis ademerunt* [t]. Adeo

[q] *Diod.* lib. xv. *Max.* lib. iv. c. 6. [r] *Cic.* iii. *Tuſc. Pauſ. in Arcad. Val.* [f] *Thucyd. a.* 1. [t] *Thucyd.* lib. viii.

hac unâ præſertim re alterutra Reipublicæ forma ſtare poſſe videbatur.

IN ORATIONEM.

[2] MEritò huic Demoſthenis loco aliquid videtur ineſſe difficultatis. Quid enim? Nonne, cuicumque fas erat adeſſe Concioni, erat & concionandi? Ita ſanè probavimus ſub nota [B] Orat. de Claſſibus. Non enim arbitror quemquam eſſe, qui ſuſpicetur Demoſthenem velle, ut iis quoque jus orandi concedatur, qui lege Solonis excludebantur; ſcilicet, ut eſt in Attico jure, & apud Æſchinem [a] legitur: ἐκ ἀπελαύνει (ὁ Σόλων) ἀπὸ τῦ βήματος, εἴτις μὴ προγόνων ἐξ̓ν ἐστρατηγηκότων υἱός. Οὐδὲ εἰ τέχνῃ τινὰ ἐργάζεται, ἐπιχειρῶν τῇ ἀναγκαίᾳ τροφῇ. Αλλὰ τὴ τύτυς τὴ μάλιστα ἀπαράζειλαι, τὴ διὰ τῦτο πολλάκις ἐπερωτᾷ, τὶς ἀγορέυειν βέλεται; Τίνας δ̓ ἐκ ἄετο δεῖν λέγειν; τὺς αἰσχρὺς βεβιωκότας. Τέτυς ἐκ ἐᾷ δημηγορεῖν. Καὶ πῦ τῦτο δηλοῖ; δοκιμασίᾳ φησὶ ῥητόρων. Αν τις λέγει ἐν τῷ Δήμῳ, τὸν παῖερα τύπτων, ἢ τὴν μητέρα, ἢ μὴ τρέφων, ἢ μὴ παρέχων οἴκησιν &c. Εἰ τὰς στρατείας φησὶ μὴ ἐστρατευμένος, ὅσαι ἂν αὐτῷ προσαχθῶσι, ἢ τὴν ἀσπίδα ἀποβεβληκὼς &c. Εἰ πεπορνευμένος, ἢ ἑταιρηκὼς &c. Εἰ τὰ πατρῷα καταδηδοκὼς, ἢ ὧν ἂν κληρονόμος γένηται. *Non expellit* (Solon) *à ſuggeſtu, ſi quis è Ducum genere non ſit, aut ſi artem exerceat neceſſarii victus causâ. Quin hos vehementer ampiectitur, ob eoſque ſæpius interrogat, quis concionari vult? Quos autem putat publicè dicendi jure privandos eſſe? Qui turpem vitam vixerunt. Hos non ſinit verba ad Populum facere. Ubi verò id oſtendit? ubi de Oratorum agit inquiſitione. Si quis, inquit, in Concione dicat, qui Patrem, aut Matrem verberaverit, non aluerit, Domum non exhibuerit. Si quis, cum juſſus fuerit, arma ferre detrectaverit, aut clypeum abjecerit. Si quis meretricium quæſtum fecerit,*

[a] *Æſch. in Orat. contra Timar.*

& ſe proſtituerit. Si quis paterna, aut hæreditaria bona voraverit. Ab iſtis perditâ re aut famâ viris dari conſilium, aut accipi quis unquam credat Demoſthenem hoc loco voluiſſe? Cur igitur omnibus è ſuperiori loco dicendi facultatem deprecatur, ſi lege cunctis dicere permittebatur? Proëdrorum jus erat, ut diximus [w], Concioni proponere, qua de re ſuffragia ineunda forent, ac ſuggeſtui præſidere. Sæpiùs autem contingebat, ut malitiâ, vel ad evitandos tumultus, aliquem à dicendo prohiberent. Hujuſce illorum auctoritatis teſtimonium affero probatiſſimum, Æſchinem [x], qui, cum Athenienſes de ſancienda cum Philippo pace deliberarent, ait in ſecunda Concione ſe ab orando impeditum: λόγων γὰρ μὴ προειρημένων εἰς τὴν ὑστέραν ἐκκλησίαν, τῶν δὲ Προέδρων κωλυόντων, οὐκ ἐνῆν εἰπεῖν. *Cum in ſecunda Concione Orationes non permitterentur, eaſque Proëdri prohiberent, verba facere non licuit.* Idemque repetit initio Orat. contra Cteſiph. Sæpius vi quoque ſuggeſtus occupabatur, ne quis illum invitis occupantibus poſſet conſcendere, ut ex Thucydide [y] habemus, qui, cum Athenis de Syracuſana illa expeditione conſuleretur, ſic actum narrat: Τῶν δὲ ῥητόρων εἷς ἀναστὰς ἄλλον μὲν οὐδένα ἔτι εἴασε παρελθεῖν, αὐτὸς δὲ πρὸς τὰ παρόντα ἔλεξε τοιάδε. *Ducum unus conſurgens, alium neminem permiſit ad dicendum accedere, ipſe verò in rem præſentem hoc pacto loquutus eſt.* Demoſtheni facinus idem objurgat Æſchines [z]. Νὺξ ἐν μέσῳ, ἡ παρῆμεν τῇ ὑστεραίᾳ εἰς τὴν Ἐκκλησίαν. Ἐνταῦθα δὴ προκαταλαμβάνων Δημοσθένης τὸ βῆμα, οὐδενὶ τῶν ἄλλων παραλιπὼν λόγον &c. *Nox interjecta eſt; poſtridie in Concionem venimus. Ibi Demoſthenes, præoccupato ſuggeſtu, aliorum neminem loqui permiſit.* Quæ cum ita ſe habeant, patet, quid hoc Orationis loco Demoſthenes ſibi velit.

[F] Chios Ionum inſula [a] cum Urbe cognomine, quæ à Strabone [b] ita deſcribitur: ἡ δὲ Χίος τὸν μὲν περί-

[w] *n.* 5. *Orat. primæ contra Philip.* [x] *Æſch. Orat. de falſa legat.* [y] *Thucyd.* lib. vi. [z] *Æſch. contra Cteſiph.*
[a] *Pauſ. in Arch. Herod.* lib. ii.

πλουν

πλην ἐπὶ σταδίων ἐννακοσίων παρὰ γῆν φερομένῳ. Πόλιν δ' ἔχει εὐλίμενον, καὶ ναυσταθμὸν ὀγδοήκοντα. *Chii ambitus ſtadiorum eſt nongentorum, ſi quis Inſulam prope terram circumnaviget. Urbem habet cum optimo portu, in quo ſtatio navium octoginta.* Ejus vina laudat Horatius [c]:

Capaciores affer huc per Scyphos,
Et Chia vina, aut Leſbia.

Ficus Martialis, marmora Plinius [d]. Sic dicta vel à Chio Oceani filia, vel à Nympha Chione, vel è nivium frequentiâ, quæ græcè Χιὼν appellatur. Eam græcarum urbium ditiſſimam vocat Alcibiades, [e] Πλουσιώτατοι ὄντες τῶν Ἑλλήνων, *Chii Græcorum omnium locupletiſſimi.* Ante Perſicum Xerxis bellum Ionum fortuna ſequuta eſt, modò a Perſis rebellans, modò victa. Deinde cum tot reliquis Inſulis, ut jampridem retulimus, jure Societatis ad Athenienſes acceſſit, quo jure manebat anno Peloponneſiaci belli decimo nono, 2. O. 91. ut à Thucydide certiores reddimur. Deſcribens enim quas Athenienſes accepiſſent à Sociis auxiliares Copias ad ſæpius memoratam Syracuſanam expeditionem, inquit: Τούτων Χῖοι καὶ ὑπόλεκτοι ὄντες φόρου, ναῦς τε παρέχοντες, αὐτόνομοι ξυνέπονντο. *Ex iſtis* (Sociis) *Chii ſunt à tributo immunes, exhibitiſque navibus* (quas debent) *cætera liberi, Athenienſium partes ſequuntur.* Rurſus autem, profligatis eorumdem Athenienſium viribus in Syracuſarum portu, Chii Lacedæmoniorum amicitiam prætulerunt, quam illi injuriam vindicaturi diuturna obſidione a. 2. O. 92. urbem cinxerunt. Verùm oppreſsâ à Lacedæmoniis Athenienſium Republicâ, & ad ſtatum Paucorum [f] redactâ, factionibus quoque dilaceratâ, qui obſidionem urgebant, ſibi providere coacti ſunt. Manſit igitur in eorundem

[b] *Strabo* lib. xiii. [c] *Hor. Epod.* ix. [d] *Mart.* lib. ii. *Epig.* 24. *Plut.* lib. v. c. 31. [e] *Thucyd.* lib. viii. [f] *Thucyd.* lib. viii.

Lacedæmoniorum Societate, ſuamque libertatem confirmavit eò magis, cum an 2. O. 98. Græcorum diſſidia compoſita ſunt hàc inter alias conditione: Ἀρταξέρξης Βασιλεὺς νομίζει δίκαιον, τὰς μὲν ἐν τῇ Ασίᾳ πόλεις, ἑαυτῷ εἶναι, καὶ τῶν νήσων Κλαζομένας, καὶ Κύπρον. Τὰς δὲ ἄλλας ἑλληνίδας πόλεις, καὶ μικρὰς, καὶ μεγάλας αὐτονόμους ἀφεῖναι, πλὴν Λήμνου, καὶ Ἰμβρου, καὶ Σκίρου. Ταύτας δὲ, ὥσπερ τὸ ἀρχαῖον, εἶναι Αθηναίων. *Rex Artaxerxes æquum putat, Urbes omnes in Aſia, ſuas eſſe; Inſularum verò, Clazomenas, & Cyprum. Reliquas græcas urbes parvas, & magnas liberas dimitti, præter Lemnum, Imbrum, & Scirum, quæ, ut ab initio, Athenienſium ſint* [g]. Denique Chiis ea evenerunt, quæ Sociali bello occaſionem dediſſe narravimus. Hæc de Chio dicta ſufficiant; Nunc *Scio* vocatur, nobilis Inſula, quam nondum barbaries infuſcavit.

[c] Byzantium Thraciæ urbs, à primis uſque temporibus munitiſſima, quam Dion in Severo deſcribit, ad Boſphorum ſita. De ipſa ſciſcitantibus Megarenſibus Oraculum reſpondit:

Ὄλβιοι, οἱ κείνην πόλιν ἀνέρες οἰκήσουσιν
Ακτῆς Θρηϊκίης ὑγρὸν παρ' ἄκρον σῶμα πόντου.
Ἔνθ' ἰχθῦς ἔλαφός τε νομὸν βόσκουσι τὸν αὐτόν.
Beati homines, qui Urbem illam habitabunt
Litoris Thracii, ad humidum ſummum os Ponti poſitam.
Hìc piſcis & Cervus eodem paſcuntur paſtu.

Amœniſſimo & aptiſſimo ſitu ad Orbis terrarum moderationem, quapropter à Conſtantino illuc ſedes Imperii tranſlata eſt, è ſuoque nomine Conſtantinopolis nuncupata. Hæc pariter principum Græciæ urbium Spartæ atque Athenarum fortunam, ut ferè maritimæ quæque Civitates, ſequuta eſt, utriuſque Societatem præſidiumque per vices complexa. Statim poſt Medicum bellum eam Pauſanias Lacedæmoniorum Rex occupavit [h]. Sed cum Spartam re-

[g] *Xenoph. de reb. Græc.* lib. v. *Diod.* lib. xv. [h] *a.* 2. *O.* 75. *Thucyd.* lib. i.

greſſus,

greſſus, ſeque purgaſſet de proditionis crimine, cujus meritò quidem accuſatus fuerat, illud iterum Perſarum ope facturus, Byzantium repeteret, ab Athenienſibus, qui prius in Urbem recepti fuerant, excluditur [i]. Deinde anno vigeſimo primo Peloponneſiaci belli, cum undique Athenienſium maxima fieret inclinatio rerum, Byzantium quoque ad Lacedæmonios acceſſit [k]. Sic enim rem narrat Thucydides; *αἱ δὲ μεῖαι Ἑλίξῳ τῷ Μεγαρέως ϛρατηγῷ δέκα (νῆες τῶν Πελοποννησίων) ἐς τὸν Ἑλλήϛποντον διασωθεῖσαι, Βυζάντιον ἀφιϛᾶσι. Quæ verò* (Peloponnenſium naves) *decem cum Elixo Megarenſi in Helieſpontum evaſerant, Byzantium in defectionem traxerunt* [l]. Denique ab Alcibiade, quem ſibi ſui Cives reconciliaverant, obſeſſa, in Athenienſium poteſtatem rediit nonnullorum proditorum arte [m], qui *νυκτὸς ἀνοίξαντες τὰς πύλας τὰς ἐπὶ τὸ Θρᾴκιον καλεμένας, εἰσήγαγον τὸ ϛράτευμα, καὶ τὸν Αλκιβιάδην. Ὁ δὲ Ἕλιξος, καὶ ὁ Κοιρατάδης, ὡδὲ τούτων εἰδότες, ἐβοήθουν μετὰ πάντων ἐς τὴν ἀγοράν. Επεὶ δὲ πάντη οἱ πολέμιοι καθεῖχον ὡδὲν ἔχοντες ὅ,τι ποιήσωσιν, παρέδοσαν σφᾶς αὐτούς, καὶ ὅτι μὲν ἀπεπέμφθησαν εἰς Αθήνας. Noctu aperientes Urbis portas, Thracias nuncupatas, introduxerunt exercitum cum Alcibiade. Helixus autem, & Cœratades* (Lacedæmoniorum duces) *ejus, quod geſtum fuerat, haud conſcii, in Forum venerunt opitulatum. Sed cum omnia hoſtes tenerent, nec ipſi haberent, quid agere poſſent, ſe dediderunt, atque Athenas tranſmiſſi ſunt,* ut verbis hiſce Xenophon ſcribit [n]. Pacis conditione, quæ pax ab Antalcida nuncupatur, Byzantium quoque ſuam prorſus libertatem obtinuit [o], donec a. 4. O. 109. à Philippo armis petitum, & ab Athenienſibus, aliiſque Græcis defenſum fuit, qua de re ſuo loco dicemus.

[G] Rhodus Inſula prope Aſiam, quam Ptolomæus [p] Icariam inter ac Lyciam collocat, quatuor

[i] *a.* 4. *ejuſd. Olyn. Thucyd. ibid.* [k] *a.* 3. *O.* 92. [l] *Thucyd.* lib. viii. [m] *a.* 1. *O.* 93. [n] *Xenoph. de reb. Græc.* lib. i. *Diod.* lib. xiii. [o] *a.* 2. *O.* 98. [p] *Ptol. Græc.* lib. v. c. 2. & c. 31.

habuit

habuit illuſtres urbes, Lindum, Camirum, Ialyſum, & Rhodum, in quam major Civium pars ex aliis tribus commigravit [q] a. 1. O. 97. Prius diverſis nominibus vocata fuit Ὀφίουσα, Σλάδια, Τέλλινες [r]. Clara centum Coloſſis, quorum maximus ille inter ſeptem Orbis miracula connumeratus; at magis re nautica, qua viguit uſque ad extrema Romanæ Reipublicæ tempora. Maximum Civitas periculum adiit ab inundatione, quæ ſanè res memoratu digna. Sub initium Veris [s] tanti de Cœlo deciderunt imbres, tantaque libralis grando, ut brevi in molem ingentem excreverint aquæ, quæ cum omnes ex urbe in Theatri formam extructâ ad mare defluerent, & caſu obſtructa limo forent emiſſaria, primò ſtagnare, inundare deinde humiliora loca, paulatim denique altiora tegere, adeo ut Civium aliqui ad naves fugerint, alii in editiores aras & tecta domorum aſcenderint, omnes in vitæ periculo verſarentur, nonnulli obierent, diruente domos ipſas aquarum mole, & ni denique Urbis muri tanto ponderi ſuſtinendo impares aliquâ ex parte corruiſſent, atque inde vis aquarum ſeſe in mare effudiſſet, actum de pleriſque Civibus, & de nobiliſſima foret Civitate. De Rhodi fortuna jam aliqua diximus Nota [B.] Nunc ſolùm, quoad hujuſmodi argumentum attinet, addimus, in commovendo conficiendoque Sociali bello Rhodios primas partes habuiſſe, eamque ob rem iis præcipuè infenſos iratoſque fuiſſe Athenienſes, ut eſt apud Ulpianum [t]: Εἰ δέ τις ἄλλος Ἀθηναίοις ἐλύπησεν ἐν τῷ συμμαχικῷ πολέμῳ, ἢ τιλὼ ἀπόστασιν εἰργάσατο, μᾶλλον πέφυκεν ὁ τῶν Ροδίων Δῆμος. Διόπερ πρὸς αὐλὸς ἔοικε χαλεπαίνειν ἐξαιρέτως ἡ πόλις. *Si verò quis alius Sociali in bello moleſtiam Athenienſibus exhibuit, ac defectionem molitus eſt, is præſertim fuit Rhodiorum Populus. Quapropter vehementiùs in ipſis difficilior extitit Reſpublica.* Verùm de his hactenus.

[q] *Diod.* lib. xiii. [r] *Strabo*, lib. xiv. [s] *a.* 1. *O.* 116. *Diod.* lib. xix. [t] *Ulp. in Enar. hujus Orat.*

[1] Mau-

[I] Mausolus Artemisiæ pridem laudatæ frater, ac Vir Cariam tenuit hæreditario, ac fiduciario, quod vulgus feudale vocat, jure à Rege Persarum. Imperavit annos viginti quatuor, vitaque excessit a. 4. O. 106 [u]. Tanta illi fuit pecuniæ fames, ut Theopompus apud Suidam omni eum facinore inquinatum dicat propter auri cupiditatem; aliqua Aristoteles refert lib. 2. Œconomic. Hunc Demosthenes belli Socialis labellum vocat; opem Fœderatis tulisse Diodorus [w] memorat: ὅτι ἡ (Χάρης καὶ Χάβριας Ἀθηναῖοι) πλεύσαντες ἐπὶ τὴν Χίον, καὶ λαβὸν παραγεγονότας συμμάχους τοῖς Χίοις παρὰ Βυζαντίων, καὶ Ῥοδίων, καὶ Κώων, ἔτι δὲ Μαυσώλου τοῦ Καρῶν δυνάστου. *Hi verò* (Chares Chabriasque Athenienses) *in Chium Classe profecti compererunt adesse Chiis auxiliares Copias à Byzantiis, Rhodiis, Cois, ac præterea à Mausolo Cariæ dynaste.* Ex hoc Oratoris loco certum videtur, Rhodi ab Optimatibus consilia de novandis rebus agitata fuisse duobus minimùm annis ante istud Orationis tempus, cum adhuc scilicet Mausolus viveret. At qui fieri potuit, ut Plebs tamdiu conticuerit, cum præsertim si confugere ad Atheniensis decreverat, nihil esset, quod ei petendi auxilii, istis mittendi, moram afferret? Puto quidem, Mausoli tempore seditionem nequaquam commotam, sed solùm animo volutatam, ejusque incensam consilio; proinde Orator ait, ipsum dumtaxat *hanc pestem molitum fuisse*, quæ caput deinde extulit Artemisiæ viribus fulta.

[K] Cur autem Chii, & Byzantii, qui cum Rhodiis amicitiæ vinculis obstrigebantur, nullâ eos ope sublevarunt? Opinor, Artemisiæ metu; nam quod ad statum Reipublicæ pertinet, Chii populi autoritate moderabantur, ut infra è Demosthene patet; quare in rem ipsorum potius fuisset, Rhodiam plebem jacentem erigere, ac labantem sustinere.

[L] Hoc a. 2. O. 107. ut aliàs admonuimus, Ochus cognomento Artaxerxes bellum jampridem sus-

[u] *Diod.* lib. xvi. [w] *Diod. ibidem.*

ceptum

ceptum adverſus Nectanebum Ægypti Regem vehementius inſtauravit, ſimulque in Phœnices expeditionem fecit, qui nuper ab ipſo defecerant, collectis trecentis Peditum, triginta Equitum millibus, trecentiſque triremibus. Statim utraque pars Græcorum auxilia, propter ſtrenuitatis famam, qua gens iſta efferebatur, mercede comparare ſibi ſtuduit: ὁ δὲ Βασιλεὺς, ſunt Diodori verba[x], ἐν μεγάλῳ τιθέμενος τὸ κρατῆσαι τῆς Αἰγύπτου, διὰ τὸ πρότερον ἐλάττωμα, πρεσβείας ἀπέστειλε πρὸς τὰς μεγίστας τῶν καθ' ὅλην Ἑλλάδα πόλεων, ἀξιῶν συστρατεῦσαι τοῖς Πέρσαις ἐπ' Αἰγυπτίους. Ἀθηναῖοι μὲν οὖν, καὶ Λακεδαιμόνιοι τὴν φιλίαν ἔφασαν τὴν πρὸς Πέρσας τηρεῖν, συμμαχίαν δὲ οὐκ ἐξέλλειν ἀντεῖπον. *Rex autem* (qua voce nullo adjecto Nationis nomine Perſarum Rex, utpote omnium maximus, intelligebatur) *Magni faciens Ægyptum vi perdomare propter illic detrimentum acceptum, Legatos miſit ad maximas Græciæ Civitates, rogatum, ut arma ſecum capiant adverſus Ægyptios. Athenienſes igitur ac Lacedæmonii Reſponſum dederunt, ſeſe Perſarum amicitiam tueri velle; negarunt autem auxiliares ei Copias ſubmittere.* At contra ſuppetias ierant Nectanebo, quod & apertè dicit hoc loco Demoſthenes, & ex Diodoro colligitur. Scribit enim: Τέννης ὁ τῆς Σιδῶνος Βασιλεὺς προσελάβετο παρ' Αἰγυπτίων τρισχιλίους μισθοφόρους Ἑλληνας τετρακισχιλίους, ὧν ἦν στρατηγὸς Μέντωρ ὁ Ῥόδιος. *Tennes Sidonis Rex ab Ægyptiis accepit Mercenariorum militum Græcorum quatuor millia, quibus præerat Mentor Rhodius.* Quantas itaque Copias Nectanebum collegiſſe è Græcia putandum eſt, cum millia quatuor Sidoniis conceſſerit? Quas quidem Copias majori ex parte fuiſſe Athenienſium hinc non leviter conjectari poteſt, quod hi rectè perpendentes acceptas à Perſis injurias, maximaque ab iiſdem obita diſcrimina, ſemper Ægyptiorum Regibus opitulati fuerint, unde plurimùm Perſarum potentiam frangi poſſe reputabant, ut in Orat. de Claſſe admonuimus. Proinde libenter nunc pa-

[x] *Diod.* lib. xvi,

riter

riter morem cum Nectanebo tenuiſſe nemo facile inficias ibit.

[M] Rem à nemine literis traditam, utpote quam nihil Poſterorum intereſſet ignorari, Demoſthenes narrat. Tempus tamen, quo geſta fuerit, aliaque ad eam pertinentia in medium afferam. Primum igitur Timotheum cum Athenienſium Cohortibus ad Ariobarzanem miſſum a. 2. O. 104. nullus dubito, aut initio a. 3. quippe hoc eodem anno ab Artaxerxe deſcivit ille cum aliis oræ maritimæ Satrapis, ac Mauſolo Cariæ Regulo, Ægyptiorumque Rege Tacho; ſcribit autem Demoſthenes ipſum Ariobarzanem à Timotheo repertum rebellem Regi; quare id Athenis ignotum fuerat, cum inde auxiliares Copiæ ſolverunt. Nec puto à vero me diſceſſurum, ſi dicam, ideo ſolùm illas fuiſſe ab Athenienſibus Satrapæ expeditas, ut ei Phrygiæ Imperium confirmarent, quod, mortuo Mithridate, ſuâ, non Regis autoritate, ut par fuiſſet, ſuſceperat, quam ſibi demum non defuturam fortè Athenienſibus ſcripſerat; Proinde Timotheo mandatum fuerat, ut opem ferret, nullâ tamen Regis injuriâ, cum quo ab ann. 2. Ol. 101. pacem fecerant, ut ſæpius admonuimus. Non paruit Timotheus Reipublicæ Imperio, quo Ariobarzani debuiſſet opitulari; Sed potius factâ in Samum deſcenſione, vi Cyprothemidem ex urbe ejecit, eamque reſtituit in libertatem. Idque non temerè, neque inconſultè. Nam Samum, quæ Athenienſium fuerat, & memoratæ pacis conditione libera evaſerat, injuſtè Cyprothemides ac Tigranes Regis Præfectus uſurpaverant, veluti opportunam ad bellum cum Maritimis Satrapis gerendum; & nimiùm Athenienſium intererat, eam Inſulam, unde facilè in Græciam navigari poterat, ſi non ſuam, ſaltem Regis haud fore. De Ariobarzane, quæ dixi, teſtimonium habeo Diodorum [y]: ὑπὸ γὰρ τὸν αὐτὸν καιρὸν ἔδει (τῷ Βασιλεῖ) πρὸς τὸν τῶν Αἰγυπτίων Βασιλέα πολεμεῖν, ἢ πρὸς τὰς καλὰ τῆ

[y] *Diod.* lib. xv.

Ασίαν

Ασίαν ἑλληνίδας πόλεις, καὶ Λακεδαιμονίους, καὶ τοὺς τούτων συμμάχους Σατράπας, καὶ στρατηγοὺς, τοὺς ἄρχοντας μὲν τῶν παραθαλαττίων τόπων, σωτεθειμένους δὲ κοινοπραγίαν. Ὧν ἦσαν ἐπιφανέστατοι Ἀριοβαρζάνης μὲν, ὁ τῆς Φρυγίας Σατράπης, ὃς καὶ Μιθριδάτου τελευτήσαντος τῆς τούτου Βασιλείας κεκρατηκὼς ἦν, καὶ Μαύσωλος &c. *Sub idem tempus* (Regi) *opus fuit, bellum inferre Ægyptiorum Regi, Asiaticis Græcis Urbibus, Lacedæmoniis, Satrapisque, ac Ducibus, qui oræ maritimæ imperabant, inieratque cum iisdem Lacedæmoniis belli Societatem. Horum clarissimi erant, Ariobarzanes, Phrygiæ Satrapes, qui, mortuo Mithridate, hujus Regnum sibi asseruerat, & Mausolus &c.* Hunc Ariobarzanem certum mihi est eum esse, qui Maritimam Præfecturam prope Phrygiam tenebat, cum laudata nuper Antalcidæ pax confecta est, an. 2. scilicet O. 101. Ex hac enim Præfectura, utpote Hellesponto proxima, ubi ipse Antalcida Thrasibuli Athenienſis classem fregerat, citò se illi naves aliquot adjunxisse Xenophon scribit: Επεὶ δὲ ἦλθον αὐτοῖς αὖτε ἐκ Συρακουσῶν νῆες εἴκοσιν, ἦλθον δὲ καὶ ἀπὸ Ἰωνίας, ὅσων ἐγκρατὴς ἦν Τερίβαζος, ξυνεπληρώθησαν δὲ καὶ ἐκ τῆς Ἀριοβαρζάνους. Καὶ γὰρ ἦν ξένος ἐκ παλαιοῦ τῷ Ἀριοβαρζάνει. *Deinde ipsis* (Lacedæmoniis) *advenerunt viginti Syracusis Naves; quin & ab Ionia quotquot sub Teribazi erant Imperio; ornatæ ductæque sunt aliæ ab Ariobarzanis Præfectura; quippe cujus erat vetus hospes Antalcida.* (Hunc locum quàm perperam conversum vidi à Bilibaldo Pirelzhemero, quod pace eruditi viri dictum sit) Ariobarzanem denique Civitate ab Athenienſibus donatum Demosthenes [z] his verbis memoriæ prodit: ὑμεῖς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἐποιήσασθε ἔν τισι καιροῖς, καὶ χρόνοις Ἀριοβαρζάνην πολιτὴν, καὶ δι' ἐκεῖνον, Φιλίσκον. *Vos* (Athenienſes) *aliquando certis de causis Civem vestrum fecistis Ariobarzanem, & hujus grátiâ Philiscum.* Opinor autem id circa a. 4. O. 102. gestum fuisse, quo anno Philiscum Artaxerxes in Græciam miserat, ut populorum dissidia, quæ post laudatam Antalcidæ pacem exarserant, compo-

[z] *Demosth. in Orat. adv. Aristocrat.*

laborare, quamvis in extremum ſervitutis adducta. Quamobrem nonniſi calamitatibus eruditi, ut reliqui id genus homines, prudentiam, ut ait Orator, edoceri potuiſſent.

[T] Dum hæc proferebat Orator, puto ſibi ante oculos propoſuiſſe factas in Corinthios, ac præcipuè in Syracuſanos expeditiones. Utraque enim iſtorum Reſpublica populari Imperio detinebatur. Pro finibus autem & Regionis parte cum Corinthiis Athenæ decertarunt; Pro aliquorum querelis & æmulatione cum Syracuſanis. Utroſque verò populari auctoritate adminiſtratos certum eſt, quando vis abfuit. Nos rei notiſſimæ unum dumtaxat, aut alterum teſtimonium afferimus. Peloponneſiacas Civitates, ſæpius memoratæ ab Antalcida pacis conditione, à Paucorum ſtatu ad priſtinum popularem reſtitutas, quas inter Corinthum, Diodorus [e] monet. Poſt primam acceptam cladem in Sicilia pœnituiſſe Athenienſes illati iis urbibus belli, δημοκρατουμένους ὥσπερ αὐτοὺς, *à populo adminiſtratis eodem modo, quo ipſi*, Thucydides eſt autor [f].

[V] Bœotos & Megarenſes intelligit ſub Optimatium Imperio degentes [g], quibuſcum tot bella geſſerunt Athenienſes. Sed præſertim Lacedæmonios indicat, qui, nonniſi captis Athenis, mutatoque ſtatu Reipublicæ, finem Peloponneſiaco bello dederunt, quod ſanè pro forma Civitatis ac libertate perfectum eſt. Nam victi Athenienſes, Lyſandro Lacedæmonio urgente, triginta Viris adminiſtrandam Rempublicam dare coacti ſunt [h]. Quippe de ſtatu Civitatis altercantibus Civibus Lyſander advenit, & cum centum triremibus Piræum ingreſſus, συναγαγὼν ἐκκλησίαν συνεβούλευσε τοῖς Ἀθηναίοις ἐλέσθαι τετρακοσίους ἄνδρας τοὺς ἀφηγησομένους τῆς πολιτείας, ἣ πάντα διοικήσουσι τὰ καλὰ τῇ πόλει &c. Διόπερ ὅ,τε Θηραμένης, ἣ ὁ Δῆμος καταπλαγεὶς ἀναγκάζετο χειροτονίᾳ καταλῦ-

[e] *Diod.* lib. xv. *a.* 2. *O.* 101. [f] *Thucyd.* lib. vii.
[g] *Ibidem*, lib. v. [h] *a.* 1. *O.* 94.

σας

σαι τὴν δημοκρατίαν. Ἡρέθησαν δὲ τριάκοντα ἄνδρες, οἳ διοικήσοντες τὰ κοινὰ τῆς πόλεως, ἀριμόζοντες μὲν τῷ λόγῳ, τύραννοι δὲ τοῖς πράγμασι: *Congregatâ concione Conſilium dedit Athenienſibus eligendi viros triginta, Reipublicæ ſummo cum Imperio præfecturos, publicaſque res adminiſtraturos. Quapropter Theramenes, ac Populus,* qui huic Sententiæ adverſabantur, *metu perculſi delere decreto ſuo popularem ſtatum opus habuerunt. Igitur creati ſunt triginta viri, apud quos ſumma foret Reipublicæ hujus quidem, verbo, moderatores; re, Tyranni* [i], quorum nomina Xenophon [k] cum ipſa re geſtâ literis mandavit.

[x] Mitylene Urbs maxima in Leſbo inſula, naturæ atque artis ingenio conſpicua, duplici Portu prædita, altero ad Auſtrum vergente, qui triremibus claudebatur; altero ad Boream lato, & profundo. Utrumque parva inſula oppoſitu laterum muniebat, eaque Euripo à reliqua Civitate diviſa, ejus tamen partem conſtituebat [l]. Nomen habuit vel à Mitylene Macaris, vel Pelopis filia, vel à Mityle conditore, vel à Mithone Neptuni filio, ut Stephanus ait. His eam verbis celebrat luculenter Cicero [m]. *Quid Mitylene &c. Urbs & naturâ, & ſitu, & deſcriptione ædificiorum, & pulchritudine in primis nobilis; agri jucundi, & fertiles.* Fuit Æolorum Colonia [n], atque hinc illuſtres viri, Pittacus unus è ſeptem Sapientibus, Alcæus, & Sappho Poetæ, Theophanes Hiſtoricus, de quo Cicero pro Archia. De Sappho autem Cive ſuâ gloriata eſt adeo, ut illius imaginem nummis inſculpſerit. Quæ ad fortunam attinet Urbis Clariſſimæ, hæc ferè ſunt. Initiò ab Optimatibus oppreſſam Pittacus induſtriâ beneficioque ſuo in libertatem reſtituit. Poſt bellum Perſicum ſimul cum tot reliquis Civitatibus Athenienſium Societatem complexa eſt. A. 2. O. 88. ab iis defecit, & Lacedæmoniis ſe adjunxit. Athenienſes obſidione

[i] *Diod.* lib. xiv.
[l] *Strabo* lib. xiii.
[n] *Herod.* lib. ii.
[k] *Xenoph. de Rebus Græc.* lib. ii.
[m] *Cic. de lege Agraria ad Pop.*

cinctam, atque in deditionem acceptam Pachete Duce, delendam Cleonis ſententiâ ſtatuerunt, puberes omnes occidendos; impuberes ac fœminas in ſervitutem addicendas; atque ita Pacheti mandatum eſt. Verùm cum ira deferbuiſſet, atque averſaretur Populus crudelitatem ſententiæ ſuæ, poſtridie, hortante Diodoro, mitiùs cum Mitylenæis agendum juſſit, & quàm celerrimè fieri poſſet Nuntium tranſmittere, ut alterum anteverteret. Fortè fortunâ evenit, ut Paches, accepto primo nuntio, de Urbis ac Civium ruinâ cogitaret, cum ſupervenit alter, ἡ διεκώλυσε μὴ διαφθεῖραι. Παρὰ τοσοῦτον μὲν ἡ Μιτυλήνη ἦλθε κινδύνου, *ac ſervari juſſit. In tantum quidem periculum venit Mitylene.* Ad mille Cives ſeditionis autores necati; nudata muris Civitas, ager publicatus, atque hujus in tria millia partium diviſi, trecentæ diis dicatæ, reliquæ Colonis datæ, ut duas minas pro qualibet parte in ſingulos annos Reipublicæ penderent; adempta denique Oppida, quibus in Aſia imperabant [o]. A. deinde 2. Ol. 93. arctiſſimè à Spartanis obſeſſa, atque ab Athenienſibus defenſa, in iſtorum fide in poſterum manſit. Nunc Urbs & Inſula *Metellino* dicitur.

[y] Athenæ ſub triginta Tyrannorum Imperio adeo crudeliter vexatæ ſunt, ac tanto civili ſanguine fœdatæ, ut ſponte major Civium pars exulatum ierit. Id ægrè ferentes Lacedæmonii, qui clariſſimæ Urbis ruinam lætis oculis adſpiciebant, mandarunt Græcis omnibus, ut quos Athenienſium inveniſſent in ſuis Civitatibus degentes, ad triginta eorum Reipublicæ Moderatores adducerent, indictâ prohibentibus, quominus id fieret, quinque talentûm mulctâ. Non defuere, qui metu adacti impio decreto obtemperaverint. At Argivi & Thebani fortiter reſtiterunt. De Argivis mox dicam. Thebani autem ἐψηφίσαντο ὑπάρχειν πρόσιμον τῷ θεασαμένῳ μὲν ἀγόμενον Φυγάδα, μὴ βοηθήσαντι δὲ κατὰ τὸ δυνατόν, *multari eum decreve-*

[o] *Thucyd.* lib. iii. *Diod.* lib. xii.

runt

runt, qui exulem Athenas duci videret, nec ipſi totis viribus auxiliaretur. Sunt Diodori verba [p]. Iidem Thebani Corinthiique arma cum Spartanis conjungere detrectarunt, dum iſti, convocatis Sociis ad confirmandos ope ſua triginta Tyrannos, ſigna moverant, cum his Civium aliqui fortiter obniterentur [q]. Demum cum ipſi Athenienſes caput è ruinis Reipublicæ extollerent, longaque mœnia reficerent, Piræumque iterum communirent [r], operam iis ſuam non unus Græcorum præſtitit. Καὶ γὰρ Θηβαῖοι πεντακοσίους τεχνίτας καὶ λιθοτόμους ἀπέστειλαν, καί τινες ἄλλαι τῶν πόλεων παρεβοήθησαν. *Quippe Thebani quingentos Fabros Lapicidaſque miſerunt, contuleruntque opem ſuam aliæ quædam Civitates* [s]. Ad hos igitur ſermonem vertit Demoſthenes hoc loco.

[z] Sed præſertim Argivorum magnanimitatem explicandam aſſumit, quorum gratiſſima mentio erat in populo, ſiquidem eorum Reſpublica populari, ut Athenienſes, Imperio gubernaretur. Egregii generoſique facti memoriam, ab Hiſtoricis ſilentio præteritam in hac Oratione Demoſthenes conſervavit, vividiſque eloquentiæ coloribus expreſſit, ac luculenter auxit ſummâ dicendi vi. A Diodoro [t] ſolùm Argivæ in Athenienſes benignitatis admonemur. Eo enim Lacedæmoniorum decreto de Exulibus enarrato ſubjicit: Ἀργεῖοι δὴ πρῶτοι, μισοῦντες μὲν τῶν Λακεδαιμονίων ὠμότητα, καλοκἀγαθοῦντες δὲ τὰς τύχας τῶν ἀνθρώπων, ὑπεδέχοντο φιλανθρώπως τοὺς φυγάδας. *Primi omnium Argivi Lacedæmoniorum ſævitiam odio proſequuti, atque hominum ærumnoſorum ſortem miſerati, humaniter Exules ſuſceperunt.*

[a] Dum Ochum Perſarum Regem vellicat, ac veluti mollem effœminatumque traducit, non tantùm opinor ad ejus, quàm ad omnium fere Aſianorum mores verba dirigere. De Rege quidem à Diodoro [u] novimus, quòd ἐκ μὲν φολοπόλεμος, ἐφ' ἡσυ-

[p] *Diod.* lib. xiv. *a* 3. *O.* 96.
[q] *Xenoph. de Rebus Græc.* lib. ii.
[r] *Diod.* lib. xvi.
[s] *Diod.* lib. xiv.
[t] *Ibidem.*

χίας ἔμενεν, *cum bello abhorreret, quietam vitam degebat*; attamen deinceps & contra Satrapas Rebelles, & contra Phœnices Ægyptioſque in caſtris fuit. At verò Aſiaticam gentem, ſi Perſas paucoſque alios excipias, nec viribus corporis, nec ingenio ad rem bellicam apto, nec militari gloriâ floruiſſe, id olim oſtendit, quòd innumeri ipſorum exercitus à longè inferiori Europæorum numero ſæpius profligati ſunt, à Gallis nimirum, à Græcis, à Romanis, adeo ut cum innumerabiles Darii aut Xerxis Copias, exiguaſque Græcorum legimus; illaſque fuſas, deletaſque, has victoriæ compotes; Rurſus cum Antiochi, aut Mithridatis ingentem hominum multitudinem à paucis Romanorum legionibus victam audimus, vix hiſtoriæ fidem habeamus. Rerum abundantia, delicatior vita, voluptatum cupido vigorem animis corporibuſque adimebant. Quæ Cyri maximi illius Regis ſententia fuit, cum, poſtulantibus enixè Perſis, quorum virtute Aſiæ Imperium conquiſierat, ut ipſos è Perſide ſterili, montoſaque regione in latiores uberioreſque Regni Provincias induceret, reſpondit, ſe poſtulata facturum, at monere, eos citò ſegnitie mollitieque fractos, non amplius daturos aliis leges, ſed accepturos, quippe è delicatis terris delicatos viros oriri, nec uno eodemque loco delicias ac ſtrenuitatem conſiſtere [w].

[b] De Argiva gente alius erit dicendi locus. Nunc uno Diodori [x] teſtimonio ejus tantummodò laudes libamus; ait enim: ἔχει γὰρ ἡ πόλις αὐτὴ (τῶν Ἀργείων) μέγα ἀξίωμα διὰ τὰς παλαιὰς πράξεις. Πρὸ γὰρ τῆς Ἡρακλειδῶν κατάλυσεως, ἐκ τῆς Ἀργείας ὑπῆρξαν σχεδὸν ἅπαντες οἱ μέγιστοι τῶν Βασιλέων. Πρός τε τούτοις πολλὴ χρόνον εἰρήνην ἔσχεν, πρόσοδόν τε μεγίστην ἐλάμβανε, καὶ πλῆθος οὐ μόνον χρημάτων εἶχεν, ἀλλὰ καὶ ἀνδρῶν. *Habuit enim ipſa* (Argivorum) *Civitas ob olim res geſtas maximam dignitatem, ac præſtantiam. Antequam enim illuc advenirent Heraclidæ, omnes prope illinc maximi Reges*

[w] *Herod. in Calliop.* [x] *Diod.* lib. xii.

exorti

exorti ſunt. Præterea longo tempore pacem tenuit, maximaſque tunc ſibi publicas opes comparavit, ingentemque non ſolùm opum, ſed hominum vim. Hinc Lacedæmoniis æmula, cum ipſa ſæpius inimicitias ac bella geſſit, diſſidentibus animis Reipublicæ diſſimilitudine (Argivi enim popularem ſtatum fovebant) ac principatus ambitu, quem illi affectare, denegare iſti vehementer ſtudebant. Proinde non ſemel ad arma itum eſt, variante fortuna; at ſæpius ſtetit à Lacedæmoniis victoria, ut in Græcis monumentis videre eſt. Nos ad hunc Demoſthenis locum nonnihil explicandum, ſemel, aut iterum recens ſuperatos à Spartanis Argivos indicamus, ne nimiùm in re notiſſima commoremur. Anno igitur 2. O. 91. acerrimè ad Mantineam dimicarunt, οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι μεγάλῃ μάχῃ νικήσαντες, καὶ τρόπαιον στήσαντες ἀπῆλθον εἰς τὴν οἰκείαν, *Lacedæmoniique maximâ pugnâ victores, erectoque Tropæo domum regreſſi ſunt* [y]. Rurſus a. 4. O. 106. æquo Marte pugnatum inter ipſos eſt ad Orneas, ἐμάχων οἱ Λακεδαιμόνιοι, καὶ τὰς Ὀρνεὰς ἐκπολιορκήσαντες, ἐπανῆλθον εἰς τὴν Σπάρτην. *Vicerunt Lacedæmonii, Orneiſque obſidione captis Spartam repetierunt* [z]. Hæc ſatis ſuperque ſunt ad rem noſtram.

[c] Profectò Athenienſes multùm de Rege Perſarum triumpharunt. Ecquis Græcorum non meminit Marathonicæ, Platæenſis, Salaminiæ, Mycalenſis, ad Seſtum, ad Artemiſium, in Ægypto, in Aſia, terrâ marique pugnas? in quibus aut ſoli, aut præcipuâ ſuorum ope inclyta Gens Perſas fortiſſimè contrivit. Cum in tam locupleti verſemur argumento, libuit iſta, plerumque jam à nobis relata, acervatim deſcribere. Contra à Perſis juſto bello aut prælio victos Athenienſes, apud Hiſtoricorum neminem reperitur. Quare iſthæc Demoſthenis tam magnifica de ſua Civitate jactatio non oratoriè, ſed verè prolata eſt.

[d] Nullus hic ſermo de captis à Mardonio Perſarum Duce, ac bis incenſis Athenis, dum ingens il-

[y] *Diod.* lib. xii. [z] *Idem*, lib. xvi.

lud

lud Xerxanum bellum vigeret; quippe tunc Perſa nequaquam Urbem clariſſimam dicto ſuo audientem habuit. Tunc enim Cives commune Græciæ bonum privatæ utilitati præferentes, rem illam immortalitate digniſſimam, nec ſatis umquam à Græcis omnibus auditam geſſerunt; ſcilicet ſuâ gente, opibuſque Salaminam tranſvectis, deſertâque Patriâ, Puberes omnes mare claſſibus ingreſſi ſuam tenuerunt libertatem, nec unquam ingentibus Barbarorum minis, promiſſiſque aures præbuerunt [a]. Quin etiam apertè Athenienſes eo tempore Medis paruiſſe dicit, quo viciſſim eorum Rex à Cyro & Clearcho diſcrimen adiit. At magna hinc oritur difficultas. Siquidem hoc tempore non Perſis, ſed Lacedæmoniis Athenienſes obtemperarunt. Verùm ſi probè res expendatur, illis quoque morem aliquo pacto geſſiſſe dici poteſt, quorum ope à Spartanis ſibi vires perfractæ ſunt. Nam Cyrus Xerxis Patris [b], deinde fratris Artaxerxis juſſu, ad perdomandas Athenas iiſdem Lacedæmoniis claſſem, pecuniam, milites dederat, quibus fortiſſimæ gentis victoriam acceptam plurimùm referendam eſſe, dicunt Thebanorum legati ad Athenienſium populum: ὅτε μὴ τῆς Ασίας Βασιλεὺς, ἢ τὰ μέγιστα ἐμοῖς συμβαλλόμενος πρὸς τὸ ὑμῶν κρατῆσαι, νυῦ τι διάφορον πάσχειν, ἢ εἰ μετ' ὑμῶν κατεπολέμησεν αὐτούς; *Quid autem Rex Aſiæ, qui maxima ipſis auxilia contulit ad vos debellandos, nunc minus ab iis pariter, quàm ſi vobiſcum eos bello afflixiſſet?* [c] Tunc enim Lacedæmonii adverſus illum in Aſia decertabant. Quod cum ita ſe habeat, nonnihil rem contorſiſſe Demoſthenem ad ſuam utilitatem fatendum eſt; ſiquidem cupiens Athenienſium populum contra Perſarum Regem acuere, Majores illius in invidiam trahit devictæ Civitatis, eique attribuit Athenarum calamitatem.

[e] Anno primo O. 94. captis Athenis triginta Tyranni impoſiti ſunt; & an. 4. ejuſdem Olympiadis Cyrus arma in fratrem Artaxerxem movit. Quamob-

[a] *Herod. in Polym.*
[b] *Xenoph. de Rebus Græc.* lib. i.
[c] *Isocr.* lib. iii.

rem

rem meritò dicit Orator Regem, dum ruinis obruit eam Civitatem, viciſſim in Regni diſcrimen adductum fuiſſe, cum inter utramque rem geſtam non longum intererat temporis intervallum. Xenophon ſeptem libris hanc Cyri minoris expeditionem, cui & ipſe interfuit, narrat ſummâ elegantiâ diligentiâque. Igitur eoſdem adeat libros, qui cupit totius rei, tantorumque eventuum compos fieri. Nos ipſius rei ſummam paucis his verbis complectimur. Cyrus frater Artaxerxis natu minor, à Dario patre graviter ægrotante vocatus è provincia, cui præerat, ut ſibi extremum obeunti diem adeſſet, in aulam venerat. Mortuo patre delatus à Tiſſapherne fratri fuerat, veluti in ipſum conſpiraſſet. In vincula conjectus, ac falſi criminis pœnam mox morte perſoluturus, Pariſatidis Matris precibus in libertatem reſtituitur, atque in provinciam cum eodem, quo prius, imperio mittitur. Ibi acceptas à fratre injurias ulturus, non renuente Matre ſeriò comparat ſe ad bellum; lenitate, præmiis, blanditiis in ſui amorem, in Artaxerxis odium populos allicit; quot potuit Græcorum militum pecuniâ ſibi adjungit; aliam expediendorum armorum cauſam prætexit, ut ſigna ſequantur. Arrepto itinere, atque in remotiores Regni provincias ingreſſus palam facit, ſe in Fratrem ire; certâ victoriæ ſpe, promiſſis ac præſenti liberalitate Aſianorum animos lucratur; Græcos, qui Regem bello petere detrectabant, difficiliùs in ſententiam ſuam adducit; adducit tamen, longâ viâ ad Euphratem venit, quo tranſmiſſo luſtrat exercitum; cenſa è Græcis ſunt Scutatorum decem millia & quadringenti; duo millia & quadringenti Peltatorum; Aſianorum centena millia, falcatorum curruum viginti. Frater autem ducebat Peditum duodecies centena millia; Equitum ſex millia, Curruum falcatorum ducentos. Prope Tigridis alveos, qui ad Euphratem tendunt, pugna committitur, Græci hoſtem pellunt, pugnatur incerto Marte ab Aſianis; at Cyrus conſpecto fratre in illum cum ſuorum globo invadit,

dit, ac vulnerat, ſed victiſſim ſub oculo vulneratus occubuit, victoriamque morte ſuâ ceſſit Artaxerxi. Κῦρος μὲν δὴ οὕτως ἐτελεύτησεν, ἀνὴρ ὢν, Περσῶν τῶν μετὰ Κῦρον τὸν ἀρχαῖον, γενομένων, βασιλικώτατός τε, καὶ ἄρχειν ἀξιώτατος, ὡς παρὰ πάντων ὁμολογεῖται τῷ Κύρῳ δοκούντων ἐν πείρᾳ γενέσθαι. *Ita Cyrus extremum obiit diem, vir Perſarum omnium, qui poſt Majorem Cyrum fuerunt, Regno aptiſſimus, atque Imperio digniſſimus, ut communi omnium conſenſu perhibetur, qui eo familiariter uſi ſunt.* Sic enim à Xenophonte [d] deſcribitur. Clearchus autem Lacedæmonius Dux Græcorum ſupremus, qui Cyro ſtipendia fecerant, doloſâ pace à Tiſſapherne poſt hujus obitum illectus, ſubdolis artibus trahitur in caſtra, ibique cum ſex aliis Ducibus trucidatur. Vir fortiſſimus Civibus ſuis egregiam navaverat operam, dum bellum cum Athenienſibus habuerunt, quo debellato, ne otio deſidiâque marceſceret, ſuaſit Reipublicæ, ut arma in Thraces ferret, ſibique eam provinciam mandaret. Profectus cum exercitu, ab Ephoris, quibus ea expeditio iniqua videbatur, revocatus non paruit, ſed, Thracibus profligatis, actâque inde prædâ, ad Cyrum ſe contulit, Dariciſque viginti millibus ab eo receptis bellum cum iiſdem Thracibus inſtauravit, quoad Aſiaticam cum illo ſuſcepit expeditionem. Clearchi mores ac diſciplinam his verbis elegantiſſimè, qui cum eo in caſtris fuit, Xenophon [e] complectitur. Ἐν τοῖς δεινοῖς φρόνιμος, ὡς οἱ παρόντες πανταχῇ πάντες ὡμολόγουν. Καὶ ἀρχικὸς δὴ ἐλέγετο εἶναι, ὡς δυνατὸν, ἐκ τῆς τοιᾶσδε τρόπου, οἷον καὶ ἐκεῖνος εἶχεν. Ικανὸς μὲν δὴ, ὡς εἴτις καὶ ἄλλος, φοντίζειν ἐῶ, ὅπως ἕξει ἡ στρατιὰ αὐτῷ τὰ ἐπιτήδεια, καὶ παρασκευάζειν ταῦτα. Ικανὸς δὲ καὶ ἐμποιῆσαι τοῖς παροῦσιν, ὡς ἀπιστέον εἴη Χλεάρχῳ. Τοῦτο δὴ ἐποίει, ἐκ τοῦ χαλεπὸς εἶναι. Καὶ δὴ ὁρᾶν συγνὸς ἐῶ, καὶ τῇ φωνῇ τραχύς. Εκόλαζέ τε αἰεὶ ἰσχυρῶς, καὶ ὀργῇ ἐνίοτε, ὥστε καὶ αὐτῷ μεταμέλειν ἔσθ' ὅτε. Καὶ γνώμῃ δὴ ἐκόλαζεν· ἀκολάστου δὴ στρατεύματος ἐδὲν ἡγεῖτο ὄφελος εἶναι. Αλλὰ καὶ λέγειν αὐτὸν ἔφασαν, ὡς δέοι τὸν στρατιώτην φοβεῖσθαι μᾶλ-

[d] *Xenoph. de Cyri exped.* lib. i.

[e] *Idem*, lib. ii.

λον

λον τὸν ἄρχοντα, ἢ τὰς πολεμίας, εἰ μέλλοι ἢ φυλακὰς φυλάξειν, ἢ φίλων ἀφέξεσθαι, μὴ ἀπροφασίστως ἰέναι πρὸς τοὺς πολεμίους. Εν μὲν δὴ τοῖς δεινοῖς ἤθελον αὐτοῦ ἀκούειν σφόδρα, καὶ οὐκ ἄλλον ἠροῦντο οἱ στρατιῶται. Καὶ τὸ συγγνωστὸν τότε φαιδρὸν αὐτοῦ ἐν τοῖς προσώποις ἔφασαν φαίνεσθαι, καὶ τὸ χαλεπὸν, ἐῤῥωμένον πρὸς τοὺς πολεμίους ἐδόκει εἶναι. Ὥστε σωτήριον, καὶ οὐκέτι χαλεπὸν ἐφαίνετο. Ὅτε δ' ἔξω τοῦ δεινοῦ γένοιντο, καὶ ἐξείη πρὸς ἄλλους ἀρχομένους ἀπιέναι, πολλοὶ αὐτὸν ἀπέλιπον. Τὸ γὰρ ἐπίχαρι οὐκ εἶχεν, ἀλλὰ ἀεὶ χαλεπὸς, καὶ ὠμὸς ἦν. Ὥσε διέκειντο πρὸς αὐτὸν οἱ στρατιῶται, ὥσπερ παῖδες πρὸς διδάσκαλον. Καὶ γὰρ ἦν φιλίᾳ μὲν καὶ εὐνοίᾳ ἑπομένους οὐδέ ποτ' εἶχεν. Οἵτινες ἦ, ἢ ὑπὸ πόλεως τεταγμένοι, ἢ ὑπὸ τοῦ δεῖσθαι, ἢ ἄλλῃ τινὶ ἀνάγκῃ κατεχόμενοι παρείησαν αὐτῷ, σφόδρα πειθομένοις ἐχρῆτο. Επειδὴ δὲ καὶ ἤρξαντο νικᾶν σὺν αὐτῷ τοὺς πολεμίους, μεγάλα ἤδη ἦν τὰ χρησίμους ποιοῦντα εἶναι τοὺς σὺν αὐτῷ στρατιώτας. Τότε γὰρ πρὸς τοὺς πολεμίους θαῤῥαλέως ἔχειν παρῆν, καὶ τὸ τὴν παρ' ἐκείνοις τιμωρίαν φοβεῖσθαι, αὐτοὺς δ' τάκτως ἐποίει. Τοιοῦτος μὲν δὴ ἄρχων ἦν. Ἀρχεσθαι δὲ ὑπὸ ἄλλων οὐ μάλα ἐθέλειν ἐλέγετο. Ἦν δὲ, ὅτε ἐτελεύτα, ἀμφὶ τὰ πεντήκοντα ἔτη. *In periculis magnâ erat prudentiâ, ut qui cum illo in iisdem ubivis locorum versati fuerant, fatebantur. Ferebatur artis imperatoriæ gnarus esse, sed suis moribus accommodatæ. Summâ industriâ, ut quispiam alius curabat militibus commeatus, & unde comparandi forent cogitabat. Sed non minus & difficillimis moribus, & aspectus atrocitate, & asperitate vocis efficiebat, ut militum nemo sibi persuaderet, Clearchi facilitati fidendum esse. Nam semper severè puniebat, interdum adeò iracundè, ut postea fecisse pæniteret. Hac autem ad puniendum ratione ducebatur, quod existimaret, effrænatum exercitum nullius esse utilitatis; eratque ipsius dictum: Ab exercitu Imperatorem magis, quam hostem metui oportere, si quis eum velit aut in vigiliis manere, aut manus ab amicorum rebus abstinere, aut coercere, ut nullâ oblatâ occasione in hostes irruat. Attamen dum grave aliquod oriretur discrimen, eum solum audire milites volebant, cum sibi Ducem constituere, ac tunc ejus*

eris aſperitatem, amabilem reputabant, morum aſperitatem terrorum in hoſtes præ ſe ferre arbitrabantur. Cum verò ceſſaſſet periculum, multi, ſi poſſent, eum deſerebant, conferebantque ſeſe ad alios Imperatores, cum nunquam ſe gratioſum, atque jucundum præberet, obſervarentque eum milites, ut Pueri Magiſtrum ſuum. Ipſos etiam nequaquam amicitiâ vel benevolentiâ ductos in caſtris habuit, ſed alios à ſuis Civitatibus miſſos, alios metu, aut aliâ quapiam neceſſitate detentos, iiſque timore obtemperantibus utebatur. Poſtquam verò cæperunt hoſtes ejus virtute ac ſtrenuitate vinci, & magnæ erant opportunitates, quæ militem ſub hoc Duce bello idoneum faciebant; Tunc & militum audacia in hoſtes patuit, & pœnæ metus militarem diſciplinam reſtituit. Talis fuit Imperator (Clearchus) *quem rumor erat non multùm velle ſub aliis militiam facere. Cum deceſſit, annum agebat circiter quinquageſimum.* Homines profectò alieni moris æmulatores ſumus, utinam boni. An non aliquem è ſeverioribus illis Romanorum veterum Ducum in Clearcho expreſſum videas, aut avorum ætate virum fortiſſimum Toletum Albæ Ducem, terribilem non minùs, quàm ſtrenuum.

[f] Chalcedon Bithyniæ Urbs ad fauces Ponti, Byzantio è regione poſita, Megarenſium Colonia, quam Archias eorum princeps condidit ſeptendecim annos ante conſtructum Byzantium. Χαλκηδόνα τὴν ἐπὶ τῷ ςόματι τῷ Πόντου, Μεγαρέων ἀποικίαν, *Chalcedonem ſitam in ore Ponti, Megarenſium Coloniam,* Thucydides ait [f]. Pluribus antea nominibus appellatam Plinius [g] his verbis tradit: *In his Chalcedon libera, Proceraſtis antea dicta, deinde Compuſa, poſtea Cæcorum oppidum, quòd locum eligere neſciſſent, ſeptem ſtadiis diſtante Byzantio, tanto feliciori omnibus modis ſede.* Enimvero cum Apollo à Byzantiis conſuleretur, ubi ſedem domicilii ſtabilem collocarent, reſpondiſſe ferunt, è regione Cæcorum; Τυφλοὺς καλέσαντα, Strabo nos

[f] *Thucyd.* lib. iv. [g] *Plin.* lib. v. *cap. ult.*

docet

docet [h] τὰς Χαλκηδονίους, ὅτι πρότερον πλεύσαντες ἐς τοὺς τόπους, ἀφέντες τὴν πέραν καταοχεῖν τοσοῦτον πλοῦν ἔχουσαν, ἕλοντο τὴν λυπροτέραν. *Cæcos vocantem Chalcedonenſes, quod in ea loca navigantes, tantùm dimiſerint cohibere curſum in adverſa regionis parte, terramque elegerint infeliciorem.* Quod Oraculi dictum Megabazum Perſam comprobaſſe, atque exclamaſſe, cum illic venit cum Xerxis Copiis, Herodotus [i] narrat: ἐ γὰρ ἂν, τῶ καλλίονος παρεόντος κτίζειν χώρου, τὸν αἰσχίονα ἑλέσθαι, εἰ μὴ ἦσαν τυφλοί. *Non enim ſplendidiori loco* Urbem ſuam *condere prætermiſiſſent, elegiſſentque deteriorem, niſi oculis capti fuiſſent.* Varia, ut reliquarum Græcarum in Aſia Civitatum, ejus fortuna fuit, modò Athenienſium, modò Lacedæmoniorum jugum ſubeuntis. A. 2. O. 93. cum in iſtorum eſſet poteſtate ab Alcibiade obſidetur, à quo in ejus agris certatum eſt cum Hippocrate Spartano, præſidiariorum militum Duce, qui urbe egreſſus belli aleam tentare voluit, ſed infelici eventu; quamobrem Alcibiades pactum iniit cum Chalcedonenſibus, ut ſibi tributum penderent, quod antea Spartanis [k]. Verùm inſequenti anno non unâ clade afflictis Athenienſibus, captâ demùm, profligatâque ipſorum claſſe prope Lampſacum ad Ægospotamos, ſeu Capellæ fluvios, victor Lyſander plures urbes in poteſtatem recepit, quas inter Chalcedonem: Ἐπεὶ δὲ τὰ ἐν τῇ Λαμψάκῳ κατέστησατο, ἔπλει ἐπὶ τὸ Βυζάντιον, καὶ Χαλκηδόνα. οἱ ὑπεδέξαντο τὸν τῶν Ἀθηναίων φρουρὸν ὑποσπόνδους ἀφέντες. *Poſtquam Lampſaci res conſtituerat, Byzantium, Chalcedonemque navigavit, quæ Civitates illum* (Lyſandrum) *receperunt, atque Athenienſium præſidium liberum, acceptâ ab hoſtibus fide dimiſerunt.* Ita Xenophon [l] ea de re certiores nos facit. Antalcidæ deinde pace a. z. O. 98. acceſſit Perſarum Regi. Nunc autem Byzantiorum armis concuſſa in diſcrimen venerat ſervitutis, ut hoc Demoſthenis loco admonemur. Qui

[h] *Strabo*, lib. vii. *rebus Græc.* lib. i.
[i] *Herod. in Melpom.*
[k] *Xenoph. de*
[l] *Xenoph. de rebus Græc.* lib. ii.

Byzantii

Byzantii tunc finitimis ſuis infligere injurias non deſiſtebant; ſiquidem agri partem Sylimbriis pariter ademerant. Sylimbria Urbs eſt maritima, Byzantio proxima in Thraciæ litore, nunc *Soliure* ab Incolis dicitur.

[g] Cos Inſula in Mari Ægeo prope Cariæ litus, cum Urbe cognomine, de qua Homerus [m]:

Καὶ Κῶν Εὐρυπύλοιο,
Et Con Euripili.

Nomen habet à duobus ſuis clariſſimis Civibus Hippocrate & Apelle, altero Medicorum omnium longè principe, Pictorum altero. Celebrabatur quoque texturâ veſtium tenuiſſimarum, quæ potius nuditatem oſtenderent, quàm tegerent. Hanc urbem hoc pacto celebrat Diodorus [n]. Ἅμα δὲ τούτοις πραττομένοις, Κῶοι μετῴκησαν εἰς τὴν νῦν οἰκουμένην πόλιν, καὶ κατεσκεύασαν αὐτὴν ἀξιόλογον. Πλῆθός τε γὰρ ἀνδρῶν εἰς ταύτην ἠθροίσθη, καὶ τείχη πολυτελῆ κατεσκευάσθη, καὶ λιμὴν ἀξιόλογος. Ἀπὸ δὲ τούτων τῶν χρόνων αἰεὶ μᾶλλον ηὐξήθη προσόδοις τε δημοσίαις, καὶ τοῖς τῶν ἰδιωτῶν πλούτοις, καὶ τὸ σύνολον, ἐνάμιλλος ἐγένετο ταῖς πρωτευούσαις πόλεσιν. *Quæ dum ita geruntur, Coi in Urbem migrarunt, quàm modò incolunt, magnificamque ædificarunt. In eam quippe magnâ frequentiâ convenerunt populi, ſplendidiſſimaque mœnia celebremque portum conſtruxerunt. Hinc autem in dies magis magiſque publicis privatiſque divitiis aucta eſt, principum Civitatum æmula.* Nunc Inſula, atque Urbs *Langro* nuncupatur. Lex olim in ea fuit longè abhorrens ab humanitate, ſi Straboni fides habeatur, quæ Senes annum agentes ſexageſimum veneno vitam finire præcipiebat, ne victum ſuccedenti hominum turbæ conſumerent. In tanta agendi perverſitate minus barbari cenſendi ſunt quidam Indorum populi, qui viros & fœminas id ætatis è medio tollunt non commeatuum parſimoniâ, ſed ne ſubeant graviores ærumnas, quas neceſſariò fert ætas. Cæterum quæ habet Orator de hac Inſula, aliiſque ſupra

[m] *Hom. Iliad. β. v.* 677. [n] *Diod.* lib. xv.

memoratis

memoratis, quas ait in libertatem fuiſſe à Rege Perſarum reſtitutas, ad pacem illam ſæpius jam dictam, ſæpiuſque dicendam, quæ ab Antalcida nomen adepta eſt, referuntur. Cum enim pro iis liberandis Athenienſes ac Lacedæmonii, modo conjunctim, modò ſeorſum, pluries bella ſuſcepiſſent, ejuſdem pacis conditionibus, quas jam recenſuimus, ſancitum eſt, ut ſuis legibus viverent, immunes, ac liberæ. Nunc autem nequaquam in Artemiſiæ ditionem venerant, ſed ſolùm Rhodo, ut mox retulimus, præſidium impoſuerat, rem gratam Optimatibus factura, reliquas inſulas metu ſibi devinxerat; ſed Græcas Civitates in Cariæ litore uſurpaſſe dicendum eſt, ne dicam Demoſtheni impingere videamur.

[h] Bis Artaxerxes cognomento Mnemon, ut Orator ait, Græcorum diſſidia compoſuit auctoritate ſuâ. Semel a. 2. O. 101. Iterum a. 2. O. 102. Nam pax iis data a. 2. O. 98. Græcorum cum ipſo Rege, non eorum inter ſe bellum diremit. Cumque ipſa facta fuerit, Antalcida Lacedæmonio auctore, ſuis Civibus non ſolùm probata, ſed glorioſa, meritò à geminis hiſce, deſcriptis hoc loco, fœderibus excluditur, quæ Demoſthenes inquit Athenienſium ſtudio curata fuiſſe, atque à Lacedæmoniis ægrè comprobata. Primum igitur ita confectum eſt. Lacedæmonii poſt debellatas Athenas, non tantùm his, quam Peloponnenſibus Thebaniſque, damna atque injurias extra modum infligebant; quare Athenienſes, inſtauratis longis ac Piræi muris ſe tuebantur; ſeſeque ad ultionem comparabant; Thebani vim quoque vi repellebant. Ἐπὶ δὲ τούτων Λακεδαιμονίων ἐπιπλικότων περὶ τὰς Θήβας, οἱ μὲν Βοιωτοὶ θαρρήσαντες συνεστήσαντο, προσδοκῶντες ἥξειν τὴς Λακεδαιμονίους μεγάλαις δυνάμεσι εἰς τὴν Βοιωτίαν. Ἀθηναῖοι δὲ πρέσβεις τὴς ἀξιολογωτάτους τῶν παρ' αὐτοῖς ἐξέπεμψαν ἐπὶ τὰς ὑπὸ τὴς Λακεδαιμονίους τεταγμένας πόλεις, παρακαλοῦντες ἀντέχεσθαι τῆς κοινῆς ἐλευθερίας. Οἱ γὰρ Λακεδαιμόνιοι διὰ τὸ μέγεθος τῆς περὶ αὐτὴς δυνάμεως ὑπεροπτικῶς, καὶ βαρέως ἦρχον τῶν ὑπολελαγμένων. *Poſt-*

quam (a. 4. O 100.) *Lacedæmonii ad Thebas concisſt ſunt, Bœoti erexerunt animos, ac fidenter expectarunt illorum cum magnis viribus in Bœotiam adventum. Athenienſes quoque Civium ſuorum nobiliſſimos legatos in urbes miſerunt iiſdem Lacedæmoniis obtemperantes, ut eas ad libertatem ſuam tuendam incenderent. Siquidem iſti nimiùm potentiæ robore inflati, ſuperbè, immoderatéque dominabantur.* Sunt Diodori [o] verba. Dum itaque bello ardet univerſa propemodum Græcia, Perſarum Rex expeditionem in Ægyptios meditabatur, cupiebatque magnas ſibi Græcorum Copias comparare; & cum non niſi pacatis eorum diſcordiis, voti compos fieri haudquaquam poſſet, πρέσβεις ἐξέπεμψεν (ejuſdem Diodori teſtimonio [p]) εἰς τὴν Ελλάδα, τὰς παρακαλέσοντας τὰς πόλεις κοινὴν εἰρήνην συνθέσθαι. Τῶν δ' Ελλήνων ἀσμένως προσδεξαμένων τὸν λόγον, διὰ τὸ κάμνειν τῇ συνεχείᾳ τῶν πολέμων, συνέθεντο πάντες τὴν εἰρήνην, ὥστε πάσας τὰς πόλεις αὐτονόμους, καὶ ἀφρουρήτους εἶναι. Καὶ καλέσαντα οἱ Ἕλληνες ἐξαγωγεῖς, οἳ καλὰ πόλιν ἑκάστην ἐπελθόντες ἐξήγαγον ἁπάσας τὰς φρουράς. Μόνοι δ' Θηβαίων ὐ προσδεξαμένων καλὰ πόλιν γίνεσθαι τὰς σπονδὰς, ἀλλὰ τὴν Βοιωτίαν ἅπασαν ὑπὸ τὴν τῶν Θηβαίων συντέλειαν τατάντων &c. *Legatos miſit in Græciam, qui urbes invitarent ad ſanciendam inter ſe pacem. Qui ſermo libenter à Græcis exceptus eſt, quippe illos afflixerat bellorum diuturnitas. His igitur conditionibus cuncti pacem compoſuerunt; ut ſcilicet Urbes omnes ſuis legibus vivant, nulloque præſidio teneantur. Thebani ſolùm pro ſingulis oppidis fœdus hoc recipere abnuerunt, ſtatueruntque Bœotiam ſibi vectigalem eſſe &c.* At video, Lacedæmonios quoque, quamvis nulla iſthic ipſorum habeatur mentio, vel hujuſmodi fœderi, vel promiſſis non ſtetiſſe. Siquidem mox illato Mantineenſibus bello, eorum Civitatem delerunt, Civibus vicatim habitare juſſis, nedum laudati fœderis lege in libertatem reſtitutis. Iſtud utique primum fuit eorundem fœderum, in quod ſi attentiùs mentis ocu-

[o] *Diod.* lib. xv. [p] *Ibidem.*

los

los defigamus, mihi ſanè videre videor, eas ipſum conditiones complecti, quarum Demoſthenes meminit; ſcilicet Athenienſium præcipuo ſtudio ictum fuiſſe; quem enim illud vehementiùs quæſiſſe putandum eſt, quàm quos audimus tantam ſuſcepiſſe curam Græcorum libertatis? Diſplicuiſſe autem Lacedæmoniis ex illata Mantineenſibus vaſtitate certum redditur. Nunc ad alterum enarrandum fœdus progrediamur. Itaque tota iterum Græcia bellum inſtauravit, compellentibus Lacedæmoniis Thebanos Bœotiam libertati reſtituere; ipſis invicem eam Mantineenſibus dare recuſantibus. Proinde rurſus quoque Legati à Rege venerunt, qui ὁρῶν πάλιν ταραττομένην τὴν Ελλάδα πρέσβεις ἀπέστειλε, παρακαλῶν συλλύσασθαι τὰς ἐμφιλίους πολέμους, καὶ σωθέσθαι κοινὴν εἰρήνην καὶ τὰς ὁμολογίας, ἃς πρότερον ἦσαν πεποιημένοι. Τῶν δὲ Ελλήνων πάντων ἀσμένως προσδεξαμένων τὸν λόγον, συνέθεντο κοινὴν εἰρήνην αἱ πόλεις πᾶσαι, πλὴν Θηβαίων· *conſpiciens iterum Græciam diſſidiis domeſticis conturbatam, Legatos miſit, qui ad finiendum civile bellum, ad communemque pacem ſtatuendam invitarent, iiſdem, quibus antea, legibus & conditionibus. In hanc ſententiam lubentî animo Græci omnes venerunt, communiſque pax ab omnibus civitatibus præterquam Thebanâ, confecta eſt.* Eos enim eadem Bœotiæ ſuis legibus relinquendæ tenuit difficultas. Hinc armis cogendos Lacedæmonii decreverunt, ſed infelici eventu, quippe ex adverſo magno ad Leuctram prælio ſuperati. Tunc eò magis captum ab Athenienſibus conſilium eſt, omnes Græci nominis urbes in ſpem libertatis erigendi, quò minus impedimenti eſſe poterat à Lacedæmoniis. Quamobrem μελαπέμπονται (rem lubet Xenophontis [q] verbis referre) τὰς πόλεις, ὅσαι βέλονται τῆς εἰρήνης μέλεχειν, ἵνα Βασιλεὺς καλέπεμψεν. Επεὶ δὲ συνῆλθον, ὄμνμα ἐποιήσαντο μέλα τῶν κοινωνεῖν βελομένων ὀμόσαι τόνδε τὸν ὅρκον· Ἐμμενῶ ταῖς σπονδαῖς, ἃς Βασιλεὺς κατέπεμψεν, καὶ τοῖς ψηφίσμασι τῶν Αθηναίων, καὶ τῶν συμμάχων. Εὰν δέ τις στρατεύηται

[q] *Xenoph.* lib. vi.

ἐπί τινα πόλιν τῶν ὁμοσασῶν τόνδε τὸν ὅρκον, Βοηθήσω παντὶ σθένει. Οἱ μὲν ἂν ἄλλοι πάντες ἔχαιρον τῷ ὅρκῳ. Ηλεῖοι δ' ἀντέλεγον, ὡς σφίσι δέοι ἀυτονόμους ποιεῖν ἔτε Μαργανεῖς, ἔτε Σκιλλουντίους, ἔτε Τριφυλίους, σφεῖέρας δὲ εἶναι ταύτας τὰς πόλεις. Οἱ δὲ Αθηναῖοι, καὶ οἱ ἄλλοι ψηφισάμενοι, ὥσπερ Βασιλεὺς ἔγραψεν, ἀυτονόμους εἶναι ὁμοίως καὶ μικρὰς καὶ μεγάλας πόλεις, ἐξέπεμψαν τὰς ὀρκωτὰς, καὶ ἐκέλευσαν, τὰ μέγιστα τέλη ἐν ἑκάστῃ πόλει ὀρκῶσαι. Καὶ ὤμοσαν πάντες, πλὴν Ηλείων. Ἐξ ὧν δὴ καὶ οἱ Μαντινεῖς, ὡς ἤδη αὐτονόμοι πανταχόθεν ὄντες, συνῆλθόν τε πάντες, καὶ ἐψηφίσαντο μίαν πόλιν τὴν Μαντινείαν ποιεῖν, καὶ τειχίζειν τὴν πόλιν. Οἱ δ' αὖ Λακεδαιμόνιοι ἠγῶντο ἄνδρα τῆς σφεῖέρας γνώμης ἔσεσθαι, χαλεπὸν ἔσεσθαι &c. *accerſitum miſerunt Civitates omnes, quæcumque vellent, pacis illius eſſe participes, quam Perſarum Rex edicto ſuo propoſuerat. Poſtquam verò congregatæ ſunt, decreverunt, ut qui ejuſdem cuperent compotes fieri, in hæc verba jurarent: Fœdus ſervabo, quod Rex ſancivit, atque Athenienſium, Sociorumque decreta. Si quis autem bellum moveat in quampiam earum Civitatum, quæ ſeſe hoc jurejurando obſtrinxerit, huic viribus omnibus ſuppetias ibo. Itaque aliis cunctis jusjurandum iſtud gratum accidit; Elei autem oppoſuerunt, par non eſſe, Marganenſes, Scilluntios, Triphylioſque ſuis uti legibus, quippe in Eleæ Reipublicæ poteſtate conſtitutos. Verùm Athenienſes, quique, Regis ſententiam ſequuti, decreverant, æquè parvas ac magnas Civitates liberas eſſe, Legatos miſerunt ad jusjurandum exigendum, atque illud in qualibet Civitate à ſupremis Magiſtratibus accipi demandarunt. Jurarunt omnes præter Elei. Et Mantinenſes quidem, ut qui jam integrâ libertate fruerentur, in unum coacti ſtatuerunt in unam commeare Civitatem, eamque mœnibus circummunire. Sed Lacedæmonii id ſibi grave atque injurioſum fore exiſtimarunt, ſi præter ipſorum fieret voluntatem &c.* Quamobrem, cum parum armis valerent, ad ipſos Mantineenſes, ne id efficerent, diſſuadendos Ageſilaum miſerunt, ſed cum nihil profeciſſet, bellum cum iis inſtaurarunt; quod rurſus totam Græciam inflammavit,

mavit, nec antea finivit, quàm iidem Lacedæmonii, tum quoad Mantineam, tum quoad reliquas Civitates fœderis à Rege propoſiti conditiones acceperint. Quæ cum ita geſta ſint, patet id, quod hoc loco Demoſthenes aſſerit: & ab Athenienſibus fœdus ipſum conciliatum, & ægrè à Lacedæmoniis, ſed tandem receptum.

[i] Antiquas militiæ leges Athenis aliquid de ſua ſeveritate remiſiſſe, Demoſthenes in Olynthiaca tertia factum dolet, & manifeſtè patet ex earum cum recentiori uſu comparatione. Nam ex hujus Orationis loco certiores reddimur, non aliam irrogari pœnam militibus locum ſuum in acie non retinentibus, quàm infamiæ, amiſſique juris civilis; cum tamen ex Attico jure crimen iſtud capitale foret, ut Syrianus ait [r]: νόμος, τὸν λιπόντα τὴν τάξιν ἀνελεῖσθαι, *Lex jubet, ut qui ordinem deſeruerit, interficiatur*, Quâ pœnâ deſertores pariter plectebantur. Νόμος, τὰς καλαισχύντους φυγάδας, ὑπὸ τῆ Στρατηγῆ θανάτῳ ζημιῶσθαι, *Lex eſt, ut Fugitivi, ſi rurſus in poteſtatem veniant, ab Imperatore morte multentur* [s]. Nec minus qui clypeum abjiciebat. Νόμος, τὸν ῥίψαντιν θανάτῳ ζημιῶσθαι, *Lex jubet clypeum abjicientem occidi* [t]. Si verò illum incuriâ quis perdidiſſet, incuriam quingentis ſolùm drachmis luebat [u]. Hac enim vero ſeveritate Græcorum virtus inclaruit; non parum elanguit ejuſdem ſeveritatis deſuetudine.

OLYNTHIACA PRIMA.

IN ARGUMENTUM.

[A] OLynthiacis Orationibus facilius eſt aſſignare tempus, quam Ordinem, quo dictæ fuerint. Ab annis enim aut 4. O. 107. aut 1. O. 108.

[r] *Syrian. in Hermog.*
[s] *Idem, Marcellin. in Hermog.*
[t] *Sopater in Hermog.*
[u] *Lyſias contra Theromneſium.*

removeri nequeunt. Nam cum in iis agatur de ſublevando Athenienſium viribus Olyntho, cui Philippus extremam labem perniciemque parabat; hic autem non niſi a. 4. O. 107. in Thraciam venerit στρατεύσας ἐπὶ τὰς Χαλκιδικὰς πόλεις, *bellum inferens Chalcidicis Urbibus*, & a. 1. O. 108. Olynthum obſederit, ac proditione in ſuam poteſtatem redegerit [w]; hoc ſanè tempore putandum eſt, Olynthios in diſcrimen ſervitutis adductos, Athenas opem oratum miſiſſe, nec Sociis Demoſthenem defuiſſe. Dionyſius Halicarnaſſeus habitas fuiſſe Callimacho Athenis Prætore nos docet [x], qui Magiſtratum iniit memorato anno quarto, ſi Diodorum [y] velimus audire. Et ſanè ab hoc anno diſcedendum non eſt, cum facilè credi poſſit, ſtatim ac Macedo infeſtis in Thraciam armis ingreſſus fuit, eoſdem Olynthios Athenienſium præſidium imploraſſe. Addo, ex iſtarum Concionum tertia id mirificè comprobari. In ea ſiquidem ait Orator: *tres aut quatuor abhinc annos Philippum Heræorum mœnia obſediſſe.* At, ut nuperrimè, Philippus a. 4. O. 106. in Thraciam venit, ubi Heræum ſitum eſt, Theſſalico deinceps ad hoc uſque tempus detentus bello, ut ex Diodoro patet [z]. Verùm de his hactenus. Majoris quidem difficultatis eſt tres iſtas Orationes digerere, ſuoque loco aſſignare. Parvi ſanè momenti res, cum omnes uno anno habitæ fuerint; ſed cum in hujuſmodi quæſtione veterem ordinem, non Dionyſii autoritatem ſequar, cur ab iſto diſceſſerim, rationem adducere neceſſarium arbitror. Sic ille habet in laudata ad Ammæum Epiſtola: Ἐπὶ τῦ Καλλιμάχυ τῦ τελίτυ μὲλα Θέελλον ἄρχοντος, τρεῖς διέθετο δημηγορικὰς, παρακαλῶν Ἀθλωαίυς βοηθείαν Ολωθίοις ἀποσεῖλαι πῖς πολεμυμένοις ὑπὸ Φιλίππυ. Πρῶτον μέν ἐςιν ἀρχὴ· Ἐπὶ πολλῶν μὲν ἰδεῖν ἄν τις, ὦ ἄνδρες Ἀθλωαῖοι, μοὶ δοκεῖ. Δεύτερον ᾗ· οὐχὶ ταὐτὰ παρίσαλαί μοι γινώσκειν, ὦ ἄνδρες

[w] *Diod.* lib. xvi.
[x] *Dionyſ. Ep. ad Ammæum.*
[y] *Diod.* lib. xvi.
[z] *Diod.* lib. xvi.

Ἀθηναῖοι. Τρίτον δ' Ἀπὶ πολλῶν ἂν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, χρημάτων. *Callimacho, tertio poſt Theellum Prætore, tres compoſuit Conciones, quibus Athenienſes hortatus eſt ad ferendam Olynthiis opem, bellum à Philippo ſuſtinentibus. Primæ initium eſt: Multis in rebus, Athenienſes, conſpicere unuſquiſque mihi poſſe videtur. Secundæ: Non eadem mihi decernenda ſe offerunt, Athenienſes. Tertiæ: Multarum vice divitiarum, Athenienſes.* Quo pacto quæ à nobis ponuntur ſecundo & tertio loco, à Dionyſio primo & ſecundo collocantur. Enimvero quæ prima nobis, & alteri tertia eſt, quamvis parum ſententiis differat à ſecunda, eique propemodum gemina videatur, attamen non levia præfert indicia, quibus natalis ſui prærogativam oſtendit. In iſta enim Demoſthenes non ſolùm Cives inflammat ad ferendum Olynthiis auxilium, ſed monet, ut illuc Legatos mittant, qui hujus ſpe confirment animos metu fractos. Quod conſilium ſi Orator providus ac ſolertiſſimus in tertiam Concionem diſtuliſſet, ejus profectò prudentia deſideraretur. Deinde in hac ipſa Oratione Philippi ſordidos mores, illataſque tot tantiſque gentibus injurias ſingillatim recenſet. At quàm longè alienum eſſet à clariſſimi Oratoris ſagacitate, ſi hæc dicere in prima Concione prætermiſiſſet, quæ omnium maximè ad Cauſam faciunt? In ſecunda verò quid ſibi vult exordium illud calliditatis, atque artis plenum, quo conatur oſtendere, plures adhuc virium nervos eſſe Reipublicæ; niſi commotos priori ſermone Cives fuiſſe ad opem ferendam, ſed timere, ne, cum minùs potentia valeant, id fieri poſſit? Tertia denique hoc ſuo loco dimoveri nequit. Quippe parum iſthic Orator commoratur in ſuadenda opitulandi neceſſitate, ſed veluti id jam fuerit conſtitutum, quempiam ita dicentem inducit; *quem noſtrûm fugit, iis opem ferendam eſſe? Nec ferre utique recuſamus: At quo conſilio id à nobis curari poſſit, explanare opus eſt, atque iſtuc nervos omnes intendere.* Quod idem animad-

vertit Ulpianus [2], vetus autor, de ſecunda: ἡ μὲν ὑπόθεσις τῇδε τῇ λόγῳ, καὶ τὰ κεφάλαια, παραπλήσια τῷ πρώτῳ· διενήνοχε δὲ καὶ ἐκεῖνον μόνον, ὅτι ἐν μὲν πρώτῳ ζητεῖται, εἰ χρὴ βοηθεῖν τοῖς Ολυνθίοις; ἐν δὲ τούτῳ τὸ μὲν βοηθεῖν ἤδη δέδεικται. *Argumentum, & capita hujus* (ſecundæ) *Orationis gemina ſunt primæ. In hoc ſolùm differunt, quod in prima quæritur, an auxilium Olynthiis mittendum ſit. In hac jam conſtat mittendum eſſe.* Eſt, qui affirmet in ſecunda multùm differi de ſanciendo cum iiſdem Olynthiis fœdere: in reliquis duabus de cuſtodiendo, veluti jam confecto; proinde illam iſtis præponendam eſſe. At, qui hoc dicit, non ſatis animadvertit, in prima potius agi de hac Societate conſtabilienda, ubi ſtatim Athenienſes admonentur, ne hanc feriendi fœderis opportunitatem negligant, quod fœdus jampridem ſummopere deſideraverant: *Siquidem nunc ſponte accidit*, ſunt Orationis verba, *quod maximè omnium rumore celebrabatur, Olynthios ad bellum cum Philippo gerendum impellendos eſſe &c.* Contra verò in ſecunda dicitur: *eſt quidem turpe &c. nos eo rumore percelli, ut deſeramus non ſolum Urbes, & loca, quibus antea potiebamur, verùm & occaſiones, bellorumque Socios, quos nobis Fortuna comparaverat.* Quis hic initam quoque cum Olynthiis Societatem non videat? Sed jam leviculæ minutæque diſputationi ſit finis.

[B] Olynthus Thraciæ Civitas, ab Olyntho condita Herculis filio ad Strymonis Ripam nonnihil à Mari diſtans, non tamen pelagi uſu caruit, quippe Micybernæ in maritima Urbe Navale habuit atque emporium. Olim à Bottiæis Thracibus habitata fuit, deinde à Chalcidicis. Cum enim poſt Xerxis fugam Artabazus cum exercitus parte per Thraciam iter in Aſiam faceret, haberetque infeſtos Potidæatas, veritus, ne gravius ab Olynthiis damnum acciperet, Urbem vallo cinxit, captamque Critobulo Turonæo tra-

[2] *Ulp. in Enarrat. ſecundæ Olynth.*

didit,

didit, Bottiæis occidione deletis. Critobulus autem, origine Chalcidenſis, illuc Populares ſuos adduxit [b]. Viribus deinceps aucta cognatis per eam regionem urbibus imperavit, maximique nominis fuit. In eam commeare, ac deferere cunctas per Thraciam conſtitutas Chalcidici nominis Civitates, præſertim maritimas, ipſarum incolis Perdiccas Macedoniæ Rex ſuaſit, ut ſe meliùs ab Athenienſibus tuerentur [c]. At opinor, non perſuaſit, cùm deinceps iiſdem Civitatibus Olynthus dominata fuerit. Quibus præcipuè bellis agitata, & in quorum poteſtatem per vices conceſſerit, in argumento explicuimus. Denique Philippus, confirmatâ Regni ſui fortunâ, finitimiſque Nationibus victis, perdere Olynthum quoque in animum induxit, ne ullâ ex parte metuendum ſibi foret; & quam regnandi initio donis, promiſſiſque ſibi devinxerat, ne inimicam haberet, nunc belli occaſionem arripuit, ut veluti provocatis in eam poſſet irruere. Arma idcirco in illam commoviſſe, quod à vexandis Athenienſibus ceſſaſſet, Libanius eſt autor [d]. Fortaſſe Olynthii à Rege diſceſſerant, cum iſte tot, tantiſque injuriis, quas enarravimus, eoſdem Athenienſes laceſſerat Juſtinus, quod Philippi duos fratres ex ejus manibus elapſos, & ad ſe confugientes, benignè exceperit [e]. At quæ cauſa bellandi melior, quàm Regnandi libido, qua ille plurimùm quidem abreptus eſt, haud ſanè alienus ab impia Eteoclis ſententia apud Euripidem.

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος περὶ κάλλιστον
Ἀδικεῖν· τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.
Nam ſi violandum eſt jus, Regnandi gratiâ violandum eſt;
Aliis rebus pietatem colas.

Utor Ciceronis interprete [f]. Ingenti illam apparatu Philippus aggreſſus, non minori munitam reperit,

[b] *Herod. in Melpom.* [c] *a. z. O.* 86. *Diod.* lib. xii. [d] lib. *in arg. hujus Orat.* [e] *Juſt.* lib. viii. [f] *Cic.* lib. i. *de O.* c.

magnis

magnis quoque ſubſidiis ab Athenienſibus ſublevatam, qua de re Demoſthenem [g] audire operæ pretium eſt: narrat enim Urbem clariſſimam proditione captam, quamvis Cives χιλίους μὲν ἱππέας κεκτημένοι, πλείους ὄντες ἢ μύριοι· πάντας δὲ τοὺς περιχώρους ἔχοντες συμμάχους· μυρίοις δὲ ξένοις, καὶ τριήρεσι πενήκοντα ὑμῶν βοηθησάντων αὐτοῖς, καὶ ἔτι τῶν πολιτῶν τετρακισχιλίοις, οὐδὲν αὐτοὺς ἠδυνήθη σῶσαι, *habèrent equites mille, ipſique decem millium numerum ſuperarent: Societate inſuper nectèrentur tum finitimis omnibus; & vos illis auxiliati eſſetis decem millibus mercenariorum militum, quinquaginta triremibus, quatuor quoque Civium millibus; attamen ſalutem tueri ſuam non valuerunt.* Quæ cum Demoſthenes referat oculatus teſtis, ὡς ἐν παρόδῳ repudiandum eſt Philochori teſtimonium, apud Dionyſium Halicarnaſſeum renunciantis, triplex auxilium (quod non moror) Olynthiis Athenienſes miſiſſe; primò ſiquidem ſuppetias iviſſe triginta triremibus, ac duobus hominum millibus, Charete Duce; deinde octodecim navibus, quatuor peditum millibus, Equitibus centum quinquaginta; tertiò ſeptendecim navigiis duobus Popularium ſuorum gravis armaturæ millibus, centum Equitibus. Quæ ſumma nimiùm diſcedit ab Oratoris noſtri autoritate. Demum quid actum fuerit lubet Diodori [h] verbis enarrare: Ἐπὶ δὲ τῷ μεγίστῳ τῶν περὶ τοὺς τόπους τούτους πόλεων Ὀλυνθον στρατεύσας μεθ' ὅλης δυνάμεως, τὸ μὲν πρῶτον νικήσας τοὺς Ὀλυνθίους δυσὶ μάχαις, συνέκλεισεν εἰς πολιορκίαν. Προσβολὰς δὲ συνεχεῖς ποιούμενος, πολλοὺς τῶν στρατιωτῶν ἀπέβαλεν ἐν ταῖς τειχομαχίαις. Τὸ δὲ τελευταῖον, Φθείρας χρήμασι τοὺς προεστηκότας τῶν Ὀλυνθίων Εὐθυκράτη τε, καὶ Λασθένην, διὰ τούτων προδοθεῖσαν τῷ Ὀλύνθον ἑάλω. Διαρπάσαν δὲ αὐτὴν, καὶ τοὺς ἐνοικοῦντας ἐξανδραποδισάμενος ἐλαφυροπώλησε. *Deinde Olynthum Urbium per ea loca maximam cum ingenti militum robore invadens, primùm duplici prælio Cives contrivit, poſtmodum obſidione Civitatem concluſit, in quam cum frequenter impetum faceret, in murorum aggreſſione*

[g] *Demoſth. in Orat. de falſa legat.* [h] *Diod.* lib. xvi.

plerique milites deſiderati ſunt. Tandem corruptis pecuniâ Laſthene atque Euthycrate, Olynthiorum Magiſtratibus, horum proditione ejuſdem potitus eſt. Eâ direptâ, redactis Civibus in ſervitutem, reliquam prædam haſtæ ſubjecit. Nec eo contentus Urbem delevit, victoriamque ludis & comeſſationibus celebravit. In iis dum quidam Regi Urbis excidium gratularetur, reſpondit alius quidam: *atqui talem Urbem nondum condidit.* Sequuta verò ſunt tempora, quibus inſtaurata fuit, ſuæque dignitatis aliquid recuperavit, retinebatque Ciceronis ætate; ſic enim de ipſa loquitur. [i] *P. Servilius vir clariſſimus maximis rebus geſtis adeſt: de te ſententiam laturus eſt. Olynthum vi, copiis, conſilio, virtute cepit, urbem antiquam, & omnibus rebus auctam & ornatam.* Alia deinceps de hac ipſa urbe ſe offerent dicenda; Nunc ſatis.

[c] Amyntas Macedoniæ Rex bello ab Illyriis fractus, in eo fortunæ ſtatu nihil ſibi magis utile exiſtimavit, quam Olynthios beneficiis lucrari, eorumque fovere conſuetudinem. Idcirco Civitatis agrum latioribus finibus amplificavit, omnemque Civibus liberaliter dono dedit. Verùm ſuperato periculo, confirmatoque ſibi regno, & ille repetere munus ſuum, & iſti negare non dubitarunt. Utrinque negotium armis explicandum ſuſcipitur. At Macedo veritus, ne par eſſet Olynthiis ſuſtinendis, Lacedæmonios in belli Societatem adſcivit, qui libenter occaſionem complexi perdomandæ ampliſſimæ Civitatis, augendique per Thraciam Imperii ſui decem bellatorum millia Duce Phœbidâ expedierunt, qui globus cum Amyntæ Copiis conjunctus, Olynthiis bellum acriter intulit [k]; cum autem commiſsâ pugnâ cladem exercitus accepiſſet, proximo Vere mittitur à Lacedæmoniis trium millium ſupplementum; at cum rurſus iniquo Marte pugnatum foret, dant a. 4. ejuſdem Olymp. bellum Ageſipulo Regi ſuo, jubentque Legionum delectum habere, quot eſſe è Republica exiſtimaret,

[i] *Cic. in Ver. act. 1.* [k] *A. ii. O. 99.*

omnemque

omnemque prope belli molem ſuſtinere. Hic magnis eductis Copiis vix in hoſtium fines ingreſſus, fato defunctus eſt. Ei ſuffectus Polybidas rem fortiter geſſit, vallo urbem clauſit, coegitque a. 1. O. 100. Lacedæmoniorum Societatem amplecti, nullâ Macedonis utilitate [l]. Hunc exitum habuit Olynthiacum bellum, paribus eorumdem viribus geſtum, ſed impari lucro. Magno utique documento, plerumque Tenuioribus graves eſſe Potentiorum Societates, qui ſi bellè res cadat, accipiunt victoriæ præmia; ſi malè, cum hoſte æquioribus conditionibus paciſcuntur.

[D] De Leuctrica pugna abunde jam diximus n. A Orationis de Megalopolitis.

Lin. 8. Πύδνης δώρῳ, Ποτιδαιας, &c. Diodorum [m] operæ pretium eſt audire, luculenter his verbis, quid in hujuſmodi re interceſſerit, enucleantem: Ευθὺς γὰρ τῳ μὲν Πύδναν ἐχειρώσατο, πρὸς δὲ Ολυνθίους συμμαχίαν ἔθετο, καὶ Ποτίδαιαν ὡμολόγησε ποιήσειν αὐτοῖς, ὑπὲρ ἧς Ολύνθιοι πολλῷ πρόθυμοι ἦσαν κυριεῦσαι τῆς πόλεως. τῶν Ολυνθίων βαρεῖαν πόλιν οἰκούντων, καὶ διὰ τὸ πλῆθος τῶν τάττειν ἐνοικούντων πολλῷ ἐχόντων ῥοπὴν εἰς τὸν πόλεμον, πρεσβεύοντος ἦν ἡ πόλις ἡγεμονίας μείζονος ὀρεγομένοις. Διόπερ οἵ τε Αθηναῖοι, καὶ ὁ Φίλιππος διεφιλοτιμοῦντο πρὸς ἀλλήλους περὶ τῆς τῶν Ολυνθίων συμμαχίας &c. Τῳ δὲ Πύδναν ἐξανδραποδισάμενος παρεδώκει τοῖς Ολυνθίοις, δωρησάμενος ἅμα καὶ τὰς καλὰς τὴν χώραν κλήσεις. *Statim ac Pydnam* (Philippus) *in poteſtatem redegit, fœdus iniit cum Olynthiis, pollicitus Potidæam ipſis acquiſiturum, quam Civitatem Olynthii ſuam eſſe vehementi ſtudio exoptabant. Hi enim cum maximi momenti Urbem incolerent, eaque propter Civium frequentiam magnum in bello pondus afferret, ipſorum Societas grandi contentione ab iis requirebatur, quibus Imperium ſuum augere cordi erat. Quamobrem tum Athenienſes, tum Philippus inter ſe contendebant, quisnam Olynthum ſibi poſſet fœdere obſtringere &c. Philippus igitur ſubactâ Pydnâ, eam conceſſit Olynthiis, quibus & omnes per eandem re-*

[l] *Diod.* lib. v. [m] *Diod.* lib. xvi. *a* 3. O. 105.

gionem

gionem agros dono dedit. Luculentiori profectò testimonio in rem noſtram non indigemus.

IN ORATIONEM.

[F] ASſentior Ulpiano [n] reputanti Demoſthenem inpræſentiarum Theatralem pecuniam indicare, ſed obſcurè, ne, ut mox adnotabimus, capitis pœnam adiret. Cum enim mente animoque prævideret, obtentam Ærarii tenuitatem impedimento fore, quominus Olynthiis auxilia decernerentur, mirâ ſagacitate præparat Civium animos, ut ſi videant è Republica eſſe conferre illis opem, libenter huic uſui remittant pecuniam publicam, quam Theatri nomine accipiebant. Id autem tacitè ac leniter monet. Nam, ut rem altiùs repetamus, Athenienſes, æquè ac Romani, ſpectaculorum ludorumque avidiſſimi in præoccupandis Theatri ſedibus acerrimè rixabantur. Iis contentionibus amovendis lege cautum fuit, ut unuſquiſque erogato pretio locum ſibi in Theatro, quod tum ligneum erat, compararet; futurum profectò, ut multos detineat argenti inopia & frequentiam imminuat. Hinc autem gravius incommodum exortum eſt. Siquidem Potentiores Clientibus locum coemebant ſibique ipſorum ſuffragia lucrabantur; quo nihil acerbius, nihil perniciosius liberæ Civitati poteſt accidere. Id etiam Romæ uſu veniſſe nemo quidem ignorat, ubi lege Calpurnia de ambitu crimen erat, *ſi mercede conducti obviam Candidatis eſſent, ſi conducti ſectarentur, ſi gladiatoribus vulgo locus tributus, & item, prandia ſi vulgo eſſent data, contra legem Calpurniam factum, videri,* ut eſt in Ciceronis Oratione pro Muræna. Huic Athenis malo Pericles obviam ivit; cujus conſilio Populus juſſit, ut ex Ærario, Theatri causâ, duo unicuique oboli darentur. At cum inde militaris

[n] *Ulp. in Enarrat. hujus Orat.*

militaris pecunia penitus exhauriretur, Apollodorus quidam, eam Theatro demere, ac militiæ reſtituere conatus eſt; verùm tanto plebis odio, ut Eubulus tunc Magiſtratus, ad ineundam popularem gratiam, legem ſcripſerit, qua Theatralem iſtam pecuniam in militarem convertere proponenti pœna capitis conſtituebatur, eamque legem plebs ſcivit[o]. Attamen magna urgente neceſſitate abrogata fuit, ut aliàs dicemus. Nullus dubito, memoratos duos obolos non tunc ſolùm à Civibus acceptos, cum ludi ac ſpectacula edenda forent. Nam quæ inde Ærario tanta pernicies obvenire potuiſſet, quantum perpetuò exaggerat Demoſthenes, in tantis præſertim Reipublicæ Vectigalibus? Nec puto, ut Libanius ait, ſingulis locis pretium duorum obolorum fuiſſe conſtitutum. Quin illi apertè contradicit Ulpianus[p], affirmatque, alterum è duobus obolis victui, alterum ſubſelliis comparandis inſervíſſe: Ἐπειδὴ χρήματα ἔχουσες στρατιωτικὰ οἱ Ἀθηναῖοι ἀναγκος δύτα πεποιήκασι θεωρικὰ, ὥστε λαμβάνειν ἐν τῷ θεωρεῖν ἕκαστον τῶν ἐν τῇ πόλει δύο ὀβολὸς, ἵνα τὸν μὲν ἕνα καλάχῃ εἰς ἰδίαν τροφὴν, τὸν δὲ ἄλλον παρέχειν ἔχωσι τῷ ἀρχιτέκτονι τὸ θεάτρου. *Poſtquam verò Athenienſes quam paudò ante pecuniam ſtipendii militaris loco accipiebant, Theatralem fecerunt, habebatque unuſquiſque ad ſpectacula duos obolos, alterum quo ſibi victum emeret, alterum, quem Theatri Architecto exhiberet.* Et ſane arbitror eoſdem obolos quotidie plebi datos, ut illud ipſum ſtipendium, quod prius militantibus perſolvebatur, ſinguli pro Theatro deſumerent, quo pacto Ærario quidem maximum vulnus inferebatur. Ita rem contigiſſe Demoſthenes indicat in fine tertiæ Olynthiacæ, ubi pecuniam iſtam non adimit, ſed iterum fori militiæque ſtipendio reſtituit. Verùm ut illuc redeam, unde digreſſus ſum, Oratorem exiſtimo, dum iis, quæ interpretamur, verbis ad dicendum aggreſſus eſt, hanc pecuniam ante oculos habuiſſe, non vagam, interminatamque ſententiam dicere

[o] *Ulp. ibidem Lib. in argum. hujus Orat.* [p] *Ibidem.*

voluiſſe,

voluiſſe, ut aliquis putat. Siquidem frigidum inſulſumque fuiſſet, neque è Demoſthenis gravitate in re tam gravi veluti otiosè philoſophari; atque ita bellè Concionem exordiri. *Puto vos, Athenienſes, optima conſilia cuicumque Theſauro prælaturos, quippe auro pretioſora.* Præterquam quod non eſt Demoſthenici moris ex alienis rebus initium loquendi petere, ſed è Cauſæ, ut aiunt, viſceribus.

[G] Profectò Olynthii non ignorabant, ſe modò cum Philippo non decertare pro Imperii finibus, de quibus nulla erat controverſia; ſed pro patria ac libertate. Quippe non eos latebat, occupandæ Urbis locupletiſſimæ, infeſtæ, finitimæque nunquam Macedonum Regibus defuiſſe voluntatem; hinc enim iſti ſibi frænum injectum conſpiciebant, ne dilatarent Imperii fines; firmiſſimumque extolli propugnaculum, unde ſibi negotium poſſet exhiberi. Quod ſi Philippum in ipſo regnandi exordio beneficium experti fuerant, inde ſibi magis timendum arbitrabantur. Tenebant enim ea benevolentiæ indicia infida eſſe, ac periculoſa, quæ timor exprimat.

[H] De Amphipoli à Philippo captâ hæc ſolùm habentur in Diodori [9] Hiſtoria: *μετὰ ταῦτα τὴν Ἀμφίπολιν οἰκείων ἀλλοτρίως πρὸς αὐτὸν (Φίλιππον) διαθέντων, καὶ πολλὰς ἀφορμὰς δόντων εἰς πόλεμον ἐπιφάνειαν ἐπ' αὐτὴν ἀξιολόγῳ δυνάμει.* Προσαγαγὼν δὲ τοῖς τείχεσι μηχανὰς, καὶ πολιορκίας ἐνεργὸς, καὶ συνεχεῖς ποιησάμενος, καθέβαλε μὲν τοῖς πλησίον μέρος τι τοῦ τείχους· παρεισελθὼν δ' εἰς τὴν πόλιν διὰ τοῦ πλήθους, καὶ τῶν ἀνιστάντων πολλοὺς καταβαλὼν, ἐκυρίευσε τῆς πόλεως. Καὶ τοὺς μὲν ἀλλοτρίως πρὸς αὐτὸν διακειμένους ἐφυγάδευσε, τοῖς δ' ἄλλοις φιλανθρώπως προσωμίλησεν. Ἡ δὲ πόλις αὕτη κειμένη κατὰ τῆς Θρᾴκης, καὶ τῶν συνεγγὺς τόπων εὐφυῶς, πολλὰ συνεβάλετο τῷ Φιλίππῳ πρὸς αὔξησιν. Εὐθὺς δὲ τὴν μὲν Πύδναν ἐχειρώσατο. *Quibus peractis, cum Amphipolis Cives alieno erga ipſum* (Philippum) *animo forent, multaſque motis in Macedoniam bellis opportunitates præberent, juſto exercitu illos invadit. Ad-*

9 *Diod.* lib. xvi. *a.* 3. O. 105.

motis

motis igitur ad muros bellicis tormentis, atque obſidionem vehementer & ſine ulla intermiſſione urgens, ariete muri partem dejecit, per mediamque cædem in urbem ingreſſus, iiſque proſtratis, qui obſiſtebant, ejuſdem potitus eſt. Ejectis iis, qui adverſati fuerant, reliquos humaniſſimè excepit. Ipſa verò Civitas in Thraciæ finibus poſita, aliiſque circùm locis imminens, multam Imperii augendi opportunitatem Philippo contulit. Nam illicò Pydnam ſubegit. Id ſanè parum congruit huic Demoſthenis dicto, quo ſe fonte Philippo dediſſe videntur Amphipolitæ. Cuinam igitur fides adhibenda eſt? Demoſtheni qui neget, puto, neminem fore; quippe rem narrat ſuâ ætate, ac nuper geſtam; neque hìc Oratoris ars, qua cuncta ad propriam utilitatem revocare ſolet, habet locum, niſi mendacii notâ velit inuri. Ex adverſo Diodorus, qui è σωχρόνοις autoribus collegit Hiſtoriam ſuam, non facilè repudiari poteſt. In hac igitur eventus ambiguitate id mihi perſuaſum eſt, Amphipolim Philippum obſediſſe, machinis oppugnaſſe, omnique uſum belli arte, ſed eorum, qui ejus parti favebant, occulto conſilio atque operâ Urbem cepiſſe; dum interim cæteri Cives proditionis ignari Patriam conſtanti animo tuerentur, ut ſæpius alibi uſu veniſſe legimus. Partâ ſibi victoriâ, Proditores primùm lætâ fronte complexum; eos deinde, ut tot reliquos, quod ait Orator, malè habuiſſe; arte huic Regi conſuetâ, memorando perditis hiſce viris exemplo.

[1] De Pydna eadem intercedit difficultas. Ipſius à Philippo ſubactæ armorum vi Diodorus meminit paucis iis verbis, quæ mox retulimus. Etenim χειρόομαι verbi, quo utitur, ſignificatio nunquam ſine vi reperitur. Contra Demoſthenes hanc etiam proditione captam affirmat. Itaque vel uterque, ut dudum de Amphipoli, pari formâ unus alteri conciliandus eſt, vel deferenda Sicilienſis auctoritas. Cæterum in tanta hiſtoricorum Græcorum jactura nullum è veteribus monumentis teſtimonium alterutri adjungi poteſt.

teſt. Sunt in Pariſienſi Ulpiani Codice acceſſiones aliquæ ad jampridem receptas ejuſdem enarrationes, quarum una ſic habet: Πύδνα τὸ νῦν Κύτρος. Πύδνα πόλις Μακεδονίας· ἄυτη ἀπέστη τῦ ὑπακούειν Φιλίππῳ, καὶ ἐπολέμησε καὶ αὐτῆς, καὶ περὶ ταύτῶν τοιῦτόν τι συνέβη· καθεῖτε γάρ τινες προδεδώκασιν· εἶτα ὕστερον γνόντες, ὡς ἂν αὐτῶν φείσαιτο, ἔφυγον ἐπὶ τὸ Ἀμύντιον ἱερὸν τῦ πατρὸς αὐτῦ. Κολακεύοντες γὰρ αὐτὸν πρώην οἱ Πυδναῖοι, ἱερὸν αὐτῷ ἐποίησαν. Αλλ' ἀναιρήσας αὐτὲς ὅρκοις ἐπὶ τὸ μηδὲν ποιῆσαι, ἐξελθόντας ἀνεῖλε. *Pydna, nunc Cytros. Pydna Macedoniæ Civitas à Philippo defecit, ab ipſoque bello petita eſt. Ibi quidpiam accidit hujuſmodi. Urbem aliqui Regi proditione dederant. At cum deinde comperiſſent ne ipſis quidem parcere, in Templum fugerunt Amyntæ ejus Patri ſacrum. Siquidem adulati, nuper huic Fanum dicaverant. Verùm ille datâ ſecuritatis fide ad egrediendum ſuaſit, egreſſoſque interemit.* Id utique Demoſthenis ſententiam mirificè comprobat. At cum Ulpianus hujuſce rei nullum afferat teſtimonium, ipſe dictum ſuum tueatur.

[κ] Locus iſte non parvâ laborat difficultate. Memorat enim Demoſthenes illatas à Philippo injurias Olynthiis, nec leves quidem; quippe illarum recordatione vehementer commovebantur. At quando eas accipere potuerunt? Rex iſte maximus a. 1. O. 105. Regni habenas ſuſcepit, rebus adeo perturbatis, tantiſque cum Illyriis, cum Pæone, cum Argæo Regnum appetente implicatus bellis, ut vix anno tertio à metu reſpiraverit. Tunc datâ Olynthiis Pydnâ non ſolùm illos infeſtis armis non laceſſivit, ſed beneficiis ingentibus cumulavit. Ab hoc tempore ad hunc noſtrum a. 4. O. 107. novem interceſſerunt anni, quibus hoſtili in eoſdem animo fuiſſe, ullumque intuliſſe damnum nemo tradit. Cum tamen Demoſthenis autoritas ſarta tecta ſervari debeat. Quam itaque aperiam viam rei evolvendæ? Profectò non ſufficit, vago ſermone damna atque injurias comminiſci; ſed cum accidat, illas ab omnibus præ-

ter Demoſthenem ſilentio præteriri, quærendum eſt, quo tempore & occaſione potuerint injungi, ut rem geſtam Hiſtoricorum monumentis non repugnare teneamus. Bis Philippus hoc intervallo temporis in Thraciam iter arripuit. Semel a. 1. O. 106. cum in eum conſpirantibus Thracum, Pæonum, Illyriorumque Regibus, inopinatò ſingulos oppreſſit [f]. Iterum a. 4. ejuſdem Olympiadis, cum Methonem obſedit, captamque excidit. Tunc igitur, & initio hujus an. 4. O. 107, antequam iſti Legationem Athenas decreviſſent, Olynthiorum agros vaſtaſſe prope abeſt à vero, ulturum aut fortè miſſum Methonæis auxilium, initamque cum Kerſoblepte ſibi inimico ſocietatem, aut certè percuſſum cum Athenienſibus fœdus.

[L] Eodem anno, ſcilicet 3. O. 105, quo civile in Eubœa bellum accenſum eſt, Philippus Amphipolim expugnavit, ſed illud Athenienſium ope prius extinctum eſt, quàm iſta in Regis poteſtatem venerit, ut patet ex Diodoro [t]. Id optimè convenit cum hoc Demoſthenis loco, quòd ſcilicet ex illa expeditione redeuntibus Athenienſibus ſeſe obtulerint Amphipolitarum Legati Hierax & Stratocles, auxilium periclitanti Patriæ poſtulantes. Vide quæ in hanc ipſam rem diximus n. [m] Orat. primæ contra Philippum.

[M] Huic loco illuſtrando faciunt, quæ diximus num. 7. laudatæ modo Orationis, ubi oſtendimus nequaquam has urbes, dum à Philippo obſiderentur, ab Athenienſibus neglectas, ſed fatali quadam ſocordiâ ſerò ſummiſſum iis auxilium, irrito conatu, nulloque fructu.

[N] Quot locis orbati, quantaque veteris Imperii parte carerent, hoc tempore Athenienſes è nota [r] ejuſdem Orationis primæ contra Philippum repetendum eſt. Quàm verò ad ipſum recuperandum opportuna foret Olynthus, latè ſitus Urbis demonſtrat, imminentis Thracio litori, ubi pars oppidorum major, quibus Athenæ deſpoliatæ fuerant, jacebat.

[f] *Diod.* lib. xvi. [t] *Diod. ibidem.*

Pag.

Pag. 69. l. 18. Μετὰ ταῦτα Φέρας, &c. Pheræ Theſſaliæ Civitas, prope Bœbeidem lacum [u] à Phere Crethei, aut Phera Æoli filia nomen habuit, celebris Pharææ Dianæ Signo, quod illinc Athenas adductum magnâ religione Athenienſes venerabantur [w]. In ea Tyrannidem exercuit Alexander ejus Civis, qui, ut aliàs retulimus ann. 4. Olymp. 107. à Lycophrone ac Tiſiphono, Thebes ejus conjugis fratribus, trucidatus, iſtorum & Pitholai Tyrannidi locum dedit. Theſſali Philippi opem implorarunt, ut ab ipſis excuteret diriſſimæ ſervitutis jugum; quamobrem non ſemel acie decertavit, ac denique a. 1. O. 107. voti compos effectus eſt. Nam penitus profligatis Phocenſibus Sociis, captoque Onomarcho eorumdem Phocenſium Duce, mortique tradito, Lycophron & Pitholaus, qui Tyrannorum ſupererant, τὰς μὲν Φερὰς παρέδοσαν τῷ Φιλίππῳ, &c. ὁ δὲ τὴν Τυραννίδα καθεῖλε, καὶ τῇ πόλει τὴν ἐλευθερίαν ἀπέδωκε, καὶ τἄλλα τὰ κατὰ τὴν Θετταλίαν κατέστησας; παρῆν ἐπὶ τὰς Πύλας πολεμήσων τοῖς Φωκεῦσι, *Pheras Philippo dederunt, &c. qui Tyrannidem evertit, atque urbe in libertatem reſtitutâ, Theſſaliæque rebus compoſitis, ad Pylas venit, bello deleturus Phocenſes* [x]. Cum verò Pitholaus Urbem ac Tyrannidem rurſus arripuiſſet, ἐπὶ τὰς Φέρας τῆς Θετταλίας παρελθὼν (ὁ Φίλιππος) Πιτθόλαον διωκηκότα τῆς πόλεως ἐξέβαλεν, *Pheras Theſſaliæ* Philippus *adveniens, Pytholaum Urbi dominantem ejecit.* Quo tempore præſidium illi impoſuiſſe opinor, de quo ab Oratore fit mentio [y]: Καὶ μὲν καὶ Φερὰς, πρόσθεν ὡς φίλος καὶ σύμμαχος εἰς Θετταλίαν ἐλθὼν, ἔχει κατάληψιν, *Et quidem Pheras, nuper ut amicus & ſocius in Theſſaliam veniens, occupavit ac retinet.* Dum mihi Pherarum Tyranni ante oculos obverſantur, venit in mentem admirari, qui tantus error Ulpiano ſubrepſerit, affirmanti eam Tyrannidem non ab iis, quos nominavimus, fuiſſe occupatam, ſed à gente Alevadarum. Ἡ ἱππεία ἔτως, ſunt ejuſdem Ulpiani verba.

[v] *Steph. Strabo*, lib. ix.
[w] *Pauſan. in Corinth. Or.* 2.
[x] *Diod.* lib. xvi.
[y] *Demoſth. Philipp.* iii.

Αλεύας ἀπογόνος τῦ Ηρακλέυς, Θετταλὸς, ἐτυράννησε Θετταλῶν, εἶτα καὶ οἱ τότε παῖδες. Μὴ φέρονλες ἂν τὴν Τυραννίδα οἱ Θετταλοὶ, καὶ ἀπορῦντες, τί δεῖ ποιεῖν, μεῖτεπέμψανλο εἰς συμμαχίαν τὸν Φίλιππον. Εἶτα ἐλθὼν ἐκεῖνος, ἐξέβαλε τὰς Αλεβάδας ἐκ τῆς Τυραννίδος. *Hiſtoria ſic habet. Alevas ex Herculis gente Theſſalus, in hos populos Tyrannidem habuit, ejuſque deinceps filii. Quam Tyrannidem cum Theſſali iniquè ferrent, dubitarentque, in ipſam quid agere poſſent, Philippi ſocietatem Legatione poſtularunt. Is igitur illuc progreſſus, Alevadas Tyrannide ejecit*[a]. Siquidem tantum abeſt, ut illâ tunc Alevadæ potirentur, quin de jampridem eradicanda cogitaverint. Nam cum Polydorus Pheræus, qui Theſſaliæ vi dominabatur, ab Alexandro fratre veneno ſublatus, huic locum occupandæ Tyrannidis reliquiſſet an. 4. O. 102. Alevadæ, odio in Tyrannum acti, ad Alexandrum Macedoniæ Regem, Philippi fratrem natu maximum, confugerunt, ſumptiſque ab illo auxiliis, reliquas Theſſaliæ urbes in libertatem vindicarunt; Pheris autem expellere non potuerunt, ut Diodorus eſt auctor[b]. Διὸ καὶ τλὼ παρανομίαν φοβηθέντες τῶν Λαρισσαίων τινὲς, οἱ δι' ἐυγένειαν Αλεβάδαι προσαγορεύόμενοι, συνέθεντο πρὸς ἀλλήλυς καλαλῦσαι τλὼ δυναστείαν. Αποτλαθόντες ἢ ἐκ Λαρίσσης εἰς Μακεδονίαν, ἐπεισθον Αλέξανδρον τὸν Βασιλέα συγκαλαλῦσαι τὸν Τύραννον &c. *Quapropter ejus* (Alexandri Pheræi) *metuentes improbitatem Lariſſæorum aliqui, propter generis nobilitatem Alevadæ*, (ſcilicet ab Alevade oriundi) *nuncupati, ejus evertere principatum inter ſe conſpirarunt. Igitur Lariſſâ in Macedoniam profecti, Alexandro Regi ſuaſerunt, ut conſociatis viribus Tyrannidem ſolveret, &c.* Verùm a. 4. O. 105. Pheras quoque, Philippo manum operi admovente, liberarunt. Οἱ ἢ Αλβάδαι, rurſus Diodori[b] utor teſtimonio, καλούμενον παρὰ τοῖς Θετταλοῖς, δι' ἐυγένειαν δ' ἀξίωμα ἔχοντες περιβόητον, ἀπέπεμψαν τοῖς Τυράννοις. Οὐκ ὄντες ἢ καθ' ἑαυλὲς ἀξιόμαχοι, προσελάβοντο Φίλιππον σύμμαχον τῶν Μακεδόνων Βασιλέα. Οὗτος δ' ἐπελθὼν εἰς τλὼ Θετταλίαν καλαπολέμησε τὲς Τυράννυς, καὶ τοῖς

[a] *Ulp. in Orat. hujus Orat. Diod.* lib. xvi. [b] *Idem*, lib. xvi.

πόλεσιν

πόλεων ἀναλησάμενος τὴν ἐλευθερίαν, μεγάλῳ εὔνοιαν εἰς τοὺς Θετταλοὺς ἐνεδείξατο. *Qui verò Alevadæ apud Theſſalos appellantur, generis nobilitate autoritateque illuſtres, ſeſe Tyrannis oppoſuerunt. At cum illos ſuis viribus acie vincere poſſe diffiderent, ſibi ſocium Philippum Macedoniæ Regem adſciverunt. Hic in Theſſaliam adveniens Tyrannos bello proſtravit, comparatâque urbibus libertate, maximâ Theſſalos benevolentiâ proſequutus eſt.* Alevas iſtorum proavus Theſſaliæ imperium gerebat, cum Xerxes in Europam tranſmiſit, eique cum Piſiſtratidis ad hanc expeditionem incitamento fuit. Quod ſcelus in communem Patriam Theſſali execrati, Legatos, ad totius Provinciæ Conventum, qui in Corinthiaco iſthmo celebrabatur, miſerunt, aliquam militum manum orantes, quæ cum ipſis conjuncta ad Olympi anguſtias tranſitum Xerxi prohiberet[c]. Cheræ, ut unum hoc addam verbum, nunc *Jenizar* dicitur.

Ibid Παγάσας. De Pagaſis abunde dictum eſt in Annotationibus ad 1 Phil. Nota 7.

Ib. Μαγνησίαν. Magneſia, Theſſaliæ pars inter Thermaicum Pelaſgicumque ſinum, tota Poeticis fabulis illuſtrata; habet enim celeberrimos montes Olympum, Pelion, Oſſam, Peneum flumen, atque amœna Tempe, quæ ſic Plinius[d] deſcribit: *In eo curſu* (Penei ſcilicet) *Tempe vocantur, quinque millium paſſuum longitudine, & fermè ſeſquijugeri latitudine, ultra viſum hominis attollentibus ſe dextrâ lævâque leniter convexis jugis. Intus ſuâ luce viridante allabitur Peneus, viridis calculo, amœnus circa ripas gramine, canorus avium concentu.* Quem locum prius ſtagnantibus Penei aquis occupatum, in jucundiſſimam vallem ferunt converſum fuiſſe, dum, terræ motus vi aperto inter Olympum atque Oſſam aditu, flumen effluxit. Duas quoque habuit præcipuas Urbes Melibœam, Magneſiamque: hanc a Mæne dictam exiſtimo, ut de cognomine Provincia refert Euſtathius, alteram a Mænes uxore, ut idem tradit: Μάγνητες ἐκλήθησαν ἀπὸ ἀνδρὸς ἐπιφα-

[c] *Herod. in Polym.* [d] *Plin.* lib. iv. cap. 8.

χῆς. Μαίνης γὰρ, φησὶν, εἷς τῶν Αἰολιδῶν, ὑπὸ τὸ Πήλιον ὄρος κτίσας πόλιν, ἀπὸ τῆς γυναικὸς Μελίβοιαν ἐκάλεσαν· ὕστερον δὲ πᾶσαν χώραν Μαγνησίαν. *Magnetes vocati ſunt ab homine illuſtri. Fertur enim, Mænes, Æolidarum unus, ſub Pelio monte Urbem fabricaſſe. Quam ex ejus conjuge Melibœam vocarunt. Deinde regionem omnem, Magneſiam*[c]. Hujus, & cognominis Urbis tunc Philippum potitum fuiſſe non dubito, cum Pheras obtinuit. Non tamen eam communire permiſſus eſt, Theſſalis prohibentibus, ut mox à Demoſthene affirmatur. Quamobrem cautè Ulpiani teſtimonium accipiendum eſt, renunciantis a Philippo caſtellum Magneſiæ ſuiſſe impoſitum, frænum Urbi, provinciæque; ſed ab eo communiendo deturbatum. Veriùs enim illud extruere in animo habuiſſe, ac fortè inchoatum fuiſſe credendum eſt. Nam excitatâ munitione nihil profectò ad perterrefaciendam Civitatem defuiſſet. Hanc autem, ut Corinthum, & Chalcidem, quas Græciæ claves nuncupabat, præſidiis firmavit Philippus Demetri filius, ut Pauſanias[f] memoriæ hominum conſignavit.

Ibid. l. 21. ἐκεῖ τὰς μὲν ἐκβαλὼν, τὰς δὲ καθαιρήσας τῶν βασιλέων, &c. Quid autem de memoratis hoc loco Thraciæ Regibus, a Philippo aut in ordinem redactis, aut conſtitutis dicemus? Cotys, qui Threicium Imperium tenebat, deceſſit ann. 4. O. 106, ac ſtatim non ſolùm Kerſobleptes ejus filius, ſed Amadocus, & Beriſades. τρεῖς ἀνθ' ἑνὸς γενέσθαι Θρᾴκης βασιλέας, *tres pro uno Thraciæ Reges fuerunt*, ſunt Demoſthenis[g] verba, à quo, & à Juſtino[h] plura mutuanda ſunt, ut quid in hac re geſtum fuerit, conſpiciatur. Nam Diodorus ſolùm meminit ſuſceptæ à Philippo adverſus Methonæos expeditionis, quæ tamen in hoc univerſo facinore continetur. Tres ii Reges, unuſquiſque ſibi, Athenienſium amicitiam poſtularunt. Verùm Kerſobleptes Cauſam vicit, Cherſoneſi præter Cardiam dono comparatâ ſibi reipublicæ ſocietate.

[c] *Euſt. in Iliad.* B. [f] *Pauſan. in Achaic.* [g] *Demoſth. in Orat. adverſ. Ariſtocr.* [h] *Juſtin.* lib. viii. cap. 3.

Sequitur

Sequitur enim Demosthenes: Συμβέβηκε γὰρ ἐκ τούτου, ἀυτοῖς ἀνὶ παλαις εἶναι τούτους, ὑμᾶς δὲ ὑπερχεῶθαι, καὶ θεραπεύειν. Τοῦτο τοίνυν, ὦ ἄνδρες Αθηναῖοι, βελόμενοί τινες ποιῆσαι, καὶ καταλύσαι μὲν τὰς ἑτέρας Βασιλείας, παραδοῦναι δ' ἑνὶ τῷ Κερσοβλέπτη τινὶ ἀρχὴν ἅπασαν, διαπράττονται σφίσι τοῦτο γενέσθαι τὸ προβούλευμα, &c. *Hinc verò contigit iſtos inter ſe diſſidere, & vos obſervare, officiiſque colere. Itaque iſtam, Athenienſes, contentionem cum aliqui vellent dirimere, ac reliquos Reges exauctorare, unumque totius Regni compotem Kerſobleptem facere, curarunt, ut iſtud fieret decretum, &c.* Et Diodorus[1]: Κερσοβλέπτης ὁ τοῦ Κότυος, διά τε τὴν πρὸς Φίλιππον ἀλλοτριότητα, καὶ τὴν πρὸς Αθηναίους φιλίαν, ἐγχειρίσαντος τοῖς Αθηναίοις τὰς ἐν Χερρονήσῳ πόλεις πλὴν Καρδίας, &c. *Cum Kerſobleptes Cotys filius à Philippo alienus, Athenienſibus familiaris, in iſtorum manus dediſſet Cherſoneſi Urbes præter Cardium.* Quæ dum ita geruntur, Philippus advenit, movet arma, alicui Regum infeſtus, alicui blandus. At cuinam alterutra ſors obtigit? Res quidem ad explicandum difficilis, ſed ex iſto quoque vado emergendum eſt, quantum exilibus ingenii mei viribus liceat. Puto igitur, Amadocum & Beriſadem è regno dejectos, Kerſobleptem ac Terem à Macedone confirmatos. Juſtinus enim ſcribit laudato loco, in hac ipſa expeditione, aliquos Threiciorum Regum, Philippi inſidiis circumventos occidiſſe. Horum unum Beriſadem eſſe dubitare non ſinit Demoſthenes in Ariſtocratea, quam habuit a. 1. O. 107. ubi fato ille functus dicitur: Επειδὴ γὰρ ἑνὸς τελευτήσαντος τῶν Βασιλέων Βηρισάδου, παραβὰς τοὺς ὅρκους, καὶ τὰς συνθήκας, ἃς μεθ' ὑμῶν ἐποιήσατο Κερσοβλέπτης, ἐξέφερε πόλεμον πρός τε τοὺς Βηρισάδου παῖδας, καὶ πρὸς Αμάδοκον. *Poſtquam verò, Beriſade, Regum uno, è vivis erepto, Kerſobleptes violatis jurejurando ac pactis, quæ vobiſcum inierat, bellum intulit Beriſadis filiis atque Amadoco.* Quem quidem Amadocum eſſe ex iis alterum, quos Juſtinus celeriter obiiſſe dicit, hinc non temerè conjicitur, quod ejus nullam

[1] *Diod.* lib. xvi.

deinceps mentionem fieri videam. At quamvis hæc facilè concedi poſſint, non tamen, dicet aliquis, æquè promtus quiſpiam erit ad concedendum, beneficum fuiſſe Philippum in Kerſobleptem, quem dudum audivimus infenſum illi ſe oſtendiſſe, ſibique Athenienſes demeruiſſe, traditâ Cherſoneſo. Verùm non ita res habet. Demoſthenes enim in laudata Ariſtocratea ſæpe ſæpius nos docet, & hac illum Provinciâ ceſſiſſe, quia nulla ſpes erat retinendæ, & infidum eſſe Reipublicæ, & occultè Philippum colere. Quocirca exiſtimari debet, in Regno ejus quoque voluntate permanſiſſe. Quod autem permanſerit ad annum uſque ſecundum O. 109. certum facit Diodorus, ut mox referemus; et ſanè cum longè latéque a. 4. O. 106. Macedonis arma in Thracia dominarentur, quis non videt, nonniſi hujus voluntate Kerſobleptem potuiſſe Regnum retinere? Teren pariter alterum ex erectis confirmatiſque Regibus fuiſſe, nemo, puto, inficiabitur, ſi ſecum animo cogitet, Philippum in ſuâ, quam Latio donavimus, datâ ad Athenienſes Epiſtolâ ſcribere: *Τήρην μὲν μετ' ἐμοῦ στρατεύόμενον ἐφ' ὑμᾶς, Teren mecum adverſus vos arma geſſiſſe:* quare Socium Regem profectò non expulit, & uſque ad memoratum a. 2. O. 109. regnare permiſit. At qua ratione iſta connecti queant cum iis, quæ habet Philippus in eâ ſuâ ad Athenienſes Epiſtolâ, qua poſtulantibus illis, ut Teren & Kerſobleptem in Regnum reſtituat, liberè ſe id effecturum negat? *ἀλλὰ πρὸς τοῖς ἄλλοις, ἡ γραφὴ ἐν τοῖς ψηφίσμασιν, ἐμοὶ προστάττοντες, Τήρην καὶ Κερσοβλέπτην ἐᾶν Θρᾴκης ἄρχειν* &c. *Ἐὰν δὲ πείσητε τοὺς ἐκβαλόντας ἐκαλέρους αὐτῶν ἀποδοῦναι πάλιν τὰς ἀρχὰς τοῖς ἐκπεσοῦσι, νομίζεσθε καὶ παρ' ἐμοῦ τιμὴν Θρᾴκην ὅλην Τήρης καὶ Κερσοβλέπτης ἄρχειν. Verùm præterea & in veſtris decretis mihi pro Imperio mandatis, ut Teren & Kerſobleptem Thraciæ dominari permittam, &c. Cum igitur eos perſuaſeritis, qui horum* (Evagoræ Cyprii Dionyſiique Syracuſani) *utrumque ejecerunt, ipſis Regnum reſtituere, tunc & à me Thraciam recuperabitis, quam Teres & Kerſobleptes tenuit.*

Optimè

Optimè quidem. Nam eæ literæ, ut ſuo loco dicemus, conſcriptæ ſunt à Philippo a. 1. O. 110. Rex autem utroſque illos Reges ejecerat a. 2. O. 109. ſcilicet decem annis, poſtquam ipſis Regnum gubernandum reliquerat. Et ſanè de Kerſobleptе diſertis hiſce verbis narrat Diodorus [k]. Φίλιππος τὰς ἐπὶ Θρᾴκῃ πόλεις Ἑλληνίδας εἰς εὔνοιαν προσκαλεσάμενος, ἐστράτευσεν ἐπὶ Θρᾴκιλλω. Κερσοβλέπτης γὰρ ὁ Βασιλεὺς τῶν Θρᾳκῶν διῄρει τὰς ἐφ' Ἑλλησπόντῳ πόλεις ὁμορούσας τῇ Θρᾴκῃ καλασκευαζόμενος, ἀφ' ἑτοίμου ὁρμώμενος, ἐστράτευσεν ἐπ' αὐτοὺς σὺν πολλῇ δυνάμει. Νικήσας δὲ πλείοσι μάχαις τοὺς Θρᾷκας, τοῖς μὲν καταπολεμηθεῖσι Βαρβάροις προσέταξε δεκάτας τελεῖν τοῖς Μακεδόσι. Αὐτὸς δ' ἐν τοῖς ἐπικαίροις τόποις κτίσας ἀξιολόγους πόλεις ἔπαισε τοὺς Θρᾴκας. *Philippus Græcis in Thracia Urbibus ad mutuam benevolentiam invitatis, in ipſam Thraciam bellum movit. Etenim Kerſobleptes ipſorum Rex Urbes Thraciæ finitimas evertere, regionemque vaſtare non deſinebat. Cum igitur Philippus vellet Barbarorum audaciam frangere, expeditionem in eos ſuſcepit ingenti militum vi. Devictis autem Thracibus non uno prælio, iis, qui ſecum armis decertare non dubitaverant, decumas impoſuit, Macedonibus perſolvendas. Et ipſe conſtructis oppidis, ubi opportunum exiſtimavit, Thracibus frænum injecit.* At prorſus Regno deſpoliaſſe ex hoc Demoſthenis loco reputandum eſt. Ad quæ Wolfius [l] vir clariſſimus nequaquam adjiciens animum, perperam exiſtimavit, Teren & Kerſobleptem jampridem a. 4. O. 106. in ordinem fuiſſe coactos.

Hoc eodem tempore Methonem à Philippo uſurpatam, exſculptumque ipſi oculum jam annotavimus; à quo letali vulnere cum convaluiſſet, Orator ait, in Olynthios arma tuliſſe; quod mirificè ſententiam noſtram confirmat, ſuperius expreſſam n. κ. de illatis jampridem injuriis huic Civitati.

[o] Si quis diligenter cogitatione complectatur, quàm celeri ac felici curſu Philippus à rerum propemodum omnium deſperatione ad ſummam fortunam evectus fuerit, maximâ profectò detinebitur admira-

[k] *Diod.* lib. xvi. [l] *Wolf. in notis ad hanc Orat.*

tione.

tione. Regnum Macedoniæ, ut non ſemel diximus, acceperat a. 1. O. 105. tunc naturâ non ſolùm finibus, divitiis, potentiæ robore anguſtum, ac tenue, ſed fortunâ fractum, concuſſum externis bellis, inteſtinis diſcordiis lacerum, & prope ſervum; quippe ejus Pater Amyntas annuo tributo pacem ſibi emerat ab Illyriis, qui victoriâ elati ac ſuperbi vix eum duris conditionibus regnare permiſerant. Brevi quatuor annorum ſpatio induſtriâ ac virtute ſuâ Macedoniam ille ab interitu revocavit, viribus auxit, æmulos Reges profligavit, coegit ſibi audientes eſſe, Pydnam, Potidæam, aliaſque Urbes, quas hoc loco Demoſthenes recenſet, in poteſtatem recepit. Deinde totidem annorum intervallo externis bellis interfuit, Socios ope ſuâ victores fecit, cunctiſque Græcis ſui metum ac terrorem intulit. Demum poſt undecimum ab illinc annum victor ad Cheronæam eos omnes habuit obnoxios, tutamque adeo ſibi viam ſtravit ad Orbis terrarum imperium, ut huic acquirendo non eum opportunitas, non vires, ſed vita defecerint. Adeo rerum principiis obſiſtendum eſt, ut ſæpius Demoſthenes admonet, præſertim ſi ad ea promovenda in uno aliquo magnæ indolis viro virtus & ambitio conſpirent. Nunc aliqua ſingillatim dicamus de unaquaque re, cujus hoc loco meminit Orator, & quam nondum attigerimus. Sed prius adnotamus Philippicæ felicitatis curſum ab Oratore compendio, ſed arte ſumma deſcriptum, optimè cum Hiſtoria convenire. Nam ut jam indicavimus, a. 3. O. 105, primùm Amphipolim occupavit, deinde Pydnam, poſtmodum Potidæam: An. 4. O. 106, Methonem excidit, ſtatimque Theſſalis contra Tyrannos ſuppetias ivit, occupavitque deinceps Pagaſas: & an. 1. Olymp. 107, libertati reſtituit Pheras, Magneſiam tenuit: Demum an. 4. ejuſdem Olymp. & hoc 1. O. 108, in Thraciam commoratus è ſuo arbitratu compoſuit Provinciæ res, Olynthum obſedit, ac diruit.

[P] Philippus exercitum contra Pæones atque Illyrios duxit a. 2. O. 105. ſecundo pariter Regni ſui.

Pæones

Pæones facilè profligavit; At cum Bardyle Illyricorum Rege, qui nolebat Macedonicis Urbibus, à ſeſe occupatis, decedere, atque ita pacem conſtabilire, dubio ac periculoſo Marte pugnavit. Sed virtute ac diſciplinâ valuit adeo, ut hoſtes denique in fugam conjecerit, maximâ illorum ſtrage. Οἱ δ' Ιλλύριοι διαπρεσβευσάμενοι, καὶ τῶν Μακεδονικῶν πόλεων πασῶν ἐκχωρήσαντες, ἔτυχον τῆς εἰρήνης. Ἀνῃρέθησαν δὲ τῶν Ιλλυριῶν ἐν ταύτῃ τῇ μάχῃ πλείους τῶν ἑπτακισχιλίων. *Illyrii autem Legatione miſſâ cunctiſque relictis Macedonicis Urbibus pacem obtinuerunt. Ipſorum pluſquam ſeptem millia in eo prælio ceciderunt.* Ita Diodorus [m] loquitur. Iterum cum iidem Reges in Philippum ſimul cum Thrace conjuraſſent an. 1. O. 106, eos antevertens penitus armis debilitavit. Quæ duæ expeditiones hoc loco à Demoſthene commemorantur. At quando Arymbam ſuæ Conjugis patruum invaſit? Altum de hac re apud omnes ſilentium eſt; attamen dicendum aliquid. Moloſſi, quibus Arymbas imperitabat, finitimi Theſſaliæ ſunt. Illum igitur hujus Tyrannis faviſſe, ut cuique ſui ordinis viros tueri mos eſt, conjecturam facio, proindeque in ſe Philippi arma, qui Theſſalis contra eoſdem Tyrannos opitulabatur, concitaſſe, ac nonnihil bello pertentatum, ut à ferenda hoſtibus ope abſtineret, non longè abeſt à vero. Redeo nunc ad Illyrios, Pæonas, atque ipſum Arymbam.

Illyrium Regio Macedoniæ contermina ab Oriente, Pannoniæ à Borea, modò latiores, modò anguſtiores fines obtinuit è ſuorum Regum ſtrenuitate aut incuriâ; ab Illyrio Cadmi nomen accepit, qui Thebis cum Harmonia uxore ad Enchelienſium terram progreſſus, ab iſtis, Oraculi monitu, dux in eo bello eligitur, quod cum ejuſdem Regionis populis gerebant. Victor, provinciæ potitur, Enchelienſium voluntate; eamque Illyrium dixit ab Illyrio, quem ibi habuit ab Harmonia conjuge [n]. Illud gens incoluit ferociſſima, quæ ſæpius Græcos ac Romanos exercuit.

[m] *Diod.* lib. xv. [n] *Apollodor.* lib. iii.

Pæones

Pæones qui populi fuerint, quaſque obtinuerint ſedes, Dario apud Herodotum ° explicant Pigres & Maſtyres fratres, qui, auditâ Regis in Græciam expeditione, ad ineundam ejus gratiam, rati ſic poſſe Pæonibus cum Imperio præfici, Sardis ſe contulerunt, aditumque ſibi ad Regem aperiunt ſagaci quodam conſilio. Tempus capiunt, quo Rex extra Urbem commoraretur; Tunc Sororem ſecum adductam ante illius oculos aquatum mittunt, equum ſiniſtrâ ducentem, dextrâ nentem, capite vas aquæ plenum geſtantem. Tantâ mulieris ſtrenuitate commotus eam ad ſe jubet adduci; ſequuntur fratres, qui rem ita eventuram in animum induxerant; quærentique ipſorum Patriam, atque inſtituta, quibus mulieres ſuas in hujuſmodi præclaros mores formarent, reſpondent, ſe Pæones eſſe, ad Strymonem fluvium haud procul ab Helleſponto habitare, à Teucris oriundos, laborum patientiſſimos, quibus ferendis pares vel ipſas fœminas conſpexiſſet. Darius gentis virtutem admiratus, juſſit Megabyzo, qui pridem cum exercitus parte ſolverat in Europam, ut quantacumque illa eſſet, armis domitam in Aſiam tranſmitteret; eam ſe velle Regno ſuo, præſidio, atque ornamento eſſe. At cum ad Pæones hæc Regiæ voluntatis fama permeaſſet, ne cogerentur Patriam ſuam deſerere, cuncti expeditis armis Megabyzo occurrunt. Sed ille militari uſus calliditate, circumducto exercitu, illorum oppida militibus vacua occupavit. Hi conjugum liberorumque deſiderio revocati, ſe Ducis imperata facturos receperunt. Itaque in Aſiam univerſa ea Natio tranſportata Phrygiæ partem incolendam obtinuit. Ariſtagoras deinde Mileti Tyrannus cum à Dario defeciſſet, & unà ſecum Ionia, ut Perſarum Imperium debilitaret, fortiſſimæ genti naves ac præſidium obtulit, ſi vellet antiquas ſedes repetere; quo conſilio avidiſſimè arrepto, factoque agmine ad mare contendit, conſcenſiſque triremibus in Patriam eſt reſtituta. Ibi non ſemel inimicitias adverſus Mace-

° *Herod in Terpſic.*

dones

dones exercuit, proſpero eventu, ſed à Philippo victa conceſſit in Macedonici Regni partem, nullâ deinceps fortunæ commutatione.

Arymbas Moloſſorum Rex, Olympiadis Philippi uxoris Patruus, ſi Pauſaniæ [p] credimus, aut Patruelis, ſi Juſtino [q]. Hæc à Pauſania refertur Epirotarum Regum ſeries, qua ad Arymbam pervenitur. Pyrrhus Achille genitus, finito Trojano bello haud in Theſſalam terram, ſibi patriam, ſed in Epirum venit, ubi Heleni Vatis monitu, qui per ea loca Imperium tenebat, ductâ conjuge Andromache, tres ex illa filios ſuſcepit, Moloſſum (unde nomen habuit Epiri pars, Theſſaliæ finitima) Pielum, & Pergamum. Variæ fratrum ſortes fuerunt, quas non eſt hujus loci commemorare; ſed, quod facit ad rem noſtram, Helenus moriens regnum Moloſſo reliquit, poſthabito Ceſtrino filio, quem ipſi Andromache poſt obitum Pyrrhi genuerat. At in regnum deinde ſucceſſit Pieli ſtirps, à quo Pielo per quatuordecim ſobolis gradus ad Tharypum Arymbæ patrem deducimur. Epirotæ unum Regem habuerunt uſque ad Tharypum, qui Regnum cum Alceta fratre partitus, Moloſſis imperavit. Alcetæ Neoptolemus filius, Tharypo Arymbas fuit. Reliquit Arymbas Æacidam, ſed hujus Regnum, Philippi Macedonis leviri ſui viribus, obtinuit Alexander Neoptolemo genitus, quo in Lucania extincto, regnare cœpit Æacidas. Hic autem a Caſſandro, Macedoniæ habenas poſt magnum Alexandrum gubernante, prælio ad Œniadas victus, letalique vulnere confoſſus, Epirum Alcetæ fratri ſuo natu maximo adminiſtrandam reliquit; at citò ſublatus eſt, à Civibus cum univerſa familia obtruncatus ob morum ferocitatem, Pyrrhoque datum imperium, Æacidæ filio; ad quem Italico bello, adductiſque in diſcrimen Romanis illuſtrem non abs re duximus Epirotarum Regum ſeriem proferre. Cæterum Arymbas a. 3. O. 109. fato ceſſit [r].

[p] *Pauſ. in Atticis.* [q] *Juſt.* lib. vii. [r] *Diod.* lib. xvi.

[T] Ite-

[Q] Iterum hoc loco Theatralem pecuniam exagitat, ob quam inter Cives diſtributam dicit, Ærarium ab Athenienſibus effundi; quò lubenti animo feruntur. Nulla enim æquè gens, ut Romani atque Athenienſes ludorum ac ſpectaculorum curioſitate capti ſunt. Quod ſi, qui duo in ſingulos Cives oboli diſtrahebantur Theatri causâ, vectigalia Reipublicæ exhauriebant, & ea quidem vectigalia, ut ait in præſentia Demoſthenes, quæ maxima aliorum populorum æquarent, quis Ulpianum [s] audiet dicentem? ὁ γὰρ μισθὸς καθημερινὴ δόσις ἐστὶ χρημάτων, τὰ δ' θεωρικὰ ταῖς ἑορτησίαις ἐλάμβανον. *Merces eſt quotidiana pecuniæ diſtributio; Theatralem verò in ſtatis ſolummodo Feſtis accipiebant.* Profectò non graviſſimi, ut Orator frequenter clamat, ſed vix mediocris momenti fuiſſet argentum iſtud in paucos dies collatum, & Ærarium vix attigiſſet, nedum expilaſſet. Vide quæ nuper de hac ipſa re annotavimus.

[R] Declinat capitis periculum, ſi quis illud intendere voluiſſet. Nam, ut diximus, lex erat Athenis, capite illum plecti, qui à Theatro ad militares uſus pecuniam populo diviſam ludorum causâ revocare propoſuiſſet. Ait igitur, ſe iſtiuſmodi ſententiam nequaquam proferre; ſed cautè, quid inde mali contingat, quid boni evenire poſſit, ſi lex abrogetur, indicat, ut ſponte Plebs ipſa ad eam delendam indueat animum, quod poſtea, nec multis abhinc annis, novimus effeciſſe.

[S] Meritò quidem Theſſalorum fides in ſuſpicionem Philippo veniſſe poterat; atque iſte vereri, ne res novas agitarent animo, ac meditarentur. Nos enim Demoſthenes certiores facit, eos Regem, tuendæ libertatis ſpecie, pene in ſervitutem redegiſſe. Sic enim habet [t]; ἀλλὰ Θετταλία πῶς ἔχει; οὐχὶ τὰς πόλεις, καὶ τὰς πολιτείας αὐτῶν ἀφήρηται, καὶ τετραδαρχίας καθέστηκε παρ' αὐτοῖς, ἵνα μὴ μόνοι καθ' πόλεις, ἀλλὰ καὶ κατὰ ἔθνη διαιρῶνται; *At quomodo ſe habet Theſſalia? Nonne urbes, earumque Rempublicam delebit? Nonne quatuor*

[s] *Ulp. in orat. 3 Olynth.* [t] *Demoſth. Orat. 3. in Phil.*

constituit præfecturas, ut non solùm unaquæque Civitas, sed singulæ gentes serviant? Et alibi [u]: Καὶ τοι τυτὶ τὸ πραγμα, ἢ τὰ πεπαῦτα ζηλώματα, Θετταλῶν μὲν, ὦ ἄνδρες Αθηναῖοι, μέχρι μὲν ἐχθὲς, ἢ πρωΐ τὴν ἡγεμονίαν, ἢ τὸ κοινὸν ἀξίωμα ἀπολωλέκει. Νυνὶ δ' ἤδη καὶ τὴν ἐλευθερίαν παραιρεῖται. Τὰς γὰρ ἀκροπόλεις αὐτῶν ἐνίων Μακεδόνες φρουροῦσι. *Et sanè id rei, atque hujusmodi æmulationes Thessalis, Athenienses, usque adhuc, heri scilicet, ac nudius tertius Imperium, communemque auctoritatem ademerunt, nunc verò jam & libertatem. Siquidem nonnullorum ipsorum arces Macedonico præsidio custodiuntur.* Quid igitur eam gentem in tantas adductam calamitates contra Philippum non cogitasse credendum est, quem sibi tam gravem ac pernicioſum experiebantur?

[τ] Thessalorum perfidia malè apud Græcos audiebat, iique per hominum ora ferebantur veluti omnium proditores. Quamobrem non solùm hoc loco infidi ab Oratore nuncupantur, sed in tertia quoque Philippica Athenienſium fidelitatem cum illorum comparat inconstantiâ: ὑμᾶς μὲν, ὦ ἄνδρες Αθηναῖοι, οὐδένα πεπώκαθ' ὑπὸ τῶν φίλων· Θετταλοὶ δ' ἤδη πόσοι ἄν τινα, φῦ. *Vos, Athenienses, nullius unquam amicorum proditione fœdati estis; Thessali omnium.* At unde istiusmodi rumor manaverat? Nam si Alevadas Thessalorum tum temporis Tyrannos in medium adducamus, qui Xerxem ad perdomandam Græciam sunt adhortati; non hi solùm eo se scelere obstrinxerunt, at Pisistratidæ quoque, aliique. Si fœdus ab iisdem cum Xerxe ictum; quot Græcorum, ut alias retulimus, eodem fœdere se copularunt? Si sæpius mutatam illorum, modò uni, modò alteri adhærentium, voluntatem; quæ Græcarum gentium, ut pariter jamdiu annotavimus, hanc profectò fabulam non lusit? Cur igitur communi cum tot aliis detenti crimine peculiarem infamiæ notam adepti sunt? Duo sane patrarunt, quibus præcipuum ab Athenienſibus odium, præcipuum ab omnibus dedecus inierunt. Alterum, cum repudiata ab ipsis Athenienſibus

[u] *In Orat. de falsa legat.*

Persarum

Perſarum Societate, magnificiſque præmiis, Theſſali in Atticam Duces Mardonio fuerunt, irâ in Athenas cunctamque illam regionem flagranti; neque ejus gentis magnanimitate, qua commune Græciæ bonum privatis ſuis utilitatibus prætulerat, commoti ſunt; nec Thebanorum exemplis, qui quamvis Medorum amicitiam complexi fuerant, Mardonium tamen ab inferenda nobiliſſimæ Urbi vaſtitate deterrebant [w]. Quo facinore Theſſali, qui prius Athenienſium familiaritatem coluerant, communi omnium odio atque execrationis flamma deflagrarunt. Alterum, cum a. 4. O. 80. pugnantibus ad Tanagram in Bœotia formidabili prælio Athenienſibus ac Lacedæmoniis, Theſſali, dum manus dubio Marte conſeruntur, ab Athenienſibus tranſeunt in Lacedæmoniorum partes, qua de re Thucydides [x] audiendus eſt: ἦλθον ἢ οἱ Θεσσαλῶν ἱππεῖς τοῖς Ἀθηναίοις καὶὰ τὸ ξυμμαχικὸν, οἳ μετέσησαν ἐν τῷ ἔργῳ παρὰ τὲς Λακεδαιμονίους; *Advenerunt Athenienſibus jure Societatis Theſſalorum Equites, qui dum pugna committitur, ſeſe ad Lacedæmonios tranſtulerunt.* Hanc Theſſalorum perfidiam ſilentio præterit Diodorus, dum prælium deſcribit, ſed paulò poſt luculenter indicat. Inquit enim, Myronidam Athenienſium Ducem, debellatis Phocenſibus, acceptiſque obſidibus, in Theſſaliam progreſſum, ἐκαλοῦντο μὲν τῆς γενομένης προδοσίας, *eos de facta proditione accuſaſſe* [y].

[v] Dum in iſta Demoſthenis verba mentis oculos intendo, video Theſſalorum morem, qui ſæpiùs inteſtinis Urbium, aut univerſæ provinciæ diſcordiis ſedandis componendiſque, ſeſe, ſuaſque res omnes claro cuipiam Viro, cui fiderent, adminiſtrandas committebant, ne partium alterutra dominaretur; felici aliquando, plerumque infelici eventu. Verùm ita ſunt mores hominum, ut Majorum inſtituta imitari velint. Res quidem bene ceſſit Pharſaliis, nobiliſſimis Theſſaliæ populis, qua de re Xenophontem [z] audia-

[w] *Herod.* lib. ix. [x] *Thucyd.* lib. i. [y] *Diod.* lib. xi.
[z] *Xenoph. de rebus Græc.* lib. vi.

mus:

mus: χρεὼν δ' περὶ τούτου τὸν χρόνον καὶ ἐκ Θετταλίας ἀφικνεῖται πρὸς τὸ κοινὸν τῶν Λακεδαιμονίων Πολυδάμας Φαρσάλιος. Οὗτος δὴ καὶ ἐν τῇ ἄλλῃ Θετταλίᾳ ἐνδοκίμει, καὶ ἐν αὐτῇ δὴ τῇ πόλει οὕτως ἐδόκει καλός τε κἀγαθὸς εἶναι, ὥστε καὶ σασιάσαντες οἱ Φαρσάλιοι, παρακαλέσαντο αὐτῶν μὲν ἀκρόπολιν, καὶ τὰς προσόδους ἐπέτρεψαν, λαμβάνοντα ὅσα ἐγέγραπτο ἐν τοῖς νόμοις, εἴς τε τὰ ἱερὰ ἀναλίσκειν, καὶ εἰς τἄλλα διοίκησιν. Κἀκεῖνος μέν τοι ἀπὸ τούτων τῶν χρημάτων τήν τε ἄκραν φυλάττων διέσωσεν αὐτοῖς, καὶ τ' ἄλλα διοικῶν ἀπελογίζετο κατ' ἐνιαυτὸν &c. *Fortè per id temporis* (circa initia Bœotici belli) *ad Lacedæmoniorum Rempublicam venit Polydamas Pharsalius. Hic & apud reliquos Theſſalos honeſtâ famâ fruebatur, & in ſua Civitate adeò ornatus, ac bonus habebatur, ut diſſidentes inter ſe Pharſalii, apud ipſum arcem depoſuiſſent, commiſiſſentque publicos reditus adminiſtrandos; decreverant etiam, iis illum juxta leges uti in rem ſacram, alioſque ſumptus. Et ſanè hac pecuniâ cuſtoditam arcem, Civibus conſervavit, & ſingulis annis rationem retulit adminiſtrationis ſuæ &c.* Benè quoque Theſſalis ceſſit, cum ſeſe ſuaſque res gubernandas tradiderunt Jaſoni Pheræo an. 2. O. 102. de quo ſic loquitur Diodorus [a]: Ἰάσων ὁ Φεραῖος, ἡγεμὼν ἱρημένος τῆς Θετταλίας, καὶ δοκῶν ἐπιεικῶς ἄρχειν τῶν ὑποτεταγμένων ἐδολοφονήθη. *Jaſon Pheræus, quem Ducem ſibi Theſſali elegerant, ac moderatè imperio ſuo uti videbatur, dolo peremptus eſt.* At non bene ſibi eveniſſe putabant, quod vectigalia, & urbes aliquot Philippo credidiſſent, à quo cuncta hæc repetere cogitabant. His enarratis, nunc ipſa res admonet, ut ne Theſſaliam ſilentio prætereamus.

Hæc igitur provincia prius variis nominibus, & ab Homero Pelaſgia nuncupata, Theſſalia demum dicta eſt à Theſſalo Æmonis filio, ut Straboni placet, vel Jaſonis, & Medeæ, ut Diodoro [b]. Mari alluitur ab Oriente; Macedoniam habet à Borea; ab Occidente ac Meridie Epirum & Phocidem. Eam ta-

[a] *Diod.* lib. xv. [b] *Strabo* lib. ix. *Diod.* lib. iv.

men Herodotus [c], ut hinc dicto ſuo fidem adſtruat, montibus circumdat; ſcilicet ad Orientem Solem Pelio & Oſsâ; ad Occidentem Pindo; ad Septentrionem Olympo; ad Meridiem Othri, cum tamen ex ea parte, qua Eubœam reſpicit, mare apertis campis contingat. Verùm enimverò, niſi undique montium jugis clauſiſſet, corruiſſet fabula, quam ex antiqua Theſſalorum memoriâ repetit, ſcilicet omnem quaquaverſum regionem illam Penei interfluentis aquis inundaſſe, ac Neptuni beneficio, terræ motu nimirum, ut Sapientes interpretabantur, Pelio monte ab Oſſa diviſo, aquas in mare labi potuiſſe, è ſtagnoque Theſſaliam emerſiſſe. Quod (ſi à Tempe, minimâ ejuſdem Theſſaliæ parte ad omnem regionem, in qua & colles aliquot ſe extollunt, & ad mare non parum aperta eſt, transferatur) à vero longè alienum eſſe nemo inficiabitur, irridebitque Xerxis dictum, quo ſe illam poſſe, occluſis Penei faucibus, aquis obruere jactitabat. Narrat quidem Ariſtoteles Pyrrhæ ac Deucalionis ætate tantam aquarum vim, pluviis collectam, ſeſeque extollente Bœbeide lacu, repente eam planam, ac plerumque depreſſam terram occupaſſe, ut Incolarum plures abſumpſerit; reliquos in juga montium cum geminis illis aſcendiſſe, unde Poetæ reparati hominum generis fabulam acceperunt. Theſſalia diverſos populos habuit, unumquemque ſuis legibus, ſuiſque inſtitutis viventem. Lariſſæi, Pharſalii, Paraſii, Granonii, Piraſii, Gyrtonii, Pheræi à Thucydide [d] recenſentur, qui, ſuos quique Imperatores ſequuti, ex vetuſta ſocietate in bello Peloponeſiaco auxiliatum Athenienſibus venerunt; gens armis idonea, quæque ſæpius finitimos Populos moleſtiis affecit, & facilè ad Græciæ principatum aſpirare potuiſſet, ſi minus inteſtinis diſcordiis laboraſſet; ſiquidem equitatu omnem ſimul Græciam ſuperavit, ut alibi referetur. Fuit etiam veneficiis infamis, Medeæ ſcientiâ atque exemplo. Quamobrem apud Græcos,

[c] *Herod. in Polymn.* [d] *Thucyd.* lib. ii.

Latinoſque

Latinoſque Poetas frequenter magicas artes Theſſalica Mulier exercet. Nunc regio non minus à veteri gloria, quàm à nomine deceſſit, atque *Janna* nuncupatur.

[x] Non ſolùm ob veteres cauſas, quas Nota [s] poſteriore Orat. de Claſſibus enumeravimus, alieno erant animo Thebani ab Athenienſibus; at recepta jam vulnera exaſperabat Phocenſe bellum, in quo nunc ipſi Athenienſes arma contra eoſdem Thebanos geſtabant, Phocenſibus jure ſocietatis auxiliati. Proinde nil mirum, ſi Demoſthenes eos promptè alacriterque ſeſe contra Rempublicam cum Philippo conjuncturos affirmat.

[y] Initium & cauſam Phocenſis belli jamdudum deſcripſimus, exitum ſuo loco dicemus. Nunc ſatis fuerit indicare, ſæpius eam gentem Theſſalos Bœotoſque concidiſſe, ſæpius invicem victam, ac demum hoc tempore adeo debilitatam, ut vix Athenienſium aliorumque Sociorum viribus ſe ſuſtineret.

OLYNTHIACA SECUNDA.

IN ARGUMENTUM.

[A] IN tantis Hiſtoriæ tenebris certum veritatis lumen inſpicere haud facile quidem eſt. Diu vexatos hoc tempore Olynthios novimus à Philippo, eoſque pluribus præliis perculſos, tandem in urbe concluſos tuendis mœnibus operam dediſſe ſuam. Novimus etiam poſtulatum, datumque periclitanti Urbi ab Athenienſibus auxilium, idque, ſi Philocoro credimus, tripartitò; iſtaque omnia paucis menſibus confecta; atque hoc temporis ſpatio ter Demoſthenem pro Olynthiis ad Populum oraſſe, ut Notis [A. & B.] Olynthiacæ primæ proſequuti dicendo ſumus. An verò ad inflammandos Civium animos, ut promiſſam non differrent opem, vel ut ipſos denuo auxiliaren-

tur, vel alia quapiam de cauſa tres iſtas Concione̊s habitas fuiſſe, non ſatis percipi cogitando poteſt. Mihi tamen prior ſententia propiùs abeſſe à vero videtur, cum propter [e] Libanii id aſſerentis autoritatem, qualiſcumque illa ſit, non quidem nullius pretii; tum quia perſuadere mihi nequeo, ſi ſemel collatum fuiſſet auxilium, ejus nullam à Demoſthene mentionem fieri, cum rurſus hac Oratione mittendum quæreret, ac non potius totum fuiſſe in novæ demonſtranda opis ferendæ neceſſitate. Accedit, quod iſthæc Oratio multùm verſatur in elevandis Philippi viribus, indicatque Athenienſium metum; quo metu, facilè opinor, eos deterritos ire ſuppetias retardaſſe, ut in Argumento explicavimus.

[B] Theſſalorum Thebanorumque ſocietate Philippus hoc tempore fruebatur, quorum Copiis ad profligandum Theſſalicum bellum uſus fuerat, ac Phocenſe nunc proſequebatur. Thebani manebant in fide, magnificis promiſſis illecti. Theſſalis autem inferendæ iiſdem ſervitutis ſuſpicionem moverat, quare Pheras ac Vectigalia ab ipſo repetere decreverant, prohibebantque mœnibus Magneſiam communire, ut mox annotavimus. Itaque Orator non immerito aſſerit, Regem Sociorum viribus, Theſſalorum nempe ingentibus præſtantiſſimiſque, deſtitui.

IN ORATIONEM.

[c] CUM Urbes dicit ab Athenienſibus amiſſas, ac modò pro derelicto habitas, Amphipolim intelligit, Pydnam, Potidæam, Methonem, totque alias in Thracia, quas jampridem à Philippo occupatas narravimus. Cum occaſiones, ac bellorum Socios, Olynthios habet ob oculos, qui Oratori videntur deſeri, ſi non promptè valideque ſubſidiis magnis eos fulciat Reſpublica.

[e] *Lib. in argum. hujus Orat.*

[D] Olyn-

[D] Olynthiorum ſocietas, cum tanti eſſet momenti ad Thraciæ Macedoniæque res moderandas, vehementer à Philippo atque Athenienſibus expetebatur, ut jam retulimus. Quod quamvis ita ſe haberet, exponit hoc loco Demoſthenes (quod eo tacente ignoraretur) eoſdem Olynthios non ſolùm præponere Athenienſes Philippo voluiſſe, ſed ultro miſsâ Legatione ipſorum ſibi familiaritatem conciliandam curaſſe. Nec minus certiores nos facit, eoſdem Athenienſes Macedonis calliditate deceptos eam repudiaſſe. At qua calliditate deceptos? Geminâ videlicet promiſſione, cum reſtituendæ Amphipolis, qua de re plura loquuti ſumus Nota m. Orationis 1. contra Philippum, tum ſervandæ arcanæ illius conditionis, de qua olim occultè inter ſe convenerant, & quæ jam cœperat in vulgus ſpargi (ſic enim hujuſmodi verba intelligenda eſſe putavimus in Notis Criticis, atque ita ab alio doctiſſimo Viro intellecta fuiſſe vidi.) At maximæ difficultatis eſt, quænam occulta iſta conventio fuerit, enucleare. Wolfio hæret aqua. Eſt qui reputet, Regem poſt captam Amphipolim ſubmiſsâ voce Athenienſibus dixiſſe, modò ſe illam non reddere, ne initæ cum ipſis amicitiæ ſuſpicionem moveat, præcipuè Thracibus; mox tamen reſtituturum. At bonâ veniâ, quid eſt, quod Urbem illam palàm promittere non reformidaverit, metu tradere detineatur? Aut quî timeat exiſtimari Athenienſium amicus, quos hoc ipſo expugnatæ Amphipolis tempore ſummis injuriis afficiebat, ereptâ iis Pydnâ, Potideâ, Methone? Aut qui denique bene apud Thraces audire velit, quos jam tum ſecum ipſe decreverat armis conterere ac labefactare? Quæ igitur noſtra erit opinio? Puto quidem me non longè à veritate aberrare, ſi cenſeam, ea occultè Philippum Athenienſibus promiſiſſe an. 2. Ol. 105. cum ad confirmandam [f] cum ipſis pacem Legatos Athenas miſit, quæ deinceps Reipublicæ Legatis a. 2. O. 108. ſe facturum confirmavit; Theſpias

[f] *Diod.* lib. xvi.

nimirum, Plateasque instauraturum, oppressurumque Thebanos [e]; quibus promissis eos tunc denuo decepit, ut suo loco dicemus. Id sanè suadet & harum rerum utilitas, qua solùm retineri Athenienses poterant ab ineundo cum Olynthiis fœdere (nihil enim magis optabant, quam ejusmodi rerum compotes fieri, ut sæpe sæpius Orator admonet); & arcani necessitas, quod in iis promissis debuit intercedere; & eorundem promissorum confirmatio in altera enarrata Legatione. Verùm, dicet aliquis, nemo credet Philippum iterum fucum facere voluisse iisdem pollicitationibus, quas antea dolo malo non solverat. At nemo pariter hac difficultate deterrebitur, si diligenter animadvertat, hoc posteriori tempore Legationem Athenienses misisse, ut pacem à Rege obtinerent, de cujus conditionibus cum convenissent, quicquid hisce regiæ liberalitatis accederet, expendendum non erat. Deinde si fides haberi non debuisset; haud minus istis, quàm cæteris quibuscumque pollicitationibus haberi debuisset. Rem dubiam proponimus, nec aliter in tanto veterum monumentorum silentio fieri potest.

[E] Philippo non satis fuit, fraude Athenienses ab Olynthiorum fœdere dimovere, sed illicò sese cum istis conjunxit, traditâ Pydnâ, promisisâque Potideâ, ut Notis enarravimus ad argumeutum (Vide Πύδνης δόσεως) superiorisOrationis,& alibi. Profectò qui rem ita gerunt, Stoicos non audiunt, honestatem utilitati præferentes.

[F] Lycophron Pheræorum Tyrannus, de quo suo loco verba fecimus, cum par non esset Thessalorum, ac Philippi viribus sustinendis, cum Phocensibus fœdere se conjunxit, ab ipsis libenter exceptus, cum ejus pariter auxilio ad repellendos Thebanorum impetus indigerent. Tyrannus magnis fœderatorum Copiis Onomarco Duce sublevatus est, quare ii prius conterendi erant, si quis Thessalos vellet in libertatem vindicare. Hanc ferre belli molem Philippus recepit; ter acie conflixit, bis victus, tertiò eâ felicitate

[e] *Demosth. in Orat. de falsa Legat. & alibi.*

prælium fecit, ut Phocenſes omnino everterit, omnemque proinde ſpem Lycophroni ademerit Imperii retinendi [h]. Huc igitur collimant Demoſthenis verba, quæ nunc expendimus. Quod verò ait de promiſſione Theſſalis factâ concedendæ Magneſiæ, non parvam habet difficultatem. Ea ſiquidem nobilis Theſſaliæ pars nequaquam Macedonum erat, cum Philippus ad Regnum pervenit. Quis enim credat potentiſſimam gentem, quæ Macedoniam dicto ſuo audientem habuerat, tuliſſe unquam, ut provinciæ pars eo tempore in eorundem Macedonum eſſet poteſtate, quo iſti afflicti, ac debiles, pedibus Finitimorum omnium protererentur? Eam quidem Philippus obtinuit, poſtquam Pheras, ejectis Tyrannis accepit, ut Notis *(Vid. pag.* 214. *l.* 7.) ſuperioris Orationis non levibus ducti conjecturis exiſtimavimus. Verùm tunc jam Theſſalos hujusmodi promiſſo, cujus Orator meminit, ſibi devinxerat; ſuſcepit enim cum Phocenſibus bellum, antequam illius regionis potiretur. Quæ cum ita ſe habeant, puto Regem hanc ſuam promiſſionem eò retuliſſe, ut in ſe reciperet, Tyrannos è Theſſalia everſurum, ex eorumque manibus Magneſiam erepturum daturumque Theſſalis, ad quos pertinebat. Facit pro hac ſententia verbum παραδώσειν, quod uſurpat Demoſthenes, cujus ſignificatio eſt *tradere*, non *reſtituere*. Cæterum non ſolùm ille ſibi Theſſalos conciliavit memoratis promiſſionibus, ſed, quod magis expetebant, depulſis Tyrannis, ut non ſemel jam diximus. Tanta verò fuit hujus inter eos conciliatæ familiaritatis apud Græcos admiratio, ut de illa ſic Iſocrates [i] ſcribat: Οὐ Θετταλοὺς μὲν τοὺς πρότερον ἐπάρξαντας Μακεδονίας, ὅτως οἰκείως πρὸς αὐτὸν διακεῖσθαι ποιήσειν, ὡς ἑκάστους αὐτῶν μᾶλλον ἐκείνῳ πιστεύειν, ἢ τοῖς συμπολιτευομένοις; *Nonne Theſſalos, qui prius Macedoniæ imperaverant, ſibi adeo familiares reddidit, ut ipſorum ſinguli ei magis fiderent, quàm iis, quibuſcum Rempublicam adminiſtrabant?*

[h] *A.* 4. *O.* 106. *Diod.* lib. xvi. [i] *Iſocr. contra Philip.*

[G] Nemo ex hoc loco reputet, Philippum Theſſaliam in ſuam ditionem redegiſſe. Id enim nequaquam accidit. Sed partim ſuæ potentiæ metu, partim collatis beneficiis, partim Pherarum, Magneſiæ, Pagaſarumque uſurpatione injecto provinciæ fræno, eam gentem dicto ſuo audientem habuit, ſuæque addictam voluntati. Enimvero Potentiorum patrocinium, ſi præſertim finitimi ſint, & deſiderio imperandi teneantur, prope abeſt à dominatu. Siquidem ipſorum eſt πειθαναγκη, quæ vix ab imperio differt. Huc igitur ſervitutis vox referri debet, qua nunc Demoſthenes utitur.

[H] Theſſalia, ut diximus Nota [v] (*pag.* 225.) Olynthiacæ primæ, in multos populos, quos pariter enumeravimus, dividebatur, ſingulos ſuis legibus, ſuiſque inſtitutis Rempublicam adminiſtrantes. Hi erant, ut agendi fine, ita & conſiliis diverſi; proinde ipſorum alios, miſsâ Legatione, ad agendum; alios ad mutandam de Athenienſibus ſententiam incitari monet Orator, ut omnes contra Philippum conſpirent. Qui verò hunc locum intelligit de Alevadarum ac Tyranni Lycophronis partibus; de quibus jamdudum mentionem fecimus, errare mihi profectò videtur. Nam huic Pherarum oppreſſori nemo niſi vi aut metu adactus favebat; & ipſi jampridem è Theſſalia deceſſerat exul ac profugus.

[I] De Pagaſis à Macedone occupatis, quo tempore, quibus artibus, quave occaſione abundè loquuti ſumus num. 7. Oratione 1. contra Philippum.

[K] De Magneſia pariter, iiſque omnibus, quæ ad ejus à Macedone uſurpationem pertinent, plurima fecimus verba Notis ſuperioris Orationis, quò benevolum Lectorem remittimus, ne, quod eſt in proverbio, actum agamus. Attamen nobis adhuc non licet, ex hoc loco pedem referre; gravis enim ſeſe explicanda offert difficultas. Diximus Nota [u] laudatæ primæ in Philippum Concionis, Theſſalos hujus Regis beneficio devinctos, quòd à Tyrannis provinciam liberaverat,

liberaverat, perpetuâ illum benevolentiâ, ejuſque filium Alexandrum fuiſſe proſequutos. Id autem quo pacto congruit cum hoc Demoſthenis dicto, unde inimica hujus gentis in Philippum voluntas oſtenditur? Statuerant enim ab ipſo Pagaſas, Magneſiam ac Vectigalia repetere. Eſt qui dicit, Poliænum Theſſalorum animos contra Regem ſolicitaſſe, plurimoſque ab illo abduxiſſe. Commodùm hinc aſſignat Partium uni benevolentiam, alteri cum ipſo Rege inimicitias, atque ita ſe conciliaſſe arbitratur Demoſthenem cum Diodoro, quorum alter infenſos Philippo Theſſalos, alter benevolos refert. Verùm ad expediendam difficultatem id nihil proficere mihi videtur. Diodorus enim, ut mox recenſuimus, univerſam eam gentem Regi fidam, Demoſthenes univerſam pariter infidam nuncupat. Quam igitur aperiemus viam rei componendæ? Hanc equidem, quam dicere inſtituo, idoneam puto. Theſſalos expulſis Tyrannis ſibi Philippus demeruerat; irritaverat deinde, in ſuam poteſtatem redactis Pheris, Pagaſis, Magneſiâ, Vectigalibus; aut ſaltem, cum id oraſſent, non reſtitutis. Cur non putandum, ipſis denique obſequutum iterum ſibi devinxiſſe? Alexander, ſi Diodorum [k] audiamus, ſtatim à Patris obitu, πρώτης Θετταλὺς ὑπομνήσας τῆς ἀρχαίας ἀφ' Ηρακλέους συγγενείας, καὶ λόγοις φιλανθρώποις, ἔτι δὲ μεγάλαις ἐπαγγελίαις μεταπείσας ἔπεισε τῷ παλαιοπαράδοξον ἡγεμονίαν τῆς Ελλάδος αὐτῷ συγχωρῆσαι, κοινῷ τῆς Θετταλίας δόγματι &c. Τοῖς δ' Αμβρακιώταις διαπρεσβευόμενος, καὶ φιλανθρώπως ὁμιλήσας, ἔπεισεν αὐτοὺς βραχὺ προσαληφέναι τῷ μέλλουσαν ὑπ' αὐτῶν δίδοσθαι μετὰ προθυμίας αὐτοκράτειαν, *Primùm Theſſalis, in eorum memoriam revocatâ veteri ſuâ cum illis ab Hercule cognatione, humaniſſimis verbis, magnificentiſſimiſque promiſſis perſuaſit, ut communi Theſſaliæ decreto, totius Græciæ Imperatoris munus, quod Patri dederant, ſibi concederent &c. Ambraciotas quoque ſuâ & Legatorum voce lucratus eſt, ſuadendo, libertatem, in quam paulò ante illi ſe aſſeruerant, ſe cum*

[k] *Diod.* lib. xvii.

animi

animi alacritate daturum ſtatuiſſe. Quod ſi tum temporis fuiſſent in Macedonum poteſtate Pheræ, aliaque nuper expreſſa, quis credat aut Alexandrum, cum tam vehementer tantiſque officiis optaret inire à Theſſalis gratiam, iis illa, ut Ambraciotis ſuam libertatem, non obtuliſſe? aut ab iiſdem Theſſalis non fuiſſe poſtulata, cum avidiùs appeterent? & ſi reddere detrectaſſet, cur ipſos pariter ſuam Regi benevolentiam, quæſitumque decretum non denegaſſe? Igitur par eſt reputare, illa pridem in hujus gentis ditionem rediiſſe, atque hinc vice ſuâ novum in Philippum atque Alexandrum ejuſdem gentis amorem dimanaſſe.

[L] Antequam huic loco illuſtrando navemus qualemcumque operam noſtram, admonere lubet, apertam eſſe horum verborum ſententiam, Macedones videlicet aliquid potuiſſe, Athenienſibus conjunctos, adverſus Olynthios; & Olynthiis, adverſus Potidæam. Sic enim habent: Ὅλως μὲν γὰρ ἡ Μακεδονικὴ δύναμις, καὶ ἀρχὴ ἐν μὲν προσθήκης μέρει ἐστί τις ἂ σμικρὰ· οἷον ὑπῆρξε ποθ' ὑμῖν ἐπὶ Τιμοθέου πρὸς Ὀλυνθίους. Πάλιν αὖ πρὸς Πολίδαιαν Ὀλυνθίοις ἐφάνη τῶν συναμφοτέρων. *Omnino Macedonum vis atque Imperium, ſi pars ſit & additamentum, atque alteri accedat, aliquid eſt non parvum; veluti aliquando fuit vobis, Duce Timotheo, contra Olynthios; rurſus Olynthiis contra Potidæam utraque ipſorum potentia patuit quidpiam poſſe.* Id enim ad verbum ſignificat locus iſte. At contra apertam non eſſe Hiſtoriam, quæ iiſdem verbis exprimitur. Tacent enim Græcorum Annales, Timothei auſpiciis Olynthum ab Athenienſibus captum; & ſanè facinus adeò illuſtre, quantum fuiſſet, potentiſſimam Civitatem in deditionem accipere, reticendum non erat. Attamen id eveniſſe negari nequit, cum quod de profligatis ſolùm à Timotheo Olynthiis Demoſthenes habet, ad ipſos armis perdomitos palam referat Cornelius Nepos in Vita ejuſdem Imperatoris: *Multa hujus ſunt,* inquiens, *præclara facta, ſed hæc maximè illuſtria; Olynthios & Byzantios bello ſubegit.* Quærendum igitur,

igitur, quo tempore, quave occaſione potuerit id perfici, ne Veterum monumenta diſſidiis inter ſe proſcindantur. Ad quod inveniendum idoneam ſternemus viam, ſi huic inveſtigationi quæſtionem temporis conjungamus, quo tunc Macedonum Reges cum Athenienſibus amicitiam geſſere. Timotheus igitur bis in Thraciam cum Reipublicæ Copiis profectus eſt. Semel a. 3. O. 101, cum regnabat Amyntas in Macedonia. Iterum a. 1. O. 104, cum eidem Regno Perdiccas moderabatur [l]. Hac alterâ vice nihil hujuſmodi factum eſt, ſiquidem tantùm abeſt, ut Timotheus ſeſe cum Perdicca adverſus Olynthios conſociaverit, quin iſte quinque, quibus Regno præfuit, annis ab an. 4. O. 103. ad an. 1. O. 105. perpetuas habuit cum Athenienſibus inimicitias, ut Æſchines [m] refert ſe Philippo dixiſſe: Καὶ πάλιν ὡς Περδίκκας εἰς τὴν ἀρχὴν καλεσὰς, ὑπὲρ Ἀμφιπόλεως ἐπολέμησε τῇ πόλει, ἢ τὴν ὑμετέραν, ἠδικημένων ὅμως, Φιλανθρωπίαν λέγων, διεξήειν, ὅτι κραθέντες τῷ πολέμῳ Περδίκκαν, Καλλισθένης Ἀθηναίων ἡγεμένος, ἀνοχὰς πρὸς αὐτὸν ἐποιήσασθε, ἀεί τινος προσδοκῶντες τῶν δικαίων τεύξεσθαι. Καὶ τὴν διαβολὴν ταύτην ἐπειρώμην διαλύειν διδάσκων, ὅτι Καλλισθένην ὁ Δῆμος ἀπέκτεινεν, ἢ διὰ τὰς πρὸς Περδίκκαν ἀνοχὰς, ἀλλὰ δι' ἑτέρας αἰτίας. Καὶ πάλιν ἐκ ὤκνουν κατ' αὐτῶν λέγειν, Φιλίππῳ ἐπιμῶν, ὅτι τὴν ἐκδοχὴν ἐποιήσατο πρὸς τὴν πόλιν τῷ πολέμῳ &c. *Atque iterum, ut Perdiccas Regnum conſequutus, bellum pro Amphipoli cum Republica ſuſcepit; commemoratâque veſtrâ, quamvis injuriis affecti fuiſſetis, humanitate, narrabam vos bello victores, Duce Calliſthene, inducias cum Perdicca feciſſe, ſemper expectantes, nonnihil veſtri juris compotes fieri. Conabar quoque eam diſſipare calumniam, qua Populus Calliſthenem occidiſſe ferebatur ob factas cum Perdicca inducias, non ob aliam qualemcumque cauſam. Nec rurſus verebar præſentem Philippum inſimulare, ac reprehendere, quod in gerendo contra Rempublicam bello fratri ſucceſſiſſet.* Quod cum ita ſe habeat, ad primam in Thraciam Timothei ex-

[l] *Hæc omnia Diod.* lib. xv. [m] *Æſch. Orat. de falſa Legat.*

peditionem

peditionem cogitationem adducamus neceſſe eſt. At duplex obſtat difficultas. Prima in eo verſatur, quod cum ann. 1. O. 100. Lacedæmonii ab ipſo Amynta evocati, communi cum eo ſententiâ, copulatiſque viribus poſt diuturnum bellum, ut diximus Nota c. poſtremæ Orationis, Olynthum ſubegerint; Nunc adverſus eoſdem Lacedæmonios ſecum ſocietate conjunctos Regem Athenienſibus reconciliatum eandem Urbem invadere, non facilè credi poſſit. Deinde videtur à veritate non parum abeſſe, Timotheum potuiſſe hoc ann. 3. Ol. 101. tantam ac tam potentem Civitatem reddere ſibi obnoxiam, cum fas ei non fuerit longo tempore in Thracia commorari; quippe priuſquam ferret Corcyræis auxilium, quo nomine Athenienſes eum Claſſi præfecerant, privato ſolùm conſilio in Thraciam excurſionem fecerit. Sic enim rem narrat Diodorus [n]: Ἀθηναῖοι δὲ καὶ πάλαι μὲν ἀπεςάλκεισαν Τιμόθεον τὸν Κόνωνος ἐπὶ βοήθειαν τοῖς Κερκυραίοις μετὰ νεῶν ἑξήκοντα. Οὗτος δὲ πρὸ τῆς συμμαχίας ταύτης πλεύσας ἐπὶ Θράκης, καὶ πολλὰς πόλεις ἐπὶ συμμαχίαν προσκαλεσάμενος, προσέθηκε τριάκοντα τριήρεις. *Athenienſes verò Timotheum rurſus miſerunt Corcyræis auxiliatum cum navibus ſexaginta. At ille priuſquam Sociis hiſce opitularetur, in Thraciam navigavit, multaſque ibi Urbes in Reipublicæ ſocietatem adduxit, triremes triginta Claſſi addidit.* Verùm eſt, quo hujuſmodi difficultatibus poſſimus ſatisfacere. Nam primùm retulimus Nota c. ſupra laudata, Amyntam diu ab Olynthiis omni injuriarum genere laceſſitum, Lacedæmonios in belli partem vocaſſe, ut in ejus manus eam traderent Civitatem, quam illi Macedonicis quòque armis domitam ſibi duntaxat aſſeruerunt. Hinc nemo, arbitror, pernegabit, hac Regem commotum injuriâ, Lacedæmoniorum ſocietatem deſeruiſſe, atque inito cum Athenienſibus fœdere, qui quidem Græcos omnes contra ipſos Lacedæmonios ſolicitabant, curaſſe, ut Olynthus in eorum concederet poteſtatem.

[n] *Diod.* lib. xv.

Neque

Neque id affero ſine gravi luculentiſſimoque teſtimonio. Æſchines [o] enim Philippo affirmat, Amyntam ſummâ Athenienſibus conjunctum familiaritate è vivis ceſſiſſe: πρῶτον μὲν γὰρ πρὸς αὐλὸν διεξῆλθον τὴν παλαιὰν εὔνοιαν, καὶ τὰς εὐεργεσίας, ἃς ὑμεῖς ὑπῆρξαθε Ἀμύντᾳ τῷ Φιλίππου πατρί, οὐδὲν παρελείπων, ἀλλ' ἐφεξῆς ἅπαντα ὑπομιμνήσκων &c. Ἀφικομένου δ' εἰς τὸν τόπους Ἰφικράτους μετ' ὀλίγων τὸ πρῶτον νεῶν, ἐπὶ καλὸν σκοπῇ μᾶλλον τῶν πραγμάτων, ἢ πολιορκίᾳ τῆς πόλεως, ἐνταῦθ', ἔφην ἐγώ, μεταπέμψαθαι αὐλὸν Εὐρυδίκη ἡ μήτηρ ἡ σή, καὶ ὡς γε δὴ λέγουσιν οἱ παρόντες πάντες, Περδίκκαν μὲν τὸν ἀδελφὸν τὸν σὸν καταξήσασα εἰς τὰς χεῖρας τὰς Ἰφικράτους, σὲ δ' εἰς τὰ γόνατα τὰ ἐκείνου θεῖσα παιδίον ὄντα, εἶπε, ὅτι Ἀμυντας παλαὶ τῶν παίδων τούτων, ὅτ' ἔζη, υἱὸν ἐποιήσατό σε, τῇ δ' Ἀθηναίων πόλει οἰκείως ἐχρήσατο. Ὥστε συμβαίνει σοι καὶ ἰδίᾳ τῶν παιδίων τούτων γεγενῆσθαι ἀδελφῷ, καὶ δημοσίᾳ φίλον ἡμῖν εἶναι. *Cum in ea loca perveniſſet Iphicrates cum paucis primùm navibus ſpeculandi potiùs, quàm obſidendæ Urbis, (Amphipoleos) cauſâ; Illinc, dicebam ego, ipſum accerſitum miſit Eurydices Mater tua, tuumque fratrem Perdiccam, ut aiunt, qui præſentes erant, Iphicrati in manus dedit, te verò ſuper ejus genua collocavit infantem adhuc, ac dixit: Amyntas Puerorum iſtorum pater, dum viveret, te veluti filium complexus eſt, atque Athenienſium uſus eſt familiaritate; fit igitur, ut privatim cum puerulis hiſce fraternæ cognationis vinculo conjunctus ſis, & publicè nobiſcum amicitiæ.* Altera verò difficultas minus habet ſalebrarum. Nam facilè inducor, ut credam, Timotheum non parvam in Thracia moram feciſſe, ac Diodorum [p] audio dicentem: Τότε δὴ καθυστερῶς τῆς τῶν Κερκυραίων συμμαχίας, τὸ μὲν πρῶτον ἀπέβαλε τὴν στρατηγίαν, τῷ Δήμῳ χαλεπῶς πρὸς αὐλὸν διαθεθέντος. *Tunc autem ob ſeriùs latam Corcyræis opem Iphicrates in ordinem redactus eſt, cum hanc tarditatem ægrè Populus pertuliſſet.* Non tamen puto, Timotheum Olynthum vallo cinxiſſe, ſiquidem diuturnioris temporis fuiſſet hoc pacto fortiſſimam Civitatem domare, ſed Mace-

[o] *Æſch: Orat. de falſa Legat.* [p] *Diod. ut ſupra.*

donum

donum ope ejus fines ingreſſum, Civium audaciam fregiſſe, atque in Athenienſium partes metu vaſtitatis adegiſſe. Non me fugit, eſſe, qui hæc Demoſthenis verba, quibus declarandis vacamus, in iſtiuſmodi ſenſum detorqueat; nimirum Macedonum arma nonnullius momenti eſſe, aliis conjuncta, ut accidit, cum Athenienſibus conſociata Potidæam ſubegerunt, quod etiam eveniſſe ait, Amyntâ Rege. At pace doctiſſimi Viri id longè diſtat ab Oratoris verbis, quæ ſatis per ſe ipſa patent; nec ratio temporis congruit. Quippe Timotheus Potidæam in poteſtatem recepit an. 1. O. 104. ἅμα ἓ τούτοις πραττομένοις, Τιμόθεος ὁ Αθηναίων στρατηγὸς, ἔχων δύναμιν πεζικήν τε καὶ ναυτικήν, Τορώνην μὲν καὶ Ποτίδαιαν πολιορκήσας εἷλε. *Quæ dum ita geruntur, Timotheus Athenienſium Imperator, pedeſtribus maritimiſque viribus inſtructus, Toronem Potidæamque obſedit, in ditionemque recepit*; ut Diodorus nos monet [q]. Amyntas autem hoc tempore fato ceſſerat; obiit enim a. 3. O. 102.

[M] De Potidæa ſatis ſuperque loquuti ſumus N.[o] *(pag.* 112.) Orat. 1. contra Philippum, ubi qua ratione, quove tempore à Philippo capta fuerit, annotavimus. Ad ejus Urbis fortunam, quam illic expendimus, id ſolùm addimus, quod in fine Annotationis ſuperioris recenſuimus, ac tunc ſilentio à nobis præteritum eſt.

[N] Non ſemel Theſſalorum Tyrannos Lycophronem, ac Pitholaum, Philippi auxilio depulſos, dicendo peragravi, præſertim Nota [s] ſuperioris Olynthiacæ. Nunc ſolùm addo, non ſine magnis laboribus negotium iſtud confectum fuiſſe, hinc Macedone Theſſalos, illinc Phocenſibus Tyrannos magno exercitu erigentibus. Ultimo enim prælio de quo loquutus ſum, Nota [B] Or. 1. contra Philippum, quo prælio debellatum eſt, fuerunt in acie viginti Phocenſium peditum millia, quingentique Equites; Theſſalorum totidem peditatus, Equitum tria pariter millia [r]. Quamobrem non immeritò Demoſthe-

[q] *Diod.* lib. xv. [r] *Diod.* lib. xvi.

nes

nes dicit, hujuſmodi Copiis Macedonicas additamentō ſolùm fuiſſe.

[o] Puto Pezetæros non qualeſcumque milites fuiſſe, qui pedibus mererent; præſertim hoc loco, ubi peculiari quadam nominis atque honoris ſignificatione eos Orator diſtinguit ab Exterorum, omnique aliorum militum globo. Idcirco vocem Græcam retinui. Latinè ſonat *commilitones*, ut Harpocration, Suidas, Anaximenes in lib. 1. Philippicorum. Erat, opinor, ſelectorum bellatorum cohors, ab Imperatore ob fidem virtutemque majori habita in pretio. Cujus rei vadem affero Euſtathium [s]: Οἱ Πεζέτεροι, ſcribit, τάγμα τι στρατιωτικὸν, ὧν ἡ γραφὴ διάφορος. Οἱ μὲν γὰρ ἐν τέλει ψιλοῖς ἐνγράφουσι καὶ τὰς παλαιὰς στρατιώτας ὅπλες, τὸν μὲν μίαν πέζαν ὡπλισμένοι, τὸν δὲ ἑτέραν γυμνοί. Ἄλλοι δὲ τὸν παραλήγουσαν διὰ διφθόγγε ἔχουσιν, ὡς ἐν πεζοῖς ἑταῖροι ὅπλες τῷ ἄρχοντι, διὰ τὸ ἐν μάχῃ ἀπόλεκτον κατ' ἀνδρείαν, ὁποίων φασὶ, καὶ Δημοσθένης μέμνηται ἐν Φιλιππικοῖς. Ἡ μέντοι ἀναλογία γράφει τὸν προπαραλήγουσαν, καὶ διὰ διφθόγγε τῷ λόγῳ τῷ Προσαίτερος, καὶ τῶν ὁμοίων. *Pezeteri Ordo & ipſi ſunt militaris, quorum ſcribendorum forma diverſa eſt. Tribus tenuibus juxta Veteres conſcribuntur, veluti ſint milites altero armati pede, altero nudi. Qui diphthongum habent in penultima, ſunt veluti Pedites Imperatori Socii propter eximiam virtutem in prælio, quorum Demoſthenes, inquiunt, meminit, in Philippicis. Attamen proportio diphthongum ponit in antepenultima, eâ ratione, qua in Proſæteros, ac ſimilibus.* Eadem ferè habet Ulpianus [t].

[p] Philippus maximas virtutes maximis vitiis inquinavit; ſed uſitato plerumque Regum more, multos habuit virtutum ſuarum laudatores, quorum vocibus ad eas confovendas incitaretur; nullos vitiorum objurgatores, qui medicinam medendis exhiberent. Ut cuncta paucis complectar, Vir belli & pacis artibus clariſſimus, at nimiùm ludis, vino, conviviis, vitæque deditus intemperantiæ. Quicquid Orator in

[s] *Euſtath. ad Iliad. δ.* [t] *Ulp. in Enarrat. hujus Orat.*

illum

illum nunc jacit, non utique maledicta, ſed veræ ſunt accuſationes. Hominibus vini, ſtupri, ſcelerum plenis, non corpori, non ſuæ parcentibus ætati familiaribus utebatur, qui vel octingenti numero, pluſquam decem bellatorum millium ſtipendia vorabant. Turpe quidem eſt horum meminiſſe; ſed turpius foret, quæ agebant in memoriam hominum revocare. Ea latè proſequitur Theopompus apud Athenæum [v], ubi iiſdem, quibus à Demoſthene coloribus Philippus depingitur. At ſub exitum vitæ mores mutaſſe, ac ſeſe ad meliorem frugem recepiſſe Diodorus eſt auctor, cujus verba operæ pretium eſt audire, ut ſaltem ex hac parte maximi Regis fama bene apud homines audiat. Cum igitur an. 3. Ol. 110. Athenienſes Bœotoſque ingenti prælio apud Chæroneam profligaſſet, extremamque plagam univerſæ Græciæ intuliſſet, intemperantiùs ludis, epulis, turpiſſimiſque ſodalibus ſe dedit, è quibus feliciter emerſiſſe narrat his verbis Autor Sicilienſis [w]: Λέγουσι δὲ τινὲς ὅτι ἡ παρὰ τὸν πότον πολιὼ ἐμφορησάμενος ἄκρατον, ἡ μεθ' ἡμέραν τῶν φίλων τὸν ἐπινίκιον ἄγων κῶμον, διὰ μέσων τῶν αἰχμαλώτων ἐβάδιζεν, ὑβρίζων διὰ λόγων τὰς τῶν ἀκληρούντων δυσχίας. Δημάδην δὲ τὸν ῥήτορα, καθ' ἑκάστην τὸν καιρὸν ἐν τοῖς αἰχμαλώτοις ὄντα, χρήσασθαι παῤῥησίᾳ, ἡ λόγου ἀποφθέγξασθαι δυναμένου ἀναστῆναι τιὼ τῷ Βασιλέως ἀστέλγειαν. Φασὶ γὰρ εἰπεῖν αὐτόν· Βασιλεῦ, τῆς τύχης σοὶ παρισταμένης πρόσωπον Ἀγαμέμνονος, οὐκ αἰσχύνῃ πράττων ἔργα Θερσίτου; Τὸν δὲ Φίλιππον, τῇ τῆς ἐπιπλήξεως ἐυσχίᾳ κινηθέντα, τοσοῦτο μεταβαλεῖν τιὼ ὅλων διάθεσιν, ὥστε τοὺς μὲν στεφάνους ἀπορρίψαι, τοὺς δὲ σωματοφύλακας καθὰ τὸν κῶμον σύμβολα τῆς ὕβρεως ἀποβαλέσθαι, τὸν δ' ἄνδρα τὸν χρησάμενον τῇ παῤῥησίᾳ θαυμάσαι, ἡ τῆς αἰχμαλωσίας ἀπολύσαντα πρὸς ἑαυτὸν ἀναλαβεῖν ἐντίμως. *Sunt qui dicunt, cum Philippus vino largiter epoto perluſtraret in ſervitutem redactos, celebratoque cum amicis ob partam victoriam laſcivo convivio, per medios ſervos incederet, contumelioſéque exprobraret miſeris ipſorum infelicitatem, Oratorem Demadem, tunc*

[v] *Athen. Cœnæ Sap.* lib. iv. vi. x. [w] *Diod.* lib. xvi.

inter

inter ſervos degentem, dicendi libertate uſum, breviter ea Regi reſpondiſſe, quæ poſſent ejus refrænare petulantiam. Sic enim dixiſſe ferunt: O Rex, Tibi Fortuna perſonam impoſuit Agamemnonis; Te verò non pudet, Therſitem agere? Ipſum autem eâ increpationis dexteritate commotum ita prorſus mores immutaſſe, ut coronas è capite abjecerit; adjuncta conviviis petulantiæ Inſignia depulerit; eumque Virum, qui liberum ſermonem adhibuerat, ſolutum ſervitutis vinculis in admiratione atque honore apud ſe retinuiſſe.

[Q] Calliam iſtum, hiſtrionem, artiſque muſicæ peritum, non alium exiſtimo ab illo, cujus his verbis meminit Suidas: Καλλίας Ἀθηναῖος, κωμικὸς, υἱὸς Λυσιμάχου, ὃς ἐπεκλήθη Σχοινίων, διὰ τὸ σχοινοπλόκος εἶναι πατρός. Οὗ δράματα, Αἰγύπτιος, Ἀταλάντη, Κύκλωπες, Πεδῆται, Βάτραχοι, Σκολάζοντες. *Callias Athenienſis, comicus, Lyſimachi filius, qui Schœnion dictus eſt, quod patrem habuerit, ex junco funes plectentem. Ejus Comœdiæ ſunt, Ægyptius, Atalanta, Cyclopes, Vincti, Ranæ, Otioſi.* Huic enim congruit, quicquid acerbo animo de ſuo Callia dicit Demoſthenes. Remanent adhuc iſtarum Comœdiarum pauci verſus, nec inficeti, ut Cyclopum in Polluce [x], atque Athenæo [y]; Vinctorum in iiſdem, Diogene Laertio [z], & Scholiaſte Ariſtophanis [a]; Atalantæ in Zenobio [b].

[R] Denuo exagitandam ſibi proponit Athenienſium incuriam, qua Methoni, Pydnæ, Potidææ, aliiſque Thraciæ urbibus ſuppetias tulerant. Philippi in iis capiendis celeritatem, illorumque ſocordiam, dum longiùs, quàm par eſſet, deliberant, oſtendi, ubi de hujuſmodi locis aliquid a me dictum eſt. Quàm ſæpe ubicumque terrarum illud accidit: *Dum Romæ conſulitur, Saguntum expugnatur.*

[S] Nullo negotio locus iſte Demoſthenis explicatur, ſi Diodorum Ducem ſequamur. Narrat enim,

[x] *Pollux Onomaſt.* lib. vii. cap. 26. [y] *Athen. Deipnoſophiſt.* lib. iv. & vii. [z] *Diog. Laert. in Socr.* lib. ii. [a] *Schol. in Avibus.* [b] *Zenob. Cen.* iv. *Prov.* 67. *An.* 3. & 4. *O.* 100.

Thebanos à Lacedæmoniis oppreſſos, Cadmeam recuperaſſe, impetratâ ab Athenienſibus ope; ac depuliſſe oppreſſores ſuos. Deinde Legatos quaquaverſum ab iiſdem Athenienſibus miſſos, qui Græcas Urbes ad excutiendum Lacedæmoniorum jugum adhortarentur, plures conſilium accepiſſe, quas inter Chium, Rhodum, Byzantium, Mitylenem; conſtitutoque Athenis communi Conventu, ſic inter ſe conveniſſe: πόλιν δ' ἐπίσης καὶ μεγάλην, καὶ μικρὰν μιᾶς ψήφου κυρίαν εἶναι. Πάσας δ' ὑπάρχειν αὐτονόμους, ἡγεμόσι χρωμένας Αθηναίοις, *Urbes omnes, magnas æquè ac parvas, unius unamquamlibet ferendi ſuffragii compotem eſſe. Cunctas pariter ſuis legibus vivere, ſed in re gerenda Præfectis uti Athenienſibus* [c]. Quid hac agendi magnanimitate illuſtrius excogitari poteſt? Pro Græcarum gentium libertate arma expediiſſe, nequaquam veritos, quæ tunc maximè vigebat, Lacedæmoniorum potentiam. Idem quoque ſentit Ulpianus [d], cujus iſta ſunt verba: Τὸν πόλεμον λέγει τὸν ὑπὲρ τῶν Θηβαίων, ὅτι Λακεδαιμόνιοι τὴν Καδμείαν κατέλαβον. Ἐν γὰρ τῷ Πελοποννησιακῷ πολέμῳ ὀρῶντες οἱ Λακεδαιμόνιοι τοὺς Ἕλληνας ἀδικουμένους ὑπὸ τῶν Αθηναίων, ὑπέσχοντο αὐτοῖς ἐλευθερίαν, εἰ μετασταῖεν πρὸς αὐτούς, καὶ τούτῳ τῷ λόγῳ ἠδυνήθησαν αὐτοὺς ἀποστῆσαι. Ὡς δὲ κατορθώσαντες τὸν πόλεμον, ὕστερον καὶ αὐτοὶ χειρόνως ἠδίκουν τοὺς Ἕλληνας· ἀγανακτήσαντες ὑπὲρ τούτων οἱ Αθηναῖοι, ἐξήνεγκαν ὑπὲρ τῶν ἀδικουμένων πόλεμον πρὸς Λακεδαιμονίους. Καὶ ἐν τούτῳ ἐκλήθη ὁ πόλεμος ὁ ὑπὲρ τῶν Ελληνικῶν δικαίων. *Bellum dicit pro Thebanis ſuſceptum, cum Lacedæmonii Cadmeam occuparunt. Etenim in Peloponneſiaco bello, cum Lacedæmonii intuerentur Græcos injuriis ab Athenienſibus affectos, iis libertatem promiſerunt, ſi in ſuas partes tranſirent, iſtoque illos ſermone ad defectionem illexerunt. Bellum igitur è ſententia geſtum eſt. Sed cum ipſi vice ſuâ pejùs Græcos haberent, doluit hoc Athenienſibus, bellumque Lacedæmoniis propter oppreſſorum damna intulerunt. Hinc autem bellum iſtud pro Græcorum jure ſuſce-*

[c] *Diod.* lib. xv. [d] *Ulp. in hunc locum.*

ptum

ptum dicitur. Quod cum ita ſe habeat, & re verâ nullum aliud per ea tempora Athenienſium cum Lacedæmoniis certamen huic nomini aptari poſſit, quid agemus de Xenophonte, autore συγχρόνῳ, probatiſſimæque fidei? Hic enim, ut latiùs adduximus N. [K] Or. I. contra Philip. (*pag.* 109.) ſcribit, initiò non publicè, ſed privatim à quibuſdam Athenienſium opem Thebanis collatam; quin publicè fuiſſe improbatam, morte multato altero Ducum, qui ſuppetias ierant, altero aquâ & igne interdicto. Miſſam deinde etiam publicè, ſed provocatâ prius ad bellum Republicâ, ut ibidem diximus; nec diu fœdus manſiſſe, quippe Athenienſes cum pactam pecuniam à Thebanis non recepiſſent, pacem cum Lacedæmoniis inſtaurarunt, quam tamen citò diſſolutam, iterum firmiùs compoſuerunt; quamobrem nequaquam pugnæ ad Leuctram, quæ mox commiſſa eſt, interfuiſſe. Poſtquam autem vehementer ibi perculſos ac labefactatos Lacedæmonios renunciatum eſt, tunc ſolùm alacriter ad erigendas in ſpem libertatis Græcas Civitates animum ſtudiumque intendiſſe [e]. Profectò Scriptori tam accurato, qui rem ſuo tempore geſtam diligentiſſimè conſcripſit, fides negari nequit. Igitur de Sicilienſi Hiſtorico nihil laboro; & quod attinet ad Oratorem noſtrum, puto ſatis illi fuiſſe ad hanc ſententiam, quam expendimus, proferendam, quod verè Athenienſes, quamvis laceſſiti, opem Thebanis attulerint, pro ipſiſque eo bello pugnaverint aliquando; iiſdemque ſuam initiò ſalutem Thebanorum Reſpublica debuerit. Eſt deinde Oratoris, rem latiùs ornare verbis atque augere.

[T] Notat tempus, non illud ſolùm, quo apertum eum Philippo bellum habebant Athenienſes; ſed omne, quo damna atque injurias ab illo acceperant. Quocirca ne punctum quidem à veritate diſcedit, inquiens, Rempublicam otioſè primùm expectaſſe,

[e] *Xenoph. de Rebus Græc.* lib. v. & vi.

quid aliis contra Regem ſuccederet, quive rei exitus foret. His autem verbis veluti digito monſtrat acerrimas periculoſaſque contentiones, quibus illum ab ipſo regnandi exordio Pæones, Illyrii, Thraces exercuerunt. Sequitur indicare tempus, quo Rex Thracias Urbes, vel Athenienſium præſidio munitas, vel eorum Socias occupavit, Phocenſes afflixit. Tunc enim cum Olynthiis Thraciiſque Regibus contenderunt Athenienſes, cujuſnam intereſſet iiſdem Urbibus opitulari; & cum Lacedæmoniis, ad quos magis pertineret eoſdem Phocenſes ope ſuâ confirmare. Demum incuriam vellicat ſocordiamque Civium ſuorum, cum inducti ſpe promiſſæ Amphipolis recipiendæ, ac deterriti Macedonis felicitate, immobiles hærerent, atque ad agendum ancipites.

[v] Quot Urbibus, quantaque Regionis parte deſpoliati fuiſſent Athenienſes, videre eſt n. [f] Orationis primæ contra Philippum.

[x] Lampſacum clariſſima Bythiniæ Urbs ad Helleſpontum contra Callipolim ſita, à Dampſace puellâ indigenâ, ut Stephanus habet, nuncupata, vel ἀπὸ τῦ λάμπειν, *à fulgendo*; quoniam Phocenſes, à quibus [f] a. 2. O. 31. conſtructa eſt, Oraculum conſulentes, quò pergerent Coloniam deducturi, reſponſum accepiſſe ferunt; conſiſterent, ubi primùm Sol iis fulſiſſet [g]. Ab Homero Laomedontia & Pithya διὰ τὸ τῶν Πιτύων ἔχειν πλῆθος, *quia Pinus habet frequentes* [h] appellata. Optimo portu & Cybeles templo clara fuit [i], nec minus Vini præſtantiâ affluentiâque. Idcirco Themiſtocli, poſtquam ad Artaxerxem confugerat, potus nomine tradita fuerat: Μνημεῖον μὲν ἔν αὐτῦ (Θεμιστοκλέους) ἐν Μαγνησίᾳ ἐστὶ τῇ Ασιανῇ ἐν τῇ ἀγορᾷ. Ταύτης γὰρ ἦρχε τῆς χώρας, δῶρον Βασιλέως αὐτῷ, Μαγνησίαν μὲν, ἄρτου, ἣ προσέφερε πεντήκοντα τάλαντα τῦ ἐνιαυτῦ· Λάμψακον δ' οἶνον, ἐδόκει γὰρ πολυοινό-

[f] *Steph.* [g] *Mela* lib. i. cap. 19. [h] *Steph.*
[i] *Strabo*, lib. xiii.

τατον

τάλον τῶν τότε ἐνιαυτῶν. *Monumentum igitur ipſius Themiſtoclis in foro eſt Aſiaticæ Magneſiæ. Huic enim Regioni præfuit, conceſſâ illi à Rege Magneſiâ panis nomine, unde quinquaginta quotannis Talenta obveniebant; ac Lampſaco propter vinum, cujus tunc ea Urbs omnium feraciſſima reputabatur* [k]. Nec prætermittenda eſt ampliſſima laus, qua maximè à Tullio ornatur, dum Lampſacenum illud Verris diſcrimen ac ſcelus deſcribit incredibili eloquentiæ vi: *Oppidum*, inquit, *in Helleſponto eſt Lampſacum, Judices, in primis Aſiæ provinciæ clarum & nobile* [l]. Poſt bellum Perſicum profligatum, in Athenienſium ſocietatem conceſſit. Cum verò illuc veniſſet Dercylidas Lacedæmoniorum Dux, nullo negotio ſimul cum Abydo in ſuas partes adduxit ann. 3. Ol. 90. Peloponeſiaci belli ann. 21. Sed ſtatim è Coo inſulâ ad illam navigans oram Strombechides Athenienſis cum quatuor & viginti navibus Urbem mœnibus deſtitutam recuperavit, publicatis duntaxat Supellectile ac Servis [m]. At denuo Lyſander illam aſſeruit Lacedæmoniis [n] an. 4. Ol. 93. à quibus in Perſarum poteſtatem rediit an. 2. Ol. 98. pacis conditione, ab Antalcida nuncupatæ. Occupata deinde fuit à Mercenariorum militum Ducibus, ut ſuo loco dicemus. Nunc à Turcis *Lepſche* vocatur.

[Y] Sigeum Promontorium atque oppidum ejuſdem nominis in Phrygia, ubi Achæorum caſtra, Statioque navium, dum ſæviit Trojanum bellum, & oſtia Scamandri fluminis. De hoc Servius ad iſtum Æneados libri ſecundi verſum:

Jam proximus ardet
Ucalegon, Sigea igni freta lata relucent.

ſic habet: *Duo ſunt Trojæ promontoria, Rhetæum, & Sigeum, quod dictum propter Herculis taciturnitatem, qui prohibitus hoſpitio Laomedontis, ſimulavit abſceſſum,*

[k] *Thucyd.* lib. i. [l] *Cic. Ver.* 3. [m] *Thucyd.* lib. viii.
[n] *Xenoph. de Rebus Græc.* lib. ii.

& inde contra Trojam per ſilentium venit, quod σιγὴ *apud Græcos ſilentium dicit. Illud Promontorium ſepulchrum & templum Achillis condecorabat.* De quo ſepulchro mentionem quoque facit Tullius noſter pro Archia, verbis hiſce: *Quàm multos Scriptores rerum ſuarum magnus ille Alexander habuiſſe dicitur, qui cum in Sigeo ad Achillis tumulum adſtitiſſet: O fortunate, inquit, Adoleſcens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris.* Nunc Sigeum *Janizari* nuncupatur.

At qui ſunt Duces iſti, qui externa libentiùs bella, ſuoque arbitratu perſequuntur, & habent Lampſacum, Sigeum, & quicquid navium prædantur? Res quidem ad explicandum difficillima, utpote maximis antiquitatis tenebris involuta, cujuſque nulla ſint in publicis monumentis veſtigia. Æſchinis ° tantummodo locus eſt, qui ſi aliquâ & ipſe luce perfundatur, nonnihil luminis præferre poſſit. Sic autem habet, nec amputari poteſt, cum totus ad rem noſtram faciat: Βέλομαι δ' ὑμᾶς ἢ τὰς καιρὰς ὑπομνῆσαι, ἐν οἷς ἐβουλεύεσθε. Τῶ μὲν γὰρ ἀρχῶ ἐποιησάμεθα τὸ πολέμω ὑπὲρ Αμφιπόλεως. Συνέβαινε δ' ἡμῶν τὸν στρατηγὸν ἐν τῷ πολέμῳ μὲν ἑβδομήκοντα ἢ πέντε πόλεις συμμαχίδας ἀποβεβληκέναι, ἃς ἐκτήσατο Τιμόθεος ὁ Κονῶνος, ἢ καλέσησεν εἰς τὸ σωτέδριον. (προήρημαι γὰρ παρρησιάσασθαι, ἢ ἐλευθέρως ἅμα, ἢ τάληθῆ εἰπὼν σώζεσθαι. Κᾆν ἄλλως πῶς γινώσκητε, διαχρήσασθαί με, ὃ γὰρ ἂν ὑποστειλάμην) ἑκατὸν ἢ πεντήκοντα τριήρεις λαβόντα ἐκ τῶν νεωρίων μὴ καταπεπομπέναι. Καὶ ταῦτα ὑμῖν ἐν τοῖς ἀγῶσιν ἀεὶ τοῖς Χάρητος οἱ καθήγοροι δεικνύουσι. Χίλια ἢ πεντακόσια τάλαντα ἐκ εἰς στρατιώτας, ἀλλ' εἰς ἡγεμόνων ἀλαζονείας ἀνηλωκέναι, Διϊάρχω τε, ἢ Διϊπυρον, ἢ Πολυφόντω, ἢ δορυφόρους ἀνθρώπους, ἐκ τῆς Ελλάδος συμπεπλεγμένους, ἢ χωρὶς εἰς τὰς περὶ τὸ βῆμα, ἢ τῶ Εκκλησίαν μισθοφόρους. Οἱ μὲν τὰς παλαιπώρους νησιώτας καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἑξήκοντα τάλαντα εἰσέπρατον σιώταξιν, καθήγον ἢ τὰ πλοῖα, ἢ τὰς Ἕλληνας ἐκ τῆς κοινῆς θαλάττης. Ανθ' ἧς ἀξιώματος, ἢ τῆς τῶν Ελλήνων ἡγεμονίας ἡ

° *Æſchin. Orat. de falſa legat.*

πόλις

πόλις ἡμῶν Μυονήσου καὶ τῆς τῶν λῃστῶν δόξης ἀνεπίπλαλο. Φίλιππος ὁ ὁρμηθεὶς ἐκ Μακεδονίας, ὑκέθ' ὑπὲρ Αμφιπόλεως πρὸς ἡμᾶς ἠγωνίζετο, ἀλλ' ἤδη περὶ Λήμνου, καὶ Ἴμβρου, καὶ Σκύρου, τῶν ἡμετέρων κτημάτων. Εξέλιπον ὁ Χερρόνησον ἡμῶν οἱ πολῖται, τῷ ὄσαν ὁμολογημένως Αθηναίων. *Velim vos temporum meminiſſe, quibus deliberabatis. Bellare cœpimus pro Amphipoli; at in eo bello contigit, Imperatorem noſtrum feciſſe quinque & ſeptuaginta ſociarum Urbium, quas Timotheus Cononis filius lucratus fuerat Reipublicæ, Concilioque Sociorum adſcripſerat. (Statui enim liberam vocem mittere, ac vera loquendo dignitatem meam tueri. Quod ſi decerneretis aliter me loqui, attamen haud me cohiberem, nec formidarem). Accidit etiam, Imperatorem ipſum è Navalibus centum quinquaquaginta Triremes eduxiſſe, nec reduxiſſe. Atque iſta quidem in Judiciis, quæ contra Charetem aguntur, ſemper vobis ante oculos ponunt, qui eum accuſant. Rurſus millies quingentieſque talentûm nequaquam in Militum ſtipendio conſumpſiſſe, ſed in glorioſorum vanorumque Ducum, Diiaridis, Diipyri, ac Polyphontis, qui ex omni Græcia fugitivos homines collegerunt; aliqua etiam ſeorſum in conducendis retinendiſque Mercenariis Oratoribus. Qui ſanè Duces ſexaginta quotannis talenta exigebant à miſeris Inſularum Incolis; prædabantur quoque navigia, & Græcos in mari, quod omnibus commune eſt. Noſtra verò Civitas, quæ auctoritate ac principatu cunctis Græcis antecellere debuiſſet, Myoneſi ac Piratarum gloriâ repleta eſt. Philippus autem è Macedonia egreſſus, nequaquam nobiſcum pro Amphipoli, ſed jam de Lemno, Imbro, Scyro, Reipublicæ patrimonio decertabat. Cives noſtri Cherſoneſum, quæ nullâ controverſiâ ad nos pertinet, deſerebant.* Igitur ex hoc loco intelligimus, conductos ab Athenienſibus magnâ pecuniâ Mercenarios Duces, Diiaridem, Diipyrum, Polyphontem, dum pro Amphipoli arma contra Philippum geſtabant. Geſtabant autem (quod etiam expiſcari oportet, cum hujuſmodi expeditionis nemo Scriptorum meminerit) paulò antequàm Athenienſium Coloni è

Cherſoneſo fugerent Philippi metu, & iſte Lemno, Imbro, Scyro immineret. Igitur non ante a. 4. O. 106. quo ipſi Athenienſes eam provinciam præter Cardiam dono à Kerſoblepte acceperunt, atque illuc ſtatim Colonias deduxerunt, ut Diodorus [p] narrat. Nec poſt 1. O. 107. ſiquidem eo tempore Philippus, excisa quoque Methone, ac debellato cum Theſſalorum Tyrannis, oræ maritimæ, ac longe pelago imperitabat. Accedit, quod in Concione primâ contra Philippum, quam memorato anno Demoſthenes habuit, ut de recenti re dicitur, Mercenarios Duces ad Artabazum ab Athenienſibus tranſiſſe; & in hac Olynthiaca, ut de re aliquantulum remotiori, eos habere Lampſacum, Sigeum ac Naves prædari. Ex hac igitur rerum geſtarum ſerie colligi poteſt, Duces illos ab Æſchine nuncupatos, ac ſimul Charetem, eos eſſe, qui nunc ab Oratore dicuntur habere geminas illas Civitates. Nam cum iſtæ forent in Phrygia, quam Artabazus, vel Pharnabazus, ut aliquando eum vocat Diodorus, rebellando occupaverat, nonniſi ab iſto donari poterant; nec deerat donandi cauſa, ſcilicet opportunè latum ſibi ab iiſdem Imperatoribus auxilium. Quod autem non uni ſolùm donaverit, argumento eſt plurium numerus, hoc loco ab Oratore uſurpatus. Quo in numero an Chares contineatur dubitari poſſet, dum iſte, ut Nota [A] Orat. de Claſſibus annotavimus, jam Satrapæ ſuppetias venerat ann. 1. O. 106. præmiumque magnam pecuniam retulerat. Sed iterum venire negaverat an. 4. ejuſdem Olympiadis; quare inimico inter ſe animo eſſe quiſpiam non temerè arbitraretur. Quamquam & hunc quoque opem deinde tuliſſe, ejus avaritia; & idem ipſi, ac reliquis, munus perſolutum, ſuadet, quæ inde Artabazo utilitas obveniebat. Ad hoc alterum auxilium, non minus quàm ad primum ea puto referenda eſſe, quæ dixi Nota [s] Orat 1. contra Philippum.

[p] *Diod.* lib. xvi.

[z] Ac-

[z] Accuſationes, quæ proprio nomine Athenis εἰσαγγελίαι vocabantur, ad publica delicta pertinebant, quorum intererat nullâ morâ Judicium fieri. Eas liberum erat ad Senatum, vel ad Concionem deferre; ſed in primo menſis Conventu proponi opus erat. Nec, ſi Reus Cauſam viciſſet, in hujuſmodi Judiciis ulla dabatur Accuſatori pœna, ſi tamen quintam ſuffragiorum partem tuliſſet; ſecus, mille drachmis multabatur, ut non ſemel Demoſthenes, Æſchines, aliique tradunt [q]. Accuſator crimen deferebat; Reus, aut ejus vice Oratorum aliquis illud negabat, aut excuſabat. Præco, Magiſtratus juſſu, Populum, aut Senatores ad ferenda ſuffragia invitabat; eaque non dabantur, ut in reliquis negotiis, manuum porrectione, ſed fabis albis & nigris, ut Romæ tabellis funeſtâ aut ſalutari literâ inſcriptis. Unicuique verò, cui in Senatu vel Concione intereſſe jus erat, erat pariter accuſandi. Inter hujuſmodi accuſationes locum obtinebant, quæ de Imperatoribus afferebantur, tantâque ſeveritate plerumque contra iſtos agebatur, ut ſæpius leviora delicta capite luerent. Exemplo ſunt ſex illi à nobis ſupra è Xenophonte [r] recenſiti, qui obortâ ſæviſſimâ tempeſtate cadavera ſuorum in pugna cæſorum colligere non potuerunt, attamen necati ſunt. Verùm quidem eſt, capitale id apud Græcos fuiſſe, falsâ illâ inductos opinione, inſepultis fas non eſſe Stygem tranare. Non ſibi tamen deerant Imperatores, qui ſtatim ac quidpiam infeliciter geſtum foret, Athenas mittebant fautores ſuos, eorumque operâ utebantur ad Plebem falſis renunciationibus præoccupandam: *ὅταν γὰρ ἡτίηται μὲν ὁ στρατηγὸς ἀθλίων ἀπομίσθων ξένων, οἱ δ' ὑπὲρ ὧν ἂν ἐκεῖνος ἐκεῖ πράξῃ, πρὸς ὑμᾶς ψεύδόμενοι ῥᾳδίως ἐνθένδε ὦσιν· ὑμεῖς δ' ἐξ ὧν ἂν ἀκούσητε, ὅ, τι ἂν τυχῇ, ῥᾳδίως ψηφίζεσθε, τί χρὴ προσδοκᾶν;* *Nam cum ærumnoſorum hujuſmodi militum mercede fraudatorum cæditur*

[q] *Pollux, Harpocration, Demoſth. contra Evergum, & alibi.*
[r] *Xenoph. de rebus Græc.* lib. i.

Imperator,

Imperator, huc advolant, qui falsis renunciationibus vos decipiant, ex earumque solùm fide cum quicquid statim vobis in mentem venit decernatis, quid unquam boni sperare liceat? Ita queritur Demosthenes [r]. Quin etiam magnis præmiis emebant sibi Oratorum in Concionibus operam, ut sæpius hic ipse reprehendit. Id nunc usu venit Chareti, de quo præcipuè sermo fit hoc Oratoris nostri loco. Delatus enim ad Populum ob Rempublicam malè gestam (quippe dum Classi præerat, Philippus sibi adjecerat septuaginta quinque oppida, Athenienſium fœderata, & ille plures naves amiserat [s]) primùm furentis multitudinis impetu concussus est. Etenim, ut Æschines ait eodem loco, statim ac ista Athenienſibus renunciata sunt, exarserunt adeo, ὥστε ἠναγκάσθη γεγράψαι ψήφισμα Κηφισοφῶν ὁ Παιανιεὺς ὅς τῶν φίλων, καὶ ἑταίρων τῆ Χαρήτος, ἐκπλεῖν τὴν ταχίστην Αντίοχον τὸν ἐπὶ τῶν ὑπηρεσιῶν, καὶ ζητεῖν τὸν στρατηγὸν τὸν ἐπὶ τῇ δυνάμει τεταγμένον, καὶ ἐὰν ἐντύχῃ που, φέρειν, ὅτι θαυμάζει ὁ δῆμος ὁ τῶν Αθηναίων, εἰ Φίλιππος μὲν ἐπὶ Χερρόνησον τὴν Αθηναίων πορεύεται. Αθηναῖοι δ' οὐδὲ τὸν στρατηγὸν ἴσασιν, οὐδὲ τὴν δύναμιν, ἣν ἐξέπεμψαν, ὅπου ἐστίν. *Ut Cephisophon Pæanienſis, Amicorum unus, ac ſodalium Charetis, coactus fuerit decretum ſcribere, quo Antiocho actuariorum navigiorum Præfecto imperatum eſt, ut quam celerrimè naviget, Ducem exercitus, ubicumque ſit, inquirat, ac denunciet, Populum Athenienſem ingenti teneri admiratione, quod Philippus in Cherſoneſum, provinciam Reipublicæ, irruat; atque interim ipſum Populum ignorare, ubinam gentium commoretur ſuus exercitus atque Imperator.* At Chares declinato primo popularis iracundiæ ictu; actâ deinde per Oratores causâ, quos Plutarchi [u] teſtimonio familiariſſimos habebat, in Civium gratiam rediit, nedum abſolutus eſt. Quod ſi quis contendat nequaquam hoc loco Demoſthenem de Charete loqui, cum non ipſe, ut dicitur, Cauſam

[r] *Demoſth. Orat.* 1. *contra Phil.* [s] *Æſchin. ut ſup.*
[u] *Plut. in Phoc.*

ſuam

ſuam ad Plebem egerit, ſed vice ſuâ Oratores; ſciat non alienum eſſe, Patroni dictum pro ipſius Rei uſurpari. Huic tamen Chareti & alii Duces addendi ſunt, qui frequenter in hujuſmodi Judiciis verſabantur, ſi Demoſthenem [w] audiamus, quos inter Timotheus atque Iphicrates adnumerari poſſent, ſi Cornelio Nepoti [x], eos à delicto liberos pronunciatos narranti, fides habeatur; quamquam nos acerbe damnatos jampridem locupletiſſimis teſtimoniis probavimus.

[a] De Claſſibus hiſce ad perſolvenda tributa inſtitutis ſatis diximus Nota [u] Orat. de Claſſibus.

[b] Nec tunc pariter Trecentos iſtos reticuimus, & qui forent, quem ad uſum conſtituti, quidve ex illis utilitatis aut damni caperet Reſpublica, palam fecimus.

[c] Malum Athenis invaluerit popularibus Imperiis exitiale, ut Plebs Potentiorum præmiis ac promiſſis illecta, ſeu minis territa, aut obærata, in ipſorum propemodum conceſſiſſet poteſtatem, atque ex aliena voluntate ſuffragium iniret. Hinc illi nonniſi ſupremos Magiſtratus accipiebant; inferiores laborum onerumque plenos invitis etiam, & cui vellent demandabant. Proinde neceſſe erat factionibus, perpetuiſque diſſidiis, quæ tamen querelarum plus haberent, quàm virium, proſcindi Rempublicam. Id utique malum, cui medendo quæcunque potuit remedia ſedulo Demoſthenes adhibuit, Athenienſium libertati labem atque interitum attulit. Id Romanorum; id aliarum quarundam Italicarum Urbium Reſpublicas, Proavorum memoriâ, diſſolvit, quas operæ pretium non eſt recenſere.

[w] *Demoſth. Orat.* 1. *contra Philipp.* [x] *Cornel. Nepos in Vita Timoth.*

OLYNTHIACA TERTIA.

IN ARGUMENTUM.

IN hujus argumenti illuſtratione non multùm arbitror immorandum. Nam & quid ſibi velit, per ſe ipſum, opinor, oſtendit; & ſi quod oſtendit, Veterum teſtimoniis comprobare velis, nulla ſunt. Siquidem nemo, ut non ſemel dixi, tradit, quid cauſæ fuerit Demoſtheni, tribus Orationibus hortari Athenienſes ad opem Olynthiis ferendam; & illæne, antequam quidpiam auxilii decretum fuerit, dictæ ſint, an gradatim, prout novis ſubſidiis indigebant. Si tamen aliquis conjiciendo ſit locus, hoc poſtremo, quem retulimus, ordine habitas fuiſſe cenſendum eſt, quod etiam Philochori de triplici Olynthum miſsâ expeditione teſtimonio congruit, de quo jam [y] verba fecimus. Huic Orationi occaſionem dediſſe videtur belli quiſpiam eventus, qui bene Olynthiis, ope Athenienſium ſublevatis, ſucceſſerit. Ab iis autem non ſemel initiò Philippum conciſum, Diodorus [z] eſt auctor. Idque non obſcurè indiçatur ab Exordio Concionis, ubi re aliquâ bene geſtâ elatos Civium ſuorum animos Orator admonet, ne ab Olynthiorum auxilio ad provocandum armis Philippum cogitationes convertant. Accedit Ulpiani ac Libanii auctoritas, Scriptorum quidem à Demoſthenis ætate remotiſſimorum, ſed cum magis ab hac noſtra, quàm ab illius diſtent, credere par eſt, teſtimonium ſuum ex aliquo veteri monumento, quod tunc temporis ſupereſſet, eruiſſe. Sic enim Libanius [a] ait: Ἔπεμψαν βοηθειαν τοῖς Ολυνθίοις οἱ Αθηναῖοι, ἡ τι καλοῦ-

[y] *Not.* B. *Olynth.* 1. [z] *Diod.* lib. xvi. *a.* 1. *O.* 828.
[a] *Liban. in arg. hujus Orat.*

ὃν,

δῶν δ' αὐλῆς, καὶ ταῦτα αὐλοῖς ἀπηγγέλλετο. Ὁ δ' Δῆμος περιχαρὴς, οἵτε ῥήτορες παρακαλεῖν ἐπὶ τιμωρίαν τῷ Φιλίππῳ. Ὁ δ' Δημοσθένης δεδοικὼς μὴ θαρσήσαντες, ὡς τὰ πάντα νενικηκότες, καὶ ἱκανῶ βοηθείαν πεποιημένοι τοῖς Ολυνθίοις, τῶν λοιπῶν ὀλιγωρήσωσι· διὰ τοῦτο παρελθὼν ἐκκόπτει τὴν ἀλαζονείαν αὐλῶν &c. *Athenienſes Olynthiis auxilium ſubmiſerant, quo ſe confirmaſſe atque erexiſſe videbantur; idque Populo renuntiabatur. Hic autem præter modum lætus exultabat, atque ab Oratoribus ad Philippi vindictam incitabatur. Verùm Demoſthenes in metum venit, ne nimium elati animis Cives, veluti jam partâ victoriâ, novo Olynthios auxilio recreare negligerent, quaſi jam ſatis miſiſſent; proinde ad loquendum conſurgens, illorum comprimit jactantiam &c.* Sic autem Ulpianus [b]: ἐν ᾧ γὰρ ἐπηρμένον τὸν Δῆμον, καὶ μέγα φρονοῦντα ἐπὶ τῇ νίκῃ συνέλλει, καὶ πρὸς φόβον καθίστησιν. *Elatum enim Populum, ac magnificè ſuper victoriâ cogitantem reprimit, ac metu quodam coercet.*

IN ORATIONEM.

[A] TEmpus indicat, quo nondum Reipublicæ abreptæ fuerant Pydna, Potidæa, Methone, Amphipolis, tantaque Thraciæ pars. Cautè verò ſolùm dicit ἐξῆν, *licuit*; nam quoad rei exitum, ſi pauca leviora prælia excipias, quibus Athenienſes potiores partes tulerunt, aliquid ſemper iis à Philippo ademptum eſt.

[B] Heræorum caſtellum obſidione a Macedone preſſum an. 4. O. 106. jampridem conjecturam fecimus [c]. Nunc de ipſo quidpiam dicamus. Heræum fuit promontorium, ejuſdemque nominis oppidum contra Calcedonem in Thracia conditum à Samiis, ab Junone nuncupatum tutelari Deâ præcipuâque ab iis populis religione cultâ. Portum habuit inſi-

[b] *In Ulp. Enarrat. hujus Orat.* [c] *n.* 1. *Olynth.* 1.

dioſum

dioſum, à Demoſthene Bithynio apud Stephanum [d] his verſibus deſcriptum.

Εſι δ' τις προπάροιθε κλυτῆς Χαλκηδόνος ἄκρη
Ηραία τρηχεῖα, πολυσπιλάς. Ἔνθεθι δ' αὐτῆς
Λαΐνεον περὶ τεῖχος, ἰὼν κοιλαίνεται ἔσω
Κόλπος ἁλὸς, φαίησιν ἰδὼν βαθυδινέα πάντη
Ἔμμεναι. Εἰαμενὴ δ', ἢ ὁ βάθος ἐσὶ θαλάσσης.
Ἔνθά τε νῆας ἀνῆγον οἰόμενοι σκέπας εἶναι
Αὐλοφυεῖς ὅρμοιο· κακῷ δ' ἐνέκυρσαν ἐπ' ἰμῷ.

Eſt quoddam contra illuſtrem Chalcedonem Promontorium
Heræum, aſperum, ſcopuloſum. Intus circumdatum
Lapideo muro, intro reductus curvatur
Sinus maris. Conſpicientibus apparet profundum omnino
Ibi eſſe. At eſt uliginoſus locus, non Pelagi profunditas.
Huc naves ducunt, putantes ſecuritatem habere
Naturalis ſtationis; at nanciſcuntur paratum malum.

Nunc *Molo di S. Gio. Calamato* dicitur. At quiſpiam objiciet, cur Philippus loco adeo infami, ac miſero inhiabat? Viam ſibi ſternebat ad Byzantium occupandum, cui Heræum proximum erat atque opportunum.

[c] Vehementer Athenienſium intererat Byzantium ſociam civitatem à Philippo defendere; quippe quæ ad Boſphori oſtium poſita clauderet Pontum Euxinum, unde frumentum aliaque vitæ commoda Athenas tranſvehebantur, quæque ad res Thracicas non parum foret opportuna. Proinde, nil mirum, ſi auditâ Heræorum obſidione, quâ captâ munitione, maximum periculum Byzantio procreabatur, illi vehementer adeo commoti fuerint, ut ad ejus tutelam Coronatorum trecenties ſexagies millies aſſignaverint; decreverint etiam, ne iis militiæ vacationem valerent, qui quintum & quadrageſimum ætatis annum non ſuperaſſent: quod fieri in maximis Reipublicæ periculis conſueverat.

[d] *Steph. v.* Ηραία.

[D] Athe-

[D] Athenienſes annum ſuum à Solſtitio æſtivo incipiebant, illumque Lunari curſu moderantes, trecentis quinquaginta quatuor diebus complectebantur, atque ideo in duodecim Lunares menſes dividebant. Ad æquandam verò Solaris cum Lunari circulo rationem, tertio quoque anno præter alias minores æquationes, unum menſem intercalabant. Hinc nullatenus eorum menſes cum Latinis convenire poſſunt. Attamen cum Græcorum libri Latinè reddantur, menſes quoque Latino verbo exprimendi ſunt, ne maneant ignoti. Eos autem rectè ab omnibus denominatos video ab illo noſtrorum menſium, qui primam facit Græci menſis partem. Cum igitur ἑκατομβαιὼν primus iiſdem ſit menſis, incipiatque à Solſtitio æſtivo, quod cadit in Junium, idcirco hoc nomine nuncupari debet, & ſic deinceps. Non enim Lunares menſes dicuntur, quod à Novilunio incipiant, ſed quia modum habent è Lunæ circulo.

[E] Myſteria, dies feſti, ac ſolemnes, Cereri, ſacri, fere ubique gentium celebrabantur, Deam Populis venerantibus ob repertarum frugum beneficium. Antiquiſſima fuerunt in Græcia ab Erechtheo Rege inſtituta, dum ex Ægypto Athenas tranſgreſſus, Atticos homines in maxima Annonæ caritate ſublevavit, datoque ſibi regionis imperio accepit beneficii vicem. Alii Cererem ipſam frumentum illuc exportaſſe tradunt, ejuſdemque ſementem facere docuiſſe; cultam proinde Myſteriorum obſequio, quo nullam majus: τὰ Μυστήρια πάντων τιμιώτατα τελετή, *Myſteria, Feſtum omnium celeberrimum*, inquit Ariſtoteles [e]. Myſteria vocabantur, & Eleuſinia. Nomen illud deductum eſt ἀπὸ μύειν τὸ στόμα, *à claudendo ore* [f]. Siquidem non ſolùm capitale, ſed nefarium erat aperire quicquid in iis agebatur; quare hujuſce criminis reum lepidiſſimè horret Horatius [g].

[e] *Ariſt. Rhetor.* lib. ii. c. 24.
[f] *Suidas.*
[g] *Horat. Car.* lib. iii. *Ode* 2.

—— Vetabo qui Cereris Sacrum
Vulgarit arcanæ, ſub iſdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat phaſelum.

Alterum Eleuſiniorum nomen ab Eleuſine clariſſimo Atticæ Vico dictum eſt, ubi Sacra majora fiebant, & quò primùm Cererem appulſam exiſtimabant. Nam magna & parva quotannis Myſteria colebantur. Et parva quidem inſtituendi hanc ferunt fuiſſe occaſionem. Hercules ad Cerberum domandum deſcenſurus, hujusmodi ceremoniis prius initiari poſtulavit. Cum lege vetaretur, ne quis præter Atticos; Eumolpus illum in hanc rem à Pylio Athenienſi adoptari juſſit; & cum moræ impatientem videret, ne ipſi expectandum foret Sacrorum tempus, minori cultu inſtauravit Myſteria, eaque deinceps anniverſaria nomen Parvorum Myſteriorum obtinuere, atque Agris in Atticæ vico perficiebantur. Ad utraque magni fiebant concurſus ex univerſa Græcia; ſed arcanis ceremoniis illi ſolùm intereſſe poterant, qui fuiſſent in Cœtum aſcripti. Id autem gradatim ac ſolemni ritu factum legimus. Impiæ Societatis Candidatis primus aditus erat ad profanam ſectam luſtratio, quam ad flumen Iliſſum accipiebant, ſubſtratâ pedibus pelle Victimæ Jovi immolatæ. Deinde probatâ per annum ipſorum fide in parvis Myſteriis, ad magna celebriori pompâ progrediebantur. Aderat tunc miſero Candidato Hierophantes, Creatoris ſpecie, Comâ, Strophio inſignis; gravi profundaque voce ſacram doctrinam explicabat. Illic vehemens ad virtutem hortatio, felicitatum promiſſiones. Illic myſtica verba; fides ſilentii ac ſervitutis Cereri Proſerpinæque obſtricta; conſecratæ veſtes, quibus bellus homo indutus reperiebatur, quaſque dimittere nefas erat, ſed laceræ Sacerdoti reſtituebantur; unde faſcias Infantibus religioſæ Matres magno pretio comparabant. Illic denique obſcœni aſpectus, quos pudet referre. Plures erant Cerealis conventus, ac

Cæremoniarum Curatores. Primùm Βασιλεὺς, *Rex Sacrorum*. Deinde quatuor ἐπιμεληταὶ, *Ædiles*, quorum nomina Ἱεροφάντης, *Sacerdos*, Δαδοῦχος, *facem ferens*, ὁ ἐπὶ βωμῷ, *Minister Aræ*, & Ἱεροκήρυξ, *Sacer Præco*. Denique decem Ἱεροποιοὶ, *Sacrificuli*. Nemo hisce muneribus præficiebatur, nisi Athenarum Civis; quin Hierophantes, & Daducus, nisi è Cerycum, Eumolpidarumque gente. Primus cœlebs erat, quoad munere fungebatur, sed successorem accipiebat; Alter perpetuus, at conjuge non prohibitâ. Cum in publicis, tum in privatis Ceremoniis Hierophantes ad Creatoris imaginem ornabatur; Daduchus, ad Solis; Minister, ad Lunæ; Præco, ad Mercurii. Jam verò ut aliqua de ipsis Ceremoniis publicis dicamus, incipiebant mensis Μαιμακτηριῶνος quinto decimo die, qui mensis ab Æquinoctio hyemali ortum ducebat. Novendiales erant. Primo die, qui ἀγυρμὸς, *Cœtus*, appellabatur, initiabantur Candidati. Secundo ἁλάδε Μύσαι, *ad mare Sacerdotes*, nuncupato, ad mare Populum ducebant religionis causâ. Tertio Victimæ cædebantur, quas inter Mullus præcipuo ritu; hordeum quoque offerebatur. Quarto Calathum circumducebant, currui impositum, refertumque mysticis rebus, commoda, tranquillitatemque vitæ declarantibus, scilicet papavere, Salis micis, elaboratis planis, libis, draconis effigie, malis punicis, cordâ, ferulis, hederâ. Quinto, Pompa noctu ducebatur, facem ferentibus viris ac fœminis. Sexto, Iacchus Eleusinem ferebatur. Septimo, ludi & certamina, præmiumque victoribus hordeum, frugum primitiæ. Octavus ἐπιδαύρια nuncupabatur, quod hoc die Æsculapius Epidauro Eleusinem venerat, religionis ergò; atque iterum initiationes & sacrificia. Nono πλημοχόης nomen, quo solemnitas publica claudebatur, constitutis ad Orientem & Occidentem solem geminis testis aquâ plenis, quæ, dictis arcanis verbis, evertebantur, atque inde læta omina capiebat Plebs decepta; sibique ad suos redire plena Numine videbatur,

batur. Initiati verò, quibus fas erat nocturnis Myſteriis adeſſe, veluti cum ipſa Dea familiaritate conjuncti, ejus conſiliis optimam vivendi normam, & patrocinio præſentem, futuramque apud Inferos felicitatem ſe conſequuturos exiſtimabant, ut ſic apud Ariſtophanem [1] Chorus gloriatur.

ΣΤΡΟΦΗ ϛ'.

Χωρῶμεν ἐς πολλυῤῥόδους
Λειμῶνας ἀνθεμώδεις
Τὸν ἡμέτερον τρόπον
Τὸν καλλιχορώταῖον
Παίζοντες, ὃν ὅλβιαι
Μοῖραι ξυνάγουσι.

ΑΝΤΙΣΤΡΟΦΗ ϛ'.

Μόνοις γὰρ ἡμῖν Ἥλιος
Καὶ φέγγος ἱλαρόν ἐστιν,
Ὅσοι μεμυήμεθ'. Εὐ-
σεβῆ τε διήγομεν
Τρόπον, παρά τε ξένους
Καὶ τοὺς ἰδιώτας.

STROPHE VI.

Progrediamur ad multis referta Roſis
Prata florida,
More noſtro,
Quo pulchras agitamus Chorëas
Ludentes, quem (Chorum) *beatæ*
Parcæ congregant.

ANTISTROPHE VI.

Solis enim nobis Phœbus,
Et lux hilaris eſt,
Qui ſumus initiati, & religiosè
Traducimus vitam apud Exteros,
Et apud Noſtros.

Hanc tamen felicitatem Ceres non aliis, quam Atticis dabat, quippe qui ſoli ſacrum cœtum inire poſ-

[1] *Ariſtoph. in Ranis act.* 1. *Scena* 7.

ſent,

ſent, dummodo nullâ cæde, neque præter voluntatem factâ, nullis incantationibus, nullove alio ſcelere inquinati. Hercules duntaxat, Bacchus, Dioſcuri, Æſculapius, Hippocrates, à Civium aliquo adoptati, hac lege ſoluti ſunt. Duo quoque Romanorum Auguſtus & Pomponius Atticus iiſdem Sacris adſcripti, nullique victricis Gentis Cerealia munera denegata, ſi qui vellent percipere. Nihil non ſacrum, ſummaque excultum veneratione, quod ad ritus hujuſmodi pertineret. Sacra via, qua Pompæ Eleuſinem ferebantur; ſacra ficus, ſub qua feſſi itinere Myſtæ vires inſtaurabant; Hymni ſacri, & cantilenæ, quibus iter, ac præcipuè Cephiri pons perſonabat; atque ita ex omni parte ridiculæ ceremoniæ ſeriò perficiebantur. His omnibus teſtimonium præbent Euſebius lib. iii. præpar. Evang. Ælianus var. Hiſt. Suidas, Heſychius, Harpocration, Scholiaſtes Homeri, & Ariſtophanis; unus aut alter ſingulis, pluribuſque, quorum auctoritates colligit Vir doctiſſimus Joannes Meurſius in Eleuſiniis.

[F] Charidemus materno genere Orita ex Eubœa, paterno obſcurus, ut ait Demoſthenes [i]: Τὸν Χαρίδημον τοῦτον αὐλὸν, ᾧ μητὴρ μὲν ὑπάρχει πολίτης ἐκεῖ, πατὴρ δ' ὅτ' ἐρῶ τις, ἢ πόθεν. Οὐδὲν γὰρ δεῖ πλείω τῶν ἀναγκαίων αὐλὸν ἐξετάζεσθαι. Αλλ' ὅμως τὸ ἥμισυ τοῦ γένους αὐλῷ συμβαλλομένῳ, τοῦ ἡμίσεως μέτεχε τῆς πόλεως ἡμέρας ὃν ἠξιώκασιν, ἀλλ' εἰς τοὺς νόθους συντελεῖ. *Hunc ipſum Charidemum, cujus illic* (Oræi) *Mater Civitate gaudet, pater autem neſcio quis, aut unde ſit. Neque enim in illius res magis inquirere neceſſe eſt, quàm ſit opus. At quamvis alteram generis partem notam, certamque conſequutus ſit, altera tamen ignoratur, proindeque illic in notborum Tribu cenſetur.* Clarus tamen virtute militari, Kerſobleptis regis filiam matrimonio ſibi conjunxit. Quamobrem cum multùm in Thracia poſſet, ibique Athenienſes maximum ſuis rebus momentum afferri

[i] *Demoſth. in Orat. adverſ. Ariſtocr.*

ab eo poſſe confiderent, ejuſque ſagacitate Amphipolim recuperare, Civitate donarunt, decreveruntque, ſi quis eum occidiſſet, comprehendi, ubicunque valeat Reipublicæ autoritas, Judicibuſque tradi; ac denique Imperatoris munere cumularunt. Hinc illi præſens contra Philippum expeditio committitur. Multa in ipſum probra congerit Demoſthenes, veluti Athenienſium hoſtem, plurimaque ipſi damna refert accepta in laudata Oratione adverſus Ariſtocratem, à quo Charidemus defendebatur.

[G] Optimè locus iſte congruit cum noſtrâ de anno conjecturâ, quo Philippus vallum Heræo admoverit, quarto ſcilicet O. 106. Nam illum in vitæ diſcrimen, quod nunc dicitur obiiſſe, vulnus adegit in Methones obſidione ſuſceptum. Cum igitur hanc eodem an. 4. vertente obſederit, ut *pag.* 112. n. [P] Or. 1. contra Philip. dictum eſt, & paulò ante fuerit ad Heræum, ut refertur hoc loco; iſtius quoque oppugnationem ab initio ipſius anni dimoveri nequit. Verùm iſthæc Demoſthenis verba primo aſpectu ſignificare videntur, inter utramque obſidionem quindecim menſes interfuiſſe. At ſecus patet ea diligenter expendenti. Ait enim Orator, Athenienſes ſtatim, ac nuntium in periculum adducti Heræi acceperunt, promptè decreviſſe Thracicis rebus ſuppetias ire. Interea percrebuit rumor gravi Regem morbo periclitari, quin & occubuiſſe; proinde rati nullum fore ab ipſo periculum, quindecim menſes negligentiùs agere, non adornare Claſſem, ut ſtatuerant, non expedire. Quo tempore exacto, cum ille nullum finem faceret vexandæ Thraciæ, Charidemum cum ſolis decem navibus opitulatum Sociis Urbibus dimiſerunt: Hic ſanè germanus hujuſmodi verborum ſenſus eſt.

[H] Quæ fuerit Olynthiorum potentia, quantique momenti, luculenter Lacedæmonios docent Achanthi Apolloniæque Legati, dum ſtudent ſuas Urbes in hujus Reipublicæ tutelâ collocare. Eos autem jucundum arbitror

arbitror ſic apud Xenophontem [k] loquentes audire; ὦ ἄνδρες Λακεδαιμόνιοί τε καὶ οἱ σύμμαχοι, οἰόμεθα λανθάνειν ὑμᾶς πρᾶγμα φυόμενον ἐν τῇ Ελλάδι. Ὅτι μὲν γὰρ τῶν ἐπὶ Θρᾴκης μεγίστη πόλις Ὄλυνθος, καλὸν πάντες ἐπίστασθε. Οὗτοι τῶν πόλεων προσηγάγοντο μικρὰς, ἐφ' ᾧ τε τοῖς αὐτοῖς χρῆσθαι νόμοις, καὶ συμπολιτεύειν. Ἔπειτα δὴ καὶ τῶν μειζόνων προσέλαβόν τινας. Ἐκ δὴ τούτου ἐπεχείρησαν καὶ τὰς τῆς Μακεδονίας πόλεις ἐλευθερῶν ἀπὸ Αμύντου τοῦ Βασιλέως Μακεδόνων. Επεὶ δὴ εἰσήκουσαν αἱ ἐγγύταλα αὐτῶν, ταχὺ καὶ ἐπὶ τὰς πόρρω, καὶ μείζους ἐπορεύοντο, καὶ καταλείπομεν ἡμεῖς ἔχοντας ἤδη ἄλλας τε πολλὰς, καὶ Πέλλαν, ἥπερ μεγίστη τῶν ἐν Μακεδονίᾳ πόλεων. Καὶ Αμύντας δὴ αἰσθανόμεθα ἀποχωρήσαντά τε ἐκ τῶν πόλεων, καὶ ὅσον οὐκ ἐκπεπλωκότα ἤδη ἀπάσης Μακεδονίας. Πέμψαντες δὴ καὶ πρὸς ἡμᾶς, καὶ πρὸς Απολλωνιάτας οἱ Ολυνθιοι, προεῖπον ἡμῖν, ὅτι εἰ μὴ παρεσόμεθα συνεπιλαμψόμενοι, ἐκεῖνοι ἐφ' ἡμᾶς ἴοιεν. *Putamus, Lacedæmonii, Sociique, vos nequaquam latere malum, quod nunc in Græcia exoritur. Fortaſſe nemo veſtrûm ignorat, Olynthum Urbem eſſe maximam in Thracia provincia. Hæc parvas ſibi adjunxit Civitates eâ conditione, ut ſuis Legibus vivant, ſuæque moderentur Reipublicæ. Deinde & nobiliorum aliquas occuparunt. Hinc aggreſſi ſunt Macedoniæ Urbes in libertatem aſſerere, atque ab Amyntæ Regis Imperio ſejungere. Poſtquam verò ipſorum dicto audientes fuerunt quæ illis proximiores ſunt, celeriter contra remotiores potentioreſque profecti ſunt. Nos illos reliquimus jam in ſua poteſtate retinentes plures alias Civitates, ac Pellam ipſam, quæ Macedonicarum maxima eſt. Intelligimus etiam diſceſſiſſe Amyntam ex omnibus Urbibus, ac parum abeſſe, quin ex omni Macedonia depellatur. Ad nos pariter & ad Apolloniates Olynthii miſerunt cum mandatis, ſeſe adverſus nos arma laturos, ſi nos ea ſecum ferre detrectamus.* Nec minus Olynthiorum robur ac dignitatem Diodorus [l] his verbis teſtatum reliquit: Τῶν Ολυνθίων βαρεῖαν πόλιν οἰκούντων, καὶ διὰ τὸ πλῆθος τῶν ταύτῃ ἐνοικούντων πολλῷ ἰσχύοντων ῥοπῇ

[k] *Xenoph. de rebus Græc.* lib. v. [l] *Diod.* lib. xvi.

εἰς τὸν πόλεμον, πεμμάχης ἐῶ ἡ πόλις ἡγεμονίας μείζονος ὀρεγομένοις. *Olynthiis maximi ponderis Urbem incolentibus, ac propter hominum multitudinem vires ad bellum ampliſſimas obtinentibus; quamobrem Civitas illa ingenti contentione ac ſtudio ab iis appetebatur, qui cæteros potentiâ excellere deſiderabant.*

[1] Sæpius diximus, quantùm inter ſe diſſiderent animis Thebani, atque Athenienſes, quantamque gloriæ cupiditas finitimæ regiones utrique genti occaſionem præberent odii invidiæque. Ad hujuſmodi cauſas, quibus uni profectò ab altero metuendum erat, accedebat modò Athenienſibus peculiaris ratio diffidentiæ ex intimâ eorundem Thebanorum cum Philippo familiaritate, quam utpote notiſſimam ſatis ſit indicaſſe.

Pag. 93. *lin.* 5. ἀπειρημότων δὲ χρήμασι Φωκέων. Sacrum bellum, quod hoc tempore adhuc manebat, Phocenſes exhauſerat, cum diſſipandæ pecuniæ modum nullum feciſſent. Ejus initio Philomelus ipſorum dux Delphicum Templum occupavit, & a. 3. O. 106. ne ſe pecunia deficeret, prorſus diripuit: προσδεομένῳ δὴ τοῦ πολέμου χρημάτων πλειόνων, ἠναγκάζετο τοῖς ἱεροῖς ἀναθήμασιν ἐπιβαλεῖν τὰς χεῖρας, καὶ συλᾶν τὸ μαντεῖον. *Cum verò bellum pluribus divitiis indigeret, neceſſe habuit Sacris donis manus injicere, ac Templum deprædari.* Sunt Diodori [m] verba. At ſceleris, ut in iis falſæ religionis tenebris pœnas luit, ulciſcente Numine vel in nefario Deorum cultu impietatis crimen. Quæ ibi divitiarum copiæ, quantum facti, ſignatique auri, & argenti pondus, hinc ratio poteſt iniri, quod falsò creditam loci ſanctitatem, atque Oraculum illud toto terrarum Orbe celeberrimum maximis muneribus potentiſſimi Reges atque univerſæ propemodum Nationes venerarentur, nec quiſpiam eſſet, qui publico aut privato obſtrictus beneficio, aliquo dono gratum Apollini animum non te-

[m] *Diod.* lib. xvi.

ſtaretur.

ſtaretur. Tantis enimvero divitiis Phocenſes locupletati, alere diuturnum bellum potuiſſent, niſi nimiâ ſtipendiorum largitate peregrinos milites allicere ſtuduiſſent. Nam dum bellum adornant ὑποσησαμένῳ δ' αὐτῷ τοῖς ξένοις μισθὸς ἡμιολίους, ταχὺ πλῆθος ἠθροίσθη μυσθοφόρων, πολλῶν ὑπακουόντων πρὸς τὴν στρατείαν διὰ τὸ μέγεθος τῶν μισθῶν. Philomelus *ſtipendium ſeſquimajus Peregrinis militibus pollicitus, celeriter magnas eorum catervas collegit, pleriſque aures invitamento præbentibus propter mercedis magnitudinem.* Mortuo Philomelo Onomarchus ingenti liberalitate Socios, Copiaſque congerere, bellum ſtuduit inſtaurare. Igitur a. 4. ejuſdem O. 106. ἐκ τῆς ἀργυρίου, καὶ χρυσίου νόμισμα κόψας, ταῖς τε συμμαχίσαις πόλεσι διεδίδου, καὶ μάλιστα τὺς προεστηκότας ἐδωροδόκει. Διέφθειρε δὲ καὶ τῶν πολεμίων πολλὺς, ὃς μὲν συμμαχεῖν πείθων, ὃς δὲ τινὰ ἡσυχίαν ἔχειν ἀξιῶν. Πάντα δὲ ῥᾳδίως ἐπετέλει διὰ τινὰ τῶν ἀνθρώπων φιλαργυρίαν, *pecuniam ex auro argentoque percuſſit, Sociiſque Urbibus diſtribuit; maximè verò Magiſtratibus dono dedit. Eâ corrupit quoque hoſtium plures, quorum aliis ſuaſit coire ſecum Societatem, aliis pacem tueri. Omnia verò è ſententia confecit ob inſitam Mortalibus auri cupiditatem.* Sed cum, hoc eodem anno, fato ceſſiſſet Onomarchus, profligataſque ſuæ gentis res Phayllus ejus frater adminiſtrandas ſuſcepiſſet, omni curâ labantem fortunam ſtuduit retinere. Ἔχων γὰρ χρημάτων πλῆθος ἀνέκλειπτον, πολλοὺς μὲν μισθοφόρους ἤθροισεν, οὐκ ὀλίγους δὲ συμμάχους ἔπεισε συνεπιλαβέσθαι τῷ πολέμῳ. Τῇ γὰρ ἀφθονίᾳ τῶν χρημάτων ἀναιδῶς χρώμενος, οὐ μόνον ἰδιώτας πολλοὺς εἶχε προθύμους συναγωνιστὰς, ἀλλὰ καὶ πόλεις τὰς ἐπιφανεστάτας ἐπεσπάσατο πρὸς τὴν κοινοπραγίαν. *Cum enim inexhauſtam pecuniam haberet, Mercenariorum plurimas Copias ſibi adjecit, Sociorumque non paucos ad bellum conjunctim ſuſcipiendum induxit. Quippe nullâ parſimoniâ effundens magnam divitiarum vim, non ſolùm plures privatorum hominum promptos atque alacres habuit ad ſecum belli diſcrimen obeundum, ſed clariſſimas*

etiam Civitates ad ferendam opem adduxit. Diodori[n] utor auctoritate. Nil igitur mirum, ſi hoc ann. 1. O. 108. pecunia effusè nimium diſſipata Phocenſes defecerat, cum vel ipſi exhauriantur fontes, & putei, ſi diu haurias, ut Orator ait in Orat. de Claſſibus, ſi præſertim nequaquam ſcateant è perenni fonte, ut erat Phocenſium Ærarium, quod opes Delphicæ impleverant; Regio parva, nulliſque affluens opibus modicè, aut nihil ſuppleret.

[K] Olynthum dicit Athenarum propugnaculum, non quòd è Macedonia ad hanc Urbem venienti illinc tranſitus eſſet. Nam contra, ipſa Macedonia inter utraſque jacebat media; ſed quia fractis perculſiſque Olynthiis, nulla finitimarum gentium Philippo negotium exhibere poſſet, nec retinere, quin Atticam libero ſolutoque animo invaderet.

[L] Solon Athenienſes, alter hujus Urbis Legumlatorum, prudenter animo reputans contingere poſſe, ut ob temporum ac morum viciſſitudines aliquid addere aut demere ſuis legibus, utile foret Reipublicæ: *διαῤῥήδην προσέταξαι τοῖς Θεσμοθέταις καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν διορθοῦν ἐν τῷ δημοσίῳ τὺς νόμυς, ἀκριβῶς ἐξελάσαντας, ἢ σκοψαμένυς, εἴ τις ἀναγέγραπται νόμος ἐναντίος νόμῳ, ἢ ἄκυρος ἐν τοῖς κυρίοις, εἰ ἔστι νόμοι πλείυς ἑνὸς ἀναγεγραμμένοι περὶ ἑκάστης πράξεως. Καλὶ τοῦτον ἐυρίσκωσιν, ἀναγεγραφότας ἐν σανίσιν ἐκτιθέναι κελεύει πρόσθεν τῶν Επωνύμων. Τὺς δὲ Πρυτάνεις ποιεῖν ἐκκλησίαν, ἐπιγειφῆναι νομοθέτας. Τὸν δ' Επιστάτην τῶν Προέδρων διαχειρολονίαν διδόναι τῷ δήμῳ, ἢ τὺς μὲν ἀναιρεῖν τῶν νόμων, τὺς δὲ καταλείπειν, ὅπως ἂν εἷς ἢ νόμος, ἢ μὴ πλείυς περὶ ἑκάστης πράξεως. Apertè juſſit Theſmothetis, ut ſingulis annis ante omnium oculos emendarent leges, diligenter expendendo perquirendoque an lex ulla conſcripta ſit alteri adverſa; an inter eas, quæ firmæ ſunt, aliqua maneat abrogatarum, & an plures de una re ſcriptæ fuerint. Si quid hujuſmodi in publicis Tabulis exaratum invenerint, pu-*

[n] *Diod. ibidem.*

blicè

plicè proponere jubet ante Heroum ſtatuas; Prytanes autem convocare Concionem, ac Nomothetarum nomina ſcribere; Epiſtatam Proedrorum in ſuffragia Populum mittere, ut alias abroget leges, alias retineat, ut de ſingulis rebus una, non plures ſint leges. Sunt Æſchinis [o] verba. Atque idem confirmat Demoſthenes contra Timocratem, cujus teſtimonium dedimus n. 4. Orat. 1. contra Philippum, ubi pariter qui Proëdri, Prytanes, Epiſtatæ forent, explicuimus; nec reticuimus, quo anni tempore, & in quo Populi conventu id fieret. Hoc pacto nova etiam jura condi poterant. Τῶν δὲ νόμων τῶν κειμένων, μὴ ἐξεῖναι λῦσαι μηδένα, ἐὰν μὴ ἐν Νομοθέταις. Τότε δ' ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ τῶν Ἀθηναίων λύειν, ἕτερόν τι τιθέντι ἀνθ' ὅτου ἂν λύῃ. Διαχειροτονίαν δὲ ποιεῖν τοὺς Προέδρους περὶ τούτων τῶν νόμων. Πρῶτον μὲν περὶ τοῦ κειμένου, εἰ δοκεῖ ἐπιτήδειος εἶναι τῷ Δήμῳ τῶν Ἀθηναίων, ἢ οὔ; ἔπειτα περὶ τοῦ τιθεμένου. Ὁπότερον δ' ἂν χειροτονήσωσιν οἱ Νομοθέται, τοῦτον κύριον εἶναι. Ἐναντίον δὲ νόμου μὴ ἐξεῖναι τιθέναι τῶν νόμων τῶν κειμένων, μηδενί. Ἐὰν δέ τις λύσας τινὰ τῶν νόμων τῶν κειμένων, ἕτερον ἀντιτιθῇ μὴ ἐπιτήδειον τῷ Ἀθηναίων Δήμῳ, ἢ ἐναντίον τῶν κειμένων τῳ. Τὰς γραφὰς εἶναι κατ' αὐτοῦ καὶ τὸν νόμον, ὃς κεῖται, ἐάν τις μὴ ἐπιτήδειον θείη νόμον. *Nemini legum latarum ullam ſolvere liceat, niſi Nomothetarum auctoritate. Tunc autem, qui vult Athenienſium, ei delere jus eſto, ſi alteram, auferendæ loco proponat. Proedri verò in hujuſmodi legibus ita ſuffragiorum periculum faciant; primùm an lex, quæ viget, Populo opportuna videatur, necne; Deinde an, quæ proponitur, videatur. Quod Nomothetæ decernunt, id ratum, ac firmum ſit. Nequaquam tamen cuipiam liceat, legem proponere, quæ latis jam legibus adverſetur. Et ſi quis veterem tollat, novamque ponat aut non utilem Athenienſium Populo, aut jam conſtitutis contrarium; is eâ lege deferatur, quæ de incommodarum legum ſuaſoribus eſt.* Ut ex Demoſthene [p] habetur. Itaque ad Theſmothetas pertinebat

[o] *Æſch. Orat. contra Cteſiph.* [p] *Demoſth. contra Timocrat.*

leges

leges ab omni macula incommodoque prohibere; veteres abrogandas; novas recipiendas publicâ auctoritate proponere. Ad Nomothetas publicâ auctoritate ſuffragiiſque ſuis decernere. Erant Theſmothetæ Sevirûm [q] Magiſtratus annuus, à cuſtodiendis legibus dicti; non qualibuſcunque legibus, at hominum potius inſtitutis & uſu firmatis. Siquidem Θεσμὸν, ac νόμον inter ſe differre videmus apud Platonem [r] ὁ ταῦτα ἀπεργαζόμενος Θεσμὸς, νόμος ἂν ὀρθῶς ὑμῖν εἴη κείμενος, *Jus uſu inductum hæc facit, ſi lex nobis rectè ſit poſita.* Et ſanè jam tum Athenis creabantur, cum Civitas more Majorum, aut Regum arbitrio adminiſtrata annuis legumlatoribus indigebat. Deinde Draconis Soloniſque legibus inſtitutâ Republicâ retenti tamen illi ſunt, & in eum, quem diximus, uſum inter novem Archontes connumerati. Nomothetæ autem quingenti fuerunt, Viri ex omni populo probatiores, ſorte lecti ex iis, qui fidem ſuam Heliaſtico jurejurando Reipublicæ obſtrinxiſſent, lege Solonis ad ſanciendas novas leges conſtituti, ſtipendio denique, ac loco in Concione conſpicuo honeſtabantur [s]. Hæc autem adnotaſſe ſufficiat ad laudata Demoſthenis verba illuſtranda.

[M] Præcipui Athenienſium Legumlatores fuerunt Draco & Solon, quorum præclaris inſtitutis aliqua è temporum conditione addiderunt Clyſthenes, Ariſtides, ac Pericles, de quibus omnibus pauca dicam. Ex quo Theſeus Civitatem Populo moderandam dederat ad a. 4. O. 39. Athenæ per ſex ac ſexagenos annos ut olim Roma, prius quam decem è Græcia Tabulæ fuiſſent advectæ, nullis conſcriptis legibus obſervandis, ſed cuſtodiendo more inſtitutoque Majorum ſteterunt, cum hoc ipſo anno Cives Draconi populari ſuo, divini humanique juris peritiſſimo, ne-

[q] *Ulp. in enar. Orat. adv. Leptin.* m. [r] *Plato, Ep.* 8.
[s] *Demoſt. in Timocrat. Æſch. contra Cteſiph. Ulp. in enar. Orat. contra Leptin. Oratio de Myſteriis apud Andocidem.*

gotium dederunt, ſcriptis Regulis Urbem muniendi. Utiles ille, ſed adeo ſeveras tulit, ut Demades non atramento, ſed ſanguine deſcriptas diceret; nullo enim diſcrimine inter parvum magnumque crimen, omnibus capitis pœnam indidit, ratus vel furtum leve hanc meritum eſſe: ſacrilegia ac majora delicta atrociùs punienda, ſi gravior morte pœna ſuppeteret [t]. Manſerunt Draconis leges ad 3. O. 46. quo Solon inteſtinis diſcordiis concuſſam, laceramque Rempublicam mitioribus legibus temperavit, quæ adeo Civibus placuerunt, ut nunquam, dum populare floruit Imperium, ab iis diſceſſerit, paucis duntaxat, quæ ad Reipublicæ formam pertinerent, immutatis. Nam cum duo illi Plebem à Magiſtratibus amoviſſent, eique jus tantum Concionis Judiciorumque reliquiſſent, atque hinc ingentes fierent animorum motus, Ariſtides vel infimæ Plebi Magiſtratus dedit; auxit autem Pericles ejuſdem audaciam numerato militibus ſtipendio, eidemque Plebi pecuniâ ad ludos ac Theatrum aſſignatâ, quodque gravius Potentioribus vulnus inflixit, mitigatâ Areopagi ſeveritate. Clyſthenes demum extremam plagam ditiorum intulit potentiæ, inducto in Rempublicam Oſtraciſmo, quo, quicunque aliis vel ipsâ virtute eminerent, in exilium pulſi. Aliæ quoque perpaucæ leges, nonnunquam ſancitæ, reliquis acceſſerunt; quibus omnibus luculentum adeo jus Athenienſium continebatur, ut verè Demoſthenes hoc loco dicat, nullis aliis legibus Rempublicam indigere; utque idcirco πολλοὶ τῶν Ελλήνων πολλάκις εἰσὶν ἐψηφισμένοι, τοῖς νόμοις χρῆσθαι τοῖς ὑμετέροις, *multi Græcorum ſæpius decreverint, veſtris* (Athenienſium videlicet) *legibus uti*, ut alibi idem ait Orator.

[N] Jam n. [F] Olynth. primæ diximus Eubulum tuliſſe Athenis legem, qua capitis pœnâ cavebatur, ne pecuniæ Populo diſtributæ Theatri causâ ſermo

[t] *Plutarch. in Vita Solonis.*

fieri

fieri poſſet, quo ſermone illa reſtitui militari uſui proponeretur. De hac lege nunc Demoſthenem loqui, nemini fas eſt dubitare; quippe ſæpius manifeſtè indicatur, & in fine hujus Orationis aperitur. Eubulus autem Athenæi, ac Ulpiani teſtimonio, ejuſdem legis autor, ut vel de ipſo quidpiam dicamus, unus Athenis potentiorum Civium fuit; δημαγωγὸν, *conciliis ſuis plebem ducentem*, Illum vocat Ulpianus; claruit noſtri Oratoris inimicitiâ, à quo vehementer exagitatur in Orat. adverſus Midiam, veluti potentiam, ac principem locum affectans, qua utentem ait, Midiæ patrocinium ſuſcepiſſe. Hunc ex iis eſſe, quos in hac tertia Olynthiaca & paſſim inſectatur, ex humili conditione ad magnas opes evectos Fortunæ beneficio, in ipſa Midiana palam facit. Demum Præturam geſſit a. 4. O. 108. ut eſt apud Diodorum [v].

Quod vero ad leges militares attinet, dubitare nequit, Demoſthenis ætate mitiùs cum militibus actum fuiſſe, quàm veteri belli jure ſtatutum foret. Inter aliquas iſtarum legum, à me jampridem [w] relatas, una jubet eum capite plecti, qui Ducem ſuum deſeruerit; Poſtmodum vix irrogatâ pecuniæ mulctâ hujuſmodi crimen puniebatur. Operæ pretium eſt ipſum Demoſthenem audire: ἐὰν δέ τις ἀπαχθῇ τῶν Γονέων κακώσεως ἡλωκὼς, ἢ ἀστρατείας, ἢ προειρημένων αὐτῷ ὑπὸ τῶν νόμων, εἴργεσθαι, εἰσιὼν ὅπη μὴ χρὴ, δησάντων αὐτὸν οἱ ἕνδεκα, ἢ εἰσαγόντων αὐτὸν εἰς τὴν Ηλιαίαν. Καὶ ἡγορεύτω δὲ ὁ βουλόμενος οἷς ἔξεστιν. Ἐὰν μὲν ἁλῷ, τιμάτω ἡ Ηλιαία, ὅ, τι χρὴ παθεῖν αὐτὸν, ἢ ἀποτίσαι. Ἐὰν δ' ἀργυρίου τιμηθῇ, δεδέσθω τέως, ἕως ἂν ἐκτίσῃ. *Si quis reus adductus fuerit aut in Parentes injuriarum, aut deſertiæ militiæ, aut violati interdicti, quo carcer propoſitus fuerat eò ingredienti quò ingredi non liceret; hunc Undecimviri vinculis conſtringant, atque ad Heliæam ducant. Accuſet quicumque illorum velit, quibus accuſare fas eſt. Si cauſâ cadat, Heliæa cenſet,*

[v] *Athen.* lib. iv. *Ulp. in exarrat.* O. 1. [w] *Diod.* lib. xvi.

quid

quid iſte debeat aut corpore luere, aut pecuniæ ſolvere. Pecuniâ multatus, compedibus detineatur, quoad erogaverit [x]. Quin & hanc ipſam legem nonnihil deſueviſſe patet ex familiari militibus abeundi licentiâ, de qua hæc ſunt pariter Demoſthenis [y] verba: ἀθυμήσαντές μοι πολλοὶ τῶν πληρώματος, ὤχοντο ἀπολιπόντες τὴν ναῦν, οἱ μὲν εἰς τὴν Ἤπειρον στρατευσάμενοι, οἱ δ' εἰς Θασίων, ἢ Μαρωνειτῶν ναῦς, μισθῷ μεγάλῳ πειθέντες, ἢ ἀργύριον πολὺ προλαβόντες. *Multi è Claſſiariis meis cum animis caderent, me relicto diſceſſerunt, alii in Continentem militatum; alii in Thaſiorum Maronitarumque naves, capti ſtipendii magnitudine, eoque largiter munerati.* Quanta verò Athenis facilitas obrepſerat in detrectando militiæ onere? quod ſubire Civibus omnibus lex erat, plerique tamen ſuſcipere averſabantur, ut non ſemel admonuimus. Ad iſtas aliaſque ejuſmodi leges Orator digitum hoc loco intendit. Ne Heliææ vocabulum cuipiam negotium faceſſat, ſciat hoc nomine unum ex Athenienſium Foris appellatum fuiſſe à plurima ſolis colluſtratione, in quo jus dicebatur, eique præerant non ſolum Theſmothetæ, ſed etiam Undecimvirûm Magiſtratus; ut ſuo loco adnotabimus.

[o] Vide *pag.* 106. n. [F] Or. primæ contra Phil.

[p] A Græcis Barbari dicebantur; quicumque Græciæ finibus non continerentur. Vetus autem Græcia ab Oriente habuit Ægæum mare; Ionium ab Occidente ac Meridie; Macedoniam, Illyrium, atque Epirum à Borea. Ejus regiones fuerunt Theſſalia, Locri Epicnemides, & Opuntii, Bœotia, Attica terra cum Megarenſi, Phocis, Locri, Ozoli, Ætolia, Acarnania, Doris, ac Peloponeſus. Quamobrem, Græcorum jure, Philippo re verâ Barbari nomen convenit, quippe Macedonia ad veterem Græciam non pertinebat, quin etiam diversâ à Græcis linguâ Macedones loquebantur [z], ut eſt apud Athe-

[x] *Demoſt. adv. Timocrat.* [y] *Adv. Timotheum.*
[z] *Athen.* lib. iii.

næum.

næum. At poſtquam Philippus & Alexander Græcos omnes dicto ſuo audientes habuere, atque iſte Aſiâ perdomitâ ampliſſimum fundavit Imperium, intra Græciæ fines vel ipſa Macedonia connumerata eſt, atque inde percrebuit Græci nomen Imperii.

[9] Ut quam Athenienſium cum Corinthiis & Megarenſibus contentionem Demoſthenes in medium afferat (nam multas habuerunt) intelligamus, ea ſolùm inveſtiganda eſt, quæ ſuis Civibus exemplo eſſe poſſet ad ſubmittendum Olynthiis auxilium contra Philippum. Igitur hujuſce comparationis vi, Sociis à Macedone oppreſſis Athenienſes auxiliari debent, ſicut olim Græcorum aliquos à Corinthiis & Megarenſibus labefactatos, viribus ſuis recrearunt. At qui Græcorum iſti fuerunt? Ut prius loquar de bello Corinthiis illato, Corcyræos puto. Utrique inter ſe acriter decertabant de Epidamno [a], quam alterutri ſuam eſſe Coloniam arbitrabantur; cum Athenienſes, quamvis Corinthiorum uterentur familiaritate, Corcyræorum tueri partes decreverunt [b], miſſis auxiliis, ſeſeque hoſtiliter in Corinthios gerentibus. Quare ſic iſti acceptas injurias expoſtulabant: ἀδικεῖτε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πολέμιν ἄρχοντες, καὶ σπονδὰς λύοντες. Ἡμῖν γὰρ πολεμίους τοὺς ἡμετέρους τιμωρουμένοις ἐμπόδων ἴστασθε, ὅπλα ἀνταιρόμενοι. Εἰ δ' ὑμῖν γνώμη ἐστὶ κωλύειν τε ἡμᾶς ἐπὶ Κέρκυραν ἢ ἄλλοσε, ἢ ποι βουλόμεθα, πλεῖν, καὶ τὰς σπονδὰς λύετε, ἡμᾶς τοὺς πρώτους ἀδικοῦντες, χρήσασθε ὡς πολεμίοις. *Injuriam facitis, Athenienſes, dum belli inter nos incipiendi auctores eſtis, fœdere diſſoluto. Nobis enim, quin ulciſcamur hoſtes noſtros, impedimento eſtis, arma opponentes. Quod ſi hæc vobis ſententia eſt, ut nos & à Corcyra prohibeatis, & ne aliò, quocumque volumus, navigemus, atque ideo fœdifragi eſtis, nos priùs bello petite, ac velut in hoſtes invadite.* Ita narrat Thucydides [c]. Profectò nihil aptius hoc exemplo

[a] *A.* 2. *O.* 85 [b] *A.* 1. *O.* 86.
[c] *Thucyd.* lib. i.

afferri

afferri poterat ad rem præſentem. Et fortaſſe non minus quadrat altera ipſorum Athenienſium adverſus Corinthios expeditio, quam paucis verbis ſic tradit autor idem [d]: προσεχώρησαν ὑπὸ τῆς Μεγαρέων Ἀθηναίοις ἐς ξυμμαχίαν, Λακεδαιμονίων ἀποστάντες, ὅτι αὐτοὺς Κορίνθιοι περὶ γῆς ὅρων πολέμῳ κατεῖχον. Καὶ εἶχον Ἀθηναῖοι Μέγαρα, καὶ Πηγάς. Καὶ τὰ μακρὰ τείχη ᾠκοδόμησαν Μεγαρεῦσι τὰ ἀπὸ τῆς πόλεως ἐς Νίσαιαν, καὶ ἐφρούρουν αὐτοί. Καὶ Κορινθίοις μὲν ἐκ τούτου ἔπεσε ἀπὸ τῶνδε τὸ σφοδρὸν μῖσος πρὸς Ἀθηναίους γενέσθαι. *Megarenſes ad Athenienſium Societatem acceſſerunt, relictis Lacedæmoniis; quòd eos Corinthii bello premerent, finium cauſâ. Habuerunt itaque Athenienſes Megaram, & Pagas, conſtruxeruntque Megarenſibus longa mœnia, ab Urbe ad Niſæam producta, ipſique in præſidio erant. Hinc primò vehemens Corinthiorum in Athenienſes odium initium duxit.*

Nunc de bello contra Megarenſes ſuſcepto dicendum eſt. Athenienſes inito cum iſtis fœdere, ut hoc vel Reipublicæ ſimilitudo conciliaret, ſicut ipſi populari formâ regebantur, ita illos à Paucorum ad hanc traducere ſtuduerunt. Qua re commoti Cives paulo poſt [e] ad Lacedæmonios defecerunt, ac ſeſe cum Corinthiis jampridem acerrimis hoſtibus, cum Sicyoniis, & Epidauriis conjunxerunt; tanto Athenienſium odio, ut non ſolùm contra illos bellum ſæviſſimum ac diuturnum commoverint, ſed etiam eos portubus Atticis & Foro in perpetuum vetaverint; decreverint etiam quotannis diripere ipſorum agros ac devaſtare. At ſi ita res habet, quî utitur iſtiuſmodi exemplo Demoſthenes, nequaquam cum re, quam agit, congruente? Tunc enim Athenienſes acceptam injuriam ulturi, non aliis opitulaturi, exercitus compararunt, Signa in Megarenſes intulerunt;

[d] *Ibidem Thucyd. Diod.* lib. xi. *a.* 3. *O.* 80. [e] *A.* 1. *O.* 103. *Thucyd.* lib. i. *Diod.* lib. xii.

nunc

nunc de ſublevandis Olynthiis à Philippo in diſcrimen ſervitutis adductis ſermo fit; Quæ dum mecum animo cogito, nec volo, ut ſæpius factum video, rem ſilentio præterire, animadverti, Athenienſes hujuſce belli cauſam nequaquam ad Megarenſium à ſe defectionem, ſed aliò detorſiſſe, ut Græcorum in eos odium concitarent. Etenim apertiſſimè à Thucydide [f] commonemur, Lacedæmoniorum legatos Athenas veniſſe, bellum indicturos, niſi Potidæatas ſuis ſedibus, Æginam libertati reſtituant, & niſi decretum abrogent de Megarenſibus, ἐν ᾧ εἱρηλο αὐλὲς μὴ χρῆσθαι τοῖς λιμέσι τοῖς ἐν τῇ Αθλωαίων ἀρχῇ, μηδὲ τῇ Αττικῇ ἀγορᾷ. Οἱ δ' Αθλωαῖοι ὅτε τἄλλα ὑπήκουον, ὅτε τὸ ψήφισμα καθῆρουν, ἐπικαλοῦντες ἐπ' ἐργασίαν Μεγαρεῦσι τῆς γῆς τῆς ἱερᾶς, καὶ τῆς ἀορέτου, καὶ ἀνδραπόδων ὑποδοχλὴ τῶν ἀφιγμένων. *In quo dicebatur, ipſos nequaquam portubus uti, qui ſunt in Athenienſium Imperio, neque Atticis Foris. Athenienſes autem nec res alias auſcultarunt, nec decretum reſciderunt, Megarenſibus objicientes, quòd terram ſacram atque interminatam colerent, fugitivoſque ſervos reciperent.* Quamobrem ſæpius à Demoſthene vocantur κατάρατοι, *execrandi.* Hac iſte uſus opinione, quæ adhuc Athenis vigebat: Cives iis de cauſis quas Thucydides memorat, bellum Megarenſibus olim intuliſſe: potuit hoc bellum in rem præſentem exemplum afferre.

Cum Megarenſes Corinthiique in ſermonem venerint, ipſa res admonet, ut de illorum urbibus quidpiam loquamur; at Megaram alio loco reſervamus; Corinthus modò tantiſper nos teneat. Urbs igitur fuit clariſſima ad Iſthmum Peloponeſi, prius Ephyra nuncupata, ἀπὸ Ἐφύρης τινὸς ἡρωΐνης, *ab Ephyra quadam Heroina*, ut ait Euſtathius [g] ad librum ſeptimum Iliadis, ubi ſic eam urbem vocat Homerus:

[f] *Thucyd.* lib. i.

[g] *Euſt. ad Iliad.* vii. 152.

Ἔστι πόλις Ἐφύρη μυχῷ Ἄργεος ἱππόβοτοιο,
Ἔνθα δὲ Σίσυφος ἔσκεν, ὃ κέρδιστος γένετ' ἀνδρῶν,
Σίσυφος Αἰολίδης.
Est Urbs Ephyra in sinu Argi equorum altricis,
Hìc fuit Sisyphus, hominum versutissimus,
Sisyphus Æolides:

Ephyram Oceani filiam vocat Pausanias in Corinthiacis. Ea deinde Civitas dicta Corinthus est à Corintho Marathonis [h] filio. Duos habuit celeberrimos portus ad Isthmi latera, Lachæum in intimo angulo Sinus Corinthiaci ad Occidentem Solem; Cenchream ad Orientem in Sinu Saronico; Arcem quoque, Acrocorinthi nomine, tribus tantùm stadiis ab Urbe dissitam in monte altissimo. Proinde nil mirum, si bimaris Urbs, ut eam dicit Horatius, tantis opibus circumflexerit; & si Opes tantam morum licentiam, tantaque vitæ commoda, quanta illic fuerunt, pepererint. Paruit initiò Argivis Regibus, & Myceneïs; propriis deinde, à quibus, eorumque gente frequens Poetis fabulandi occasio data est. Nam illic Sisyphus, Ino, Melicertes, Glaucus, Bellerophon, aliique fabulis clari. Demum post Cypselidarum Tyrannidem, quæ annos tres, & nonaginta, cum sex mensibus mansit, si Aristoteli [i] credimus, libertatem acquisivit. Hanc Cives adepti, primùm in Lacedæmoniorum amicitiam se tradiderunt, cum ipsisque in Sami expeditione arma consociarunt [k]. Deseruerunt deinde sub initium pugnæ ad Eleusinem, cum pro imponendo Athenis Isagora Tyranno Lacedæmonios inter atque Athenienses certatum est [l]. Hoc beneficio iis fœdus cum iisdem Atheniensibus conciliatum est, servatumque tantâ benevolentiâ, ut cum isti ad bellum contra Æginetas petiissent naves aliquot, quas dare Corinthii lege prohiberentur, singulas quinque drachmis venditas delusâ lege tradiderint [m]. Pari

[h] *Paus. in Corinth.* [i] *Arist.* lib. v. cap. 12. *de rep.*
[k] *Herod. in Thubin.* [l] *Idem, in Polymn.* [m] *Idem, ut sup.*

verò iracundiâ diſſolutum eſt, dum ipſi cum Corcyræis inito bello viderunt Athenienſium naves ſuis hiſce hoſtibus opem ferre. Quamobrem iterum ſeſe ad Lacedæmonios contulerunt, quibus magno fuerunt adjumento datâ non ſolùm per ſuos agros viâ, ſed exercitu & Claſſe [n]; in eoque bello ſæpius cum Athenienſibus manus conſeruerunt, plerumque victi [o]. Verùm cum deinde ſuperbos, feroceſque Lacedæmoniorum animos ferre non poſſent, in eos arma intulerunt, conjuncti Argivis, Athenienſibus, Thebanis. Tot bellis debilitati, in ſociorumque poteſtatem adducti, factionibus demum dilacerati ſunt. Pars, quæ Lacedæmonios vocaverat, cædibus contrita ceſſit, donec Urbs conditione pacis ab Antalcida nuncupatæ, diſcedentibus Argivis in libertatem reſtituitur [p]; ſed fracta ac debilis ad uſque Demoſthenis tempora ad ſummam rerum Græcarum parum habuit momenti.

[R] Ariſtides Lyſimachi filius Athenienſis, cognomento juſtus, ætate ferè Themiſtocli æqualis, cujus æmulatione factum eſt, ut ejuſdem cognominis invidiâ conflagraverit, Athenis Oſtraciſmo depulſus. Verùm antequam decem exilii annos, ut eâ lege præcipiebatur, abfuiſſet, ſexennio poſtquam ſolum verterat, à Republica revocatus eſt, cum Xerxes in Græciam tranſmiſit. Miles fuit in navali prælio ad Salaminam, Dux in terreſtri ad Platæas maximo, clariſſimoque; eò nimirum, quo Mardonius Perſarum Imperator necatus eſt, exercitus fuſus, profligatuſque. Deinde cum Pauſania Lacedæmonio belli reliquias marì perſequutus, plures Græci nominis inſulas, atque Aſiæ Urbes in Reipublicæ ſocietatem adduxit, reliquas Pauſaniâ Lacedæmoniis adſcribente. Sed hujus impotenti dominatu, æquitateque Ariſtidis accĭdit, ut omnes prope ad Athenienſes tranſierint,

[n] *Thucyd.* lib. i. [o] *Idem*, lib. iv. & vii.
[p] *Xenoph. de Rebus Græc.* lib. vii. & *alibi*.

ut

ut jamdudum non ſemel diximus. Mortuus eſt ann. ferè 4. poſt ejectum Athenis Themiſtoclem, ſcilicet 2. Ol. 78. Eâ fuit à publicis opibus, dum plures geſſit Magiſtratus, abſtinentiâ, eâque patrimonii tenuitate, ut non habuerit, à quo in funere efferretur, ejuſque filias, paternæ temperantiæ, & grati Civium animi argumento, Reſpublica aluerit, datâque dote collocaverit [q].

[s] Nicias Niceràti filius clariſſimus Athenienſium Dux floruit maximè Peloponeſiaci belli tempore, quo in bello pluribus ſuſceptis expeditionibus ſplendidiſſimum virtutis ſuæ periculum fecit, ſed nunquam magis, quàm in illâ contra Syracuſanos celeberrimâ. Cum ab hac ipſa expeditione veluti inopportuna, & periculoſa Rempublicam ſummis viribus deterruiſſet, ei tamen, ac Demoſtheni Alciſthenis filio commiſſa eſt. Quis autem dignè verbis complecti poſſit, quanta ibi utriuſque Ducis virtus enituerit? Quicquid ad maximi Imperatoris nomen immortalitati prodendum facit, tunc profectò non defuit; ſolertia in exponendis Copiis, ſcientia militaris in acie inſtruenda, fortitudo in conſerendis manibus, conſilium in explicandis difficultatibus, magnitudo animi in rerum adverſitate. Non ſemel victi Syracuſani, ac prope captâ urbe, demum terrâ marique victores in eas auguſtias Athenienſium exercitum detruſerunt, ut omnem habuerint in poteſtate. Milites in ſervitutem adducti, uterque Imperator fœdè necatus. Totam memorandæ rei ſeriem elegantiſſimè ob oculos ponit Thucydides [r], ac Diodorus lectu ſanè jucundam. Hunc exitum vitæ habuit Nicias ann. 4. Ol. 91. ἥκιστα δὴ ἄξιος ὢν τῶν γε ἐπ' ἐμοῦ Ἑλλήνων ἐς τοῦτο δυσχίας ἀφικέσθαι, διὰ τὸ νενομισμένῳ ἐς τὸ θεῖον ἐπιτήδευσιν, *Vir meâ ætate omnium Græcorum minimè dignus, qui ad iſtud calamitatis perveniret, propter ſuum erga Dei nu-*

[q] *Cornel. Nepos in ejus Vita. Diod.* lib. xi. *Thucyd.* lib. i.
[r] *Thucyd.* lib. vii. *Diod.* lib. xiii.

men ſtudium, moribus firmatum, ejuſdem Thucydidis teſtimonio. Nec de ipſo clariſſimo Imperatore prætermittendum eſt, quod ſcribit Plutarchus, dum ejus vitam incipit enarrare; his enim verbis luculentiſſimam omnium laudem complectitur: ἔνεστιν ἔν μοι περὶ Νικίου πρῶτον εἰπεῖν ὃ γέγραφεν Ἀριστοτέλης, ὅτι τρεῖς ἐγένοντο βέλτιστοι τῶν πολιτῶν, καὶ πολεμικὴν ἔχοντες εὔνοιαν, καὶ φιλίαν πρὸς τὸν Δῆμον, Νικίας ὁ Νικηράτου, καὶ Θουκυδίδης ὁ Μελησίου, καὶ Θηραμένης ὁ Ἀγνωνος. *Igitur mihi liceat de Nicia id primùm dicere, quod Ariſtoteles ſcripſit; nimirum tres fuiſſe Civium optimos, ſummâque in Patriam benevolentiâ, in Plebem amicitiâ, Niciam Nicerati filium, Thucydidem Mileſii, Theramenem Agnonis* [r].

[T] Demoſthenes Alciſthenis filius inter maximos & ipſe Athenienſium Imperatorum connumeratur, de quo ſuperiori Nota loquuti ſumus. Claruit bello Peloponeſiaco. Frequens illius mentio apud Thucydidem, ac Diodorum, locis jam memoratis.

[V] Pericles Xantippi filius, paterno maternoque genere clariſſimus, mortuo Ariſtide ac Themiſtocle, Athenis ad Rempublicam acceſſit. Tantùm eloquentiâ valuit, ut quò vellet populum impelleret; proinde Civitatis potentiſſimus fuit ἀνὴρ δυνατώτατος τῶν καθ' ἑαυτὸν, καὶ ἄγων τὴν πολιτείαν, Thucydidis [t] teſtimonio. Autor extitit ſuis civibus, ne quidpiam cederent Lacedæmoniis, ſuaque omnino jura tuerentur. Hinc bellum Peloponeſiacum initium habuit, quod bellum ſi Athenienſes ex ejus conſiliis geſſiſſent, Græcarum rerum Scriptores exiſtimant, neutiquam tantas Rempublicam calamitates accepturam fuiſſe. Armorum dux ejecit ex Attica Peloponenſes, horum provinciam vaſtavit, Eubœam ſubegit. Etſi maximæ auctoritatis eſſet apud Cives ſuos, prorſus tamen popularem procellam non declinavit. Actâ enim ex agris prædâ à Lacedæmoniis, divites ob acceptum damnum, Plebs ob commeatus auguſtias tu-

[r] *Plut. in ejus Vita. Thucyd. Diod. ut ſupra.* [t] *Thucyd.* lib. i.

multuati ſunt, mulctamque Pericli tamquam b
auctori irrogarunt. Verùm paulò poſt omne i
Reipublicæ arbitrium permiſerunt. Fato ceſſit a.
Belli Peloponeſiaci, primo videlicet O. 88. & ma
mo quidem Civitatis damnoè vivis ſublatus eſt [v]. Cu
extremo conflictaretur morbo, adeſſentque Amici, q
leniendo tanti viri deſiderio res ejus præclarè in bel
geſtas celebrarent, fertur ipſe, quem auditu capta
arbitrabantur, memoranda iſthæc verba protuliſſ
θαυμάζειν, ὅτι ταῦτα μὲν ἐπαινῶσιν αὐτῶ, καὶ μνημονεύου
ἃ καὶ πρὸς τύχλω ἐστὶ κοινὰ, καὶ γέγονεν ἤδη πολλοῖς ςρατηγο
τὸ δ' καλλιςον, καὶ μέγιςον ἃ λέγουσιν. Οὐδεὶς γὰρ, ἐφ
δι' ἐμὲ τῶν ἄλλων Αθηναίων μέλαν ἱμάτιον περιεβάλετο.
mirari, ſua hujuſmodi facta laudibus efferri, atque
memoriam revocari, quorum partem ſibi vindicet Forti
na, ac ſimilia multos jam Imperatores peregiſſe: tace
autem id, quod omnium eſſet optimum, ampliſſimumqu
Nemo enim, dixit, Athenienſium, meâ cauſâ pullam in
duit veſtem [w]. Quam raram animi manſuetudinem
Plutarchus meritis hiſce laudibus Poſterorum me
moriæ conſignavit: θαυμαςὸς ὁ ἀνὴρ ὐ μόνον τῆς ἐπιε
κείας καὶ πραότητος, ἣν ἐν πρόγμασι πολλοῖς καὶ μεγάλα
ἀπεχθείαις διεληρησεν, ἀλλὰ καὶ τῦ φρονήματος, οἱ τῶν αὐ
καλῶν ἡγεῖτο βέλτιςον εἶναι, τὸ μήτε φθόνῳ, μήτε θυμῷ χο
ρίσασθαι μηδὲν ἀπὸ τηλικαύτης δυνάμεως, μηδὲ χρησάσθα
τινι τῶν ἐχθρῶν ὡς ἀνηκέςῳ. *Admirabilem virum non l*
nitate ſolùm ac manſuetudine, quam pleriſque in rebu
maximiſque inimicitiis cuſtodivit, ſed & animi magnitu
dine. Exiſtimavit enim, hanc eſſe rerum ſuarum clari
ſimam, in tanta rerum potentia nullam iracundiæ, nu
lum invidiæ locum dediſſe, & ſeſe inimicorum ſuorum n
mini implacabilem præbuiſſe.

[x] Maximis cladibus labefactato Xerxis exercitu
liberatâque à Perſarum armis Europâ, Lacedæmon
cum viginti navibus, Duce Pauſania ipſorum Reg
Athenienſes cum triginta, Præfecto Ariſtide, quibu

[v] *Diod.* lib. xiii. *Thucyd.* lib. i. & ii. [w] *Plut. in vita Per*

Sociorum plures acceſſerant, ad perſequendas Medorum Claſſis reliquias, ad Imperii Victoriæque oſtentationem in Græcas Inſulas atque Aſiæ litora navigarunt. Verùm cum Pauſanias, deſcenſione in Cyprum factâ, plura ibi oppida ſubegiſſet, & cum reliquis per ea loca Græcis injuriosè ageret, iidem, ac præſertim, qui Ionici nominis cenſebantur, ejuſdem Regis petulantiâ commoti, atque Ariſtidis æquitate, ad Athenienſes, generis cognatione ſibi junctos confugerunt, ut non ſemel admonuimus. Recepti in fidem & Societatem ipſis Athenienſibus armorum imperium, conſilii, rerumque agendarum auctoritatem ſponte tradiderunt. Deinde ex Ariſtidis ſententia inter eas convenit, quid unaquælibet Civitas navium, quid pecuniæ daret; Summa quadringentotum ſexagenûmque talentûm ſingulis annis conſtituta eſt, eorumque in Delo ſequeſtrem Apollinem confecerunt. Igitur (ut æqua ſunt, ac læta fœderum initia etiam cum potentioribus juncta, quippe vel principiò ignari, quid poſſint; vel dubii, ne illa nondum hoſtium injuriis vehementiùs conſtricta facilè diſſolvantur) aliquot annos manſerunt leges iſtæ, atque inſtituta intra recti fines; quoad inſolentiùs Athenienſes agere; Athenas Ærarium traducere, Sociis imperare, non præeſſe. Hinc frequentes iſtorum defectiones, ac Societatis nomine ſervitus. Vadem præbeo Thucydidem [x], ne nullâ auctoritate Demoſtheni videar contradicere: Ναξίοις δὲ ἀποστᾶσι μετὰ ταῦτα ἐπολέμησαν, καὶ πολιορκίᾳ παρεσκήσαντο. Πρώτη τε αὕτη πόλις ξυμμαχὶς παρὰ τὸ καθεστηκὸς ἐδουλώθη. Ἔπειτα δὲ καὶ τῶν ἑκάστη ξυνέβη. Αἰτίαι δ' ἄλλαι τε ἦσαν τῶν ἀποστάσεων, καὶ μέγισται, αἱ τῶν φόρων, καὶ νεῶν ἔκδειαι, καὶ λειποστρατίου, εἴ τῳ ἐγένετο. Οἱ γὰρ Αθηναῖοι ἀκριβῶς ἐπράσσον, καὶ λυπηροὶ ἦσαν, οὐκ εἰωθόσιν ἁδὲ βουλομένοις ταλαιπωρεῖν προσάγοντες τὰς ἀνάγκας. Ἦσαν δέ πως καὶ ἄλλως οἱ Αθηναῖοι οὐκέτι ὁμοίως ἐν ἡδονῇ ἄρχοντες,

[x] *Thucyd.* lib. i.

καὶ ὅτε

ὰ, ὅτε ξυνεστράτευον ἀπὸ τῆς ἴσης, ῥᾴδιόν τι προσάγεσθαι λοιδοροῦντας τοὺς ἀφισταμένους &c. *Deinde adverſus Naxios, qui deſciverant, bellum ſuſceperunt, obſederuntque. Et prima quidem hæc Urbs inter eas, quæ Societate copulabantur, præter pactorum fidem in ſervitutem redacta eſt. Deinde & aliæ vice ſuâ. Multas profectò maximaſque defectionibus cauſas præbuerunt Naves, tributa, milites quoque, ſi cui contigiſſet, pro rata parte recuſati. Siquidem Athenienſes ea diligenter exigebant, ac neceſſitatis colore in iis repetendis acerbi erant erga Populos illos moleſtiarum inſuetos, nolenteſque ærumnis affici, ac labefactari. Præterea nequaquam, ut antea, miti imperio utebantur, nec ferebant ipſi ex æqua parte militiæ incommoda, cum ſibi promptum eſſet vi eos comprimere, qui defeciſſent.* Quod cum ita ſe habeat, non tamen incuſandus eſt Demoſthenes, quod hoc loco referat, Athenienſes volentibus ac lubentibus Græcis imperaſſe. Cui enim ignota eſt Oratoris ars, omnia ad ſuam cauſam utilitatemque detorquentis? At nobis pariter Hiſtoriæ veritas prætermittenda non fuit. Nunc ad explicandum tempus accedo, quo Imperium iſtud perduravit. Hujus autem in promptu eſt initium aſſignare; finem non ita facile. Nam Aſianæ Græci nominis Civitates, ac plurimæ Ægæi maris Inſulæ in Athenienſium ſinum convolarunt, ut diximus, poſt confectum Xerxianum bellum, a. ſcilicet 4. O. 75. [y], quo principium ejuſmodi Imperii conſtituere opus eſt. Illud autem cum Demoſthenes hoc loco dicat perduraſſe quinque & ſexaginta annos, alibi [z] tres ac ſeptuaginta; Iſocrates priorem numerum amplexatus ſit, quo anno finem habuerit, incertum manet. Video tamen, utramque eorundem annorum ſummam ad aliquem idoneum terminum perduci poſſe. Horrenda apud Syracuſas Athenienſium clades, quam ſæpius memoravimus, hujus Rei-

[y] *Diod.* lib. xii. *Thucyd.* lib. i. [z] *Demoſth. Phil.* iii. *Iſocr. in Panath.*

publicæ vires fregit adeo, ut Asiatici, atque Insulares Socii non amplius dubitaverint ad Lacedæmonios, quò belli fortuna inclinabat, deficere, ac durum Athenienſis Imperii jugum è cervicibus ſuis excutere. Igitur hoc tempore ceſſarunt Athenæ jura Sociis dare, atque habere ſibi obnoxios. Hæc tanta rerum commutatio accidit anno decimo nono Peloponeſiaci belli [a], nimirum a. 4. O. 61. ad quem ab illo pariter quarto O. 75. per ſexaginta & quatuor integros annos pervenitur, quibus ſi addas menſes aliquot ad accipiendum à Sociis inflictæ Athenienſibus calamitatis nuntium, ad parandamque defectionem neceſſarios, quinque illi & ſexaginta anni à duobus laudatis Oratoribus deſcripti colliguntur. At verò cum deinceps nonnihil Reſpublica, partâ ſibi ad Abydum adverſus Mindarum Lacedæmonium victoriâ [b] reſpiraverit; revocatoque Alcibiade, noviſque victoriis contra Callicratidem ad Mitylenem, & Arginuſas recreata, non parum è vadis emerſerit [c], vi, aut blanditiis plures Sociorum Civitates recuperaverit, alias labantes confirmaverit; poteſt illud ipſius Imperium produci ad ann. 1. Olynth. 94. quo poſt illatam ſibi ſuperiori anno maximam à Lyſandro peſtem, ἐκ τῆ Ἑλλησπόντ ναυσὶ διακοσίαις ἀφικόμενος ἐς τὴν Λέσβον, καὶ ἅπασαν ἀσπάλω τάς τε ἄλλας πόλεις ἐν αὐτῇ, καὶ Μιτυλήνην. Ἐς δὲ τὴν ἐπὶ Θρᾴκης χωρίαν ἔπεμψε δέκα τριήρεις ἔχουσα Ἐτεόνικον, ὃς τὰ ἐκεῖ πάντα πρὸς Λακεδαιμονίους μετέστησεν. Εὐθὺς δὲ καὶ ἡ ἄλλη Ἑλλὰς ἀφεστήκει Ἀθηναίων μετὰ τῶν ναυμαχίαν, πλὴν Σάμου, *Iſte ex Helleſponto ducentis navibus in Lesbum tranſmiſit, omneſque alias Urbes in eo Inſula, quin & ipſam Mitylenem in poteſtatem redegit. In Thraciam quoque Eteonicum miſit cum decem triremibus, qui omnia illic ad Lacedæmonios traduxit. Ac ſtatim quidem poſt navalem pugnam univerſa Græcia præter Samum deſcivit ab Athenienſibus,* Xenophontis [d] teſtimo-

[a] *Thucyd.* lib. vii. *Diod.* lib. xiii. [b] *An.* 2. O. 92. [c] *Ab a. ſupradicto ad* 3. O. 93. [d] *Xenoph. de Rebus Græc.* lib. i. *Diod.* lib. xiii.

nio.

nio. Deinceps Reſpublica propemodum deleta eſt, dejectis longis mœnibus, ac moderantibus Urbi triginta Tyrannis [a]. Ad hunc igitur ab illo 4. O. 75. tres ac ſeptuaginta interceſſerunt anni, quæ altera eſt Demoſthenis ſumma.

[y] Tam locuples Athenienſium Ærarium non ſolùm hoc Demoſthenis teſtimonio comprobatur, ſed accedit Thucydides, à quo iſthæc decem millium talentorum ſumma ad hiſtoricam veritatem expenſa, trecentis tantummodo imminuitur. Jam verò initio belli Peloponeſiaci ad ſex millies redacta fuerat, cæteris quatuor millibus in Propylæis ac Potidææ obſidione conſumptis. Audiamus Thucydidis teſtimonium [b], qui ſic Periclem loquentem inducit: *Θαρσεῖν τε ἐκέλευε, πρασιόντων μὲν ἐξακισχίλιον ταλάντων, ὡς ἐπὶ τὰ πολλά, φόρῳ τοῦτ' ἐνιαυτὸν ἀπὸ τῶν ξυμμάχων τῇ πόλει, ἄνευ τῶν ἄλλων πρόσοδοι, ὑπαρχόντων ἔτι τότε ἀργυρίου ἐπισήμου ἑξακισχιλίων ταλάντων. Τὰ γὰρ πλεῖστα τεσσαρακοσίων ἀποδέοντα μυρία ἐγένετο, ἀφ' ὧν τε τὰ Προπύλαια τῆς ἀκροπόλεως, καὶ τἆλλα οἰκοδομήματα, καὶ ἐς Ποτίδαιαν ἀπανηλώθη. Jubebat bono animo eſſe cum in Ærarium quotannis venirent ferè ſexcenterum à Sociis talentorum tributum præter alios proventus; & jam eſſent in arce collecta ſex millia talentûm ſignati argenti. Nam ibi maxima pecuniæ ſumma fuit decem millium, trecentis minus, è quibus reliqua abſumpſerant arcis Propylæa, aliaque Ædificia, & Potidæa.* Congruit etiam computandi ratio; Siquidem in laudatis Veſtibulis duo millia, ac duodecim occupata fuerant. Tota Potidææ obſidio duobus millibus conſtitit [c]; ſed cum inſequenti ſolùm anno finem obtinuerit, aliquid ex hac ſumma detrahendum eſt: Idcirco Ærarium adhuc integra illa ſex millia retinebat.

[z] Græcorum Hiſtoria, quæ modò ſupereſt, numquam tradit apertis verbis, Macedonum Reges ve-

[a] *Xenoph. de rebus Græc.* lib. ii.
[b] *Thucyd.* lib. ii.
[c] *Thucyd.* lib. ii.

ſtigales Athenienſium fuiſſe. Fides tamen Demoſtheni adhibenda eſt, id non ſolùm hoc loco, ſed etiam in Orat. ad Philippi epiſtolam referenti. At quibus eorundem Regum ea dura fuit conditio? In Oratione de Haloneſo, quæ falsò cum Demoſthenicis adnumeratur, indicari videtur Amyntas Philippi Pater: ὅτε γὰρ Ἀμύντας πατὴρ ὁ Φιλίππου, ὅτε οἱ ἄλλοι Μακεδονίας Βασιλεῖς ὑδέποτε σύμβολα ἐποιήσαντο πρὸς τὴν πόλιν τὴν ἡμετέραν &c. Ἐφ' ἡμῖν γὰρ ἦν ἡ Μακεδονία, ἡ Φόρους ἡμῖν ἔφερε &c. *Neutiquam enim Amyntas Philippi pater, neutiquam alii Macedoniæ Reges, teſſeris cum noſtra Civitate uſi ſunt &c. Quippe nobis Macedonia obtemperabat, perſolvebatque tributum &c.* Ulpianus [h] hæc habet: οἱ μὲν Περδίκκαν εἶναί φασι τὸν ἐνεγκόντα τὰς Φόρους Ἀθηναίοις, οἱ δὲ Φίλιππον ἔνιοι τῶν Φιλίππου προγόνων. *Alii Perdiccam dicunt Athenienſium fuiſſe vectigalem; alii Philippum quendam è Philippi Avis.* Quid nos hac re? Ab Amynta puto Philippi patre, ac Perdicca ex hujus Majoribus, Alexandri filio, tributum Athenienſibus perſolutum; ab illo autem, ut ſibi Reipublicæ patrocinium compararet; ab iſto, ut violatæ fidei, factæque ſæpius injuriæ pœnas lueret. Id eam ob rem mihi perſuadeo, quòd Amyntas, poſtquam Lacedæmoniorum ſocietatem gravem periculoſamque expertus eſt, eiſque in Olynthi occupatione ludibrio fuiſſe, ſe totum Athenienſibus dederat, ac veluti Patronis utebatur; quapropter Reipublicæ filios ſuos morti proximus commendaverat, ut N. [L] ſuperioris Olynth. *pag.* 237. admonuimus. Hinc nil mirum, ſi Rex tot fractus calamitatibus, prius infenſus Athenienſibus, modò propemodum cliens, ad iſtorum conciliandam ſibi benevolentiam, quidpiam daret pecuniæ. Quod verò ad Perdiccam attinet, is enim vero, inquieto animo, variâque fortunâ ſuadente, ſæpius diſſolvit ictum cum Athenienſibus fœdus, ſæpius renovavit, donec ab iiſdem tantâ voluntatis va-

[h] *Ulp in Enarrat. hujus loci.*

rietate

rietate fessis è Macedonia depulsus est ann. 15. belli Peloponesiaci, primo Ol. 91. καλέκλεσαν ἢ τῷ αὐλῷ χειμῶνος καὶ Μακεδονίας Ἀθηναῖοι Περδίκκαν, ἐπικαλοῦντες τιὰ τε πρὸς Ἀργείους καὶ Λακεδαιμονίους γενομένην ξυνωμοσίαν, καὶ ὅτι παρασκευασαμένων αὐτῶν στρατιὰν ἄγειν ἐπὶ Χαλκιδέας τοὺς ἐπὶ Θράκης, καὶ Ἀμφίπολιν, Νικίᾳ τῷ Νικηράτου στρατηγοῦντος, ἔψευσο τιὰν ξυμμαχίαν, καὶ ἡ στρατιὰ μάλιστα διελύθη ἐκείνου ἀπράκτου. Πολέμιος ἦν ἄρα. *Eadem hieme Athenienses Perdiccam Macedoniâ excluserunt ob factam in se cum Argivis Lacedæmoniisque conjurationem, & quòd, cum ipsi jam conflato exercitu, quem contra Chalcidenses in Thraciam ducerent, & contra Amphipolim, Niciâ Nicerati filio Imperatore, Socios decepisset. Nam eo domum redeunte ob id præcipuè evanuit expeditio. Hostis igitur reputabatur*; ut narrat Thucydides [i]. Quin & altero abhinc anno regnum infestis armis percurrere non destiterunt. Quapropter credere par est illum tributo ab Athenienſibus tot incommoda & pacem redemisse.

[a] Græcis, cum plerumque inter se de gloriâ potiùs, quàm de Imperio decertarent, ea maxima cura fuit, partâ victoriâ tropæum erigere, ubi prælium commissum fuerat, si terrâ; aut si mari pugnatum foret, in opposito litore; idque jure gentium hostes, vel si possent, non prohibebant. Præclaris hisce bellicæ virtutis monumentis toties Athenæ condecoratæ sunt, quoties terrâ marique à suis Civibus prosperè bellatum est. Id autem singillatim recensere, otiosi Mediusfidius hominis foret, cum nihil Athenienſium factis illustrius habeant, nihil frequentius Græcorum historiæ.

[b] Athenis, cum nondum Civitas tantis viribus, tantâque Imperii magnitudine splendesceret, vel ipsa Numina sub paupere tecto colebantur. Nullo tunc auro illita Templa, nulla magnificentia: καὶ τῶν Ἱερῶν ἄνευ χρυσοῦ, καὶ ἀργύρου. Τύποις γὰρ ἐδὲν ἐδαμόσε προσεχώρουν.

[i] *Thucyd.* lib. v.

Templa

Templa ipſa ſine auro & argento. His enim nuſquam omnino utebantur, ut Plato [k] loquitur. Deinde Cives gratum Diis animum exhibentes, ampliſſima, pulcherrimaque Fana domi foriſque in Attica conſtruxerunt. Et ſanè quò Minervæ, cujus adhuc remanent veſtigia, quò Cereris Eleuſinæ, Veneris Coliææ, Cereris Almuſiæ, Dianæ Braunoniæ, Themidis, aliorumque delubrorum fama non pervaſit? quorum Pauſanias [l], aliique memoriam literis conſecrarunt. Unius ego Jovis Olympii ſermonem faciam, quod quamvis vigente Republica ad culmen perductum non fuerit, idque perfecerit Hadrianus; attamen majori tum parte excitatum, eorum temporum magnificentiam, quam hoc loco Demoſthenes refert, præ ſe fert. De illo hæc habet Hiſtoricorum Latinorum maximus [m]: *unum in terris pro magnitudine Dei inchoatum.* Et Vitruvius [n]: *id opus non modò vulgô, ſed etiam in paucis à magnificentia nominatur.* Ipſum ſtadia quatuor ambiebant, ſi Pauſaniæ credimus [o]: ὁ μὲν δὴ πᾶς περίβολος ςαδίων μάλιςα τεσσάρων ἐςὶν, *Univerſus circuitus eſt quidem ſtadiorum quatuor.* Atque in illius denique conſtructione occupata ſunt Talentûm octo millia, ſi demas duodecim, videlicet Coronatorum quadragies octies centena millia, 48000000; ut Dion Chryſoſtomus eſt auctor [p], ἔκειν δὲ Ἀθηναίους ἔτως ζηλῶ τῆς δαπάνης, ἢ πολυτελείας τῆς περὶ τὴν πόλιν, ἢ τὰ Ἱερὰ, ὅσον τῶν ἔργων, ἃ ἔπραξαν οἱ πρότερον, τὸν ἀκινάκην τὸ Μαρδονίε πολὺ σεμνότερον, ἢ κρεῖττον ἀνάθημα ἔχυσαν, ἢ τὰς Λακώνων ἀσπίδας, ἢ τῶν ἐν Πύλῳ πολὺ ἀλόντων, ἢ τὰ προπύλαια τῆς ἀκροπόλεως, ἢ τὸ Ολύμπιον, ἀπὸ πλειόνων ἢ μυρίων ταλάντων. *Igitur non tantum beatos Athenienſes reputo propter exornatam magnis ſumptibus Civitatem ac Templa conſtructa; quàm quod habent Mardonii acinacem, & clypeos Lacedæmoniorum, aliorumque in Pylis olim interfectorum. Quæ quidem longè*

[k] *Plato in Critia.* [l] *Pauſan. in Atticis.* [m] *T. Liv.* lib. xli.
[n] *Vitruv. in proœm.* lib. vii. [o] *Pauſan. in Atticis.*
[p] *Dion. Chryſoſt. de Regno Orat.* lib. ii.

venerabiliora

venerabiliora monumenta ſunt, quàm Arcis Propylæa, atque Olympium, quamvis pluſquam decem talentorum millium ſummam abſorbuerint; Propylæis data mox diximus duo millia duodecim; reliqua igitur Olympii Jovis Fano.

[c] Ariſtidis Hiſtoriam vide Nota [R] (*pag.* 274.) hujus Orationis.

[d] Nec mihi ſilentio prætermittendus eſt Miltiades Cimonis Filius, à quo tantum ſplendoris Athenis, tantumque utilitatis acceſſit. Nam Cherſoneſum, Lemnum, Cycladeſque omnes adeptus eſt. Auctor & Dux Marathonicæ pugnæ Atticam univerſamque Græciam à Perſarum faucibus eripuit. Poſt eam pugnam Claſſem ſeptuaginta triremium habuit, qua Inſulas, Barbarum ſuperiori bello ſequutas, vi ac ferro in ſervitutem addiceret. A Pario vindictæ initium fecit; ſed cum Oppidum prope captum in extremas anguſtias adduxiſſet, repente in oppoſitam terræ oram ignem conſpicatus, ratuſque non caſu, ut erat, accenſum, ſed ibi Claſſem hoſtium in ſtatione eſſe, impoſitis illico in naves militibus obſidionem ſolvit. Sive res ita ſe habuerit, ſive caſu alio, quem narrat Herodotus contigerit, id Civibus accidit adeo grave, ut eum quinquagies talentûm, quantum in Claſſem datum fuerat, multaverint; quæ cum ſolvendo non eſſet, in carcerem ductus, illic obiit extremum diem, illuſtrior calamitate ſuâ, quam tot facinorum felicitate. Quippe utramque moderatè tulit; ſed longè difficilius in adverſis forti animo eſſe, quàm in proſperis temperato [q]. Verùm de his hactenus. Cæterum quis admirari ſatis poſſit tantam clariſſimorum illorum Civium in privatis rebus moderationem animi, quam Orator hoc loco ſummis laudibus extollit? Sed putarunt, ut Ciceronis [r] de Marcello verbis utar, *ſi urbis ornamenta domum ſuam non contuliſſent, domi ſuæ ornamento Urbem futuram.*

[q] *Corn. Nepos in Vita Miltiad. Herod.* lib. vi. [r] *Cic. Verr.* iv.

[e] Re-

[e] Revocat in mentem Leuctricum vulnus, à quo nunquam Lacedæmonii penitus convaluere.

[f] Thebani hoc tempore bello ſacro, ut ſæpius diximus, occupabantur, quod eam quoque Rempublicam, ſuperioribus bellis feſſam, ac labefactatam, detinebat adeo, ut ſine Philippi viribus debellare nequiverit; ſicuti in Oratione de Pace narrat Demoſthenes.

[g] Locum Æſchinis, apertiſſimum quidem, attulimus N. [z] *pag.* 250. ſup. Orationis, quo admonemur quingenta iſta ſupra decem millia talentûm, nempe nongenta Coronatorum millia Chareti ab Athenienſibus data ad recuperandam Amphipolim, ab eoque fruſtra, nulloque emolumento Mercenariis Ducibus Dijaridi, Diipyro, ac Polyphonti tradita. Rurſus Nota [F] *pag.* 206. Or. 1. contra Phil. expoſuimus, quot, quantiſque Thraciæ Civitatibus iidem Athenienſes fuiſſent à Philippo deſpoliati, cum quibus fœdere copulabantur. Nullum tunc erat, ut diximus, apertum iis bellum cum Macedone; quare cum hæc omnia Demoſthenis dicto congruant, dubitari nequit huc illum in præſentia collimare.

[h] Fons Panopis prope portam Athenis, quæ in Academiam ducebat, memoratur à Platone in Lyſide; Æſculapii, ab aliis, paucique alteri: Nam in Attica, utpote quæ arido ſolo ſit, aquæ infrequentes. Quocirca eos jucundiores fuiſſe Civibus putandum eſt, iiſque ornandis, cuſtodiendiſque ſedulam navaſſe operam. At mœnia non ſolùm elegantiæ, ſed utilitatis erat diligenter inſtaurare, quæ Themiſtoclis conſilio, invitis atque obnitentibus Lacedæmoniis, iterum poſt vaſtatam à Medis Urbem tanta excitaverant alacritate, tanto mœrore dejecerant Lyſandri juſſu, qua parte cum Piræo conjungebantur; expulſiſque Tyrannis rurſus ingenti animorum gaudio reſtituerant. Quin etiam negotium iſtud magni momenti exiſtimabatur, eique præerant conficiendo Cives è qualibet Tribu electi, ut nos docent geminæ illæ celeberrimæ

leberrimæ Æſchinis Demoſtheniſque de Corona Orationes; quâ coronâ hic alter publicè donatus fuerat ob impenſam hujuſmodi operi curam ſuam, auctaque de ſuo decem drachmarum millibus talenta decem, quæ in id opus acceperat ab Ærario [f]. Profectò dum Oratoriè hoc loco munus iſtud, ac rem extenuat, non prævidit, quantus inde ſibi honor eſſet obventurus.

[i] Athenienſis Reſpublica virilem habuit ætatem, dum iſtis, quæ modò recenſentur ab Oratore, vigebat legibus, atque inſtitutis Medicum inter, ac Peloponeſiacum bellum. Hoc enim tempore populariter adminiſtrata conceſſam à Solone univerſæ Plebi rerum omnium auctoritatem, ſuadentibus Pericle, Ariſtide, aliiſque auxit, nedum tutata eſt, ut non ſemel jamdudum annotavimus.

[k] Athenæ in falſo Deorum cultu religioſiſſima Civitas, ut etiam D. Paulo viſa eſt, ſacrificiis, diebuſque feſtis plures Deos coluit. Illic enim agebantur Panathenaica Minervæ tutelari Deæ ſacra; Eleuſinia Cereri, & Proſerpinæ; Pandia, Diaſia, Diipolia Jovi; Boëdromia & Metagitnia Apollini; Dionyſia & Antheſteria Baccho. Rurſus Apaturia, Metœcia, Synœcia, Thargelia, Plynteria, Hephæſtia, Promethea, Chalcea, aliaque, quæ cuncta vir ſumma præditus eruditione Sigonius [t] enumerat. His omnibus initiò præerant Rex, aut Regina: Τὰς μὲν θυσίας ἀπάσας ὁ Βασιλεὺς ἔθυε, καὶ τὰς σεμνολάτας, καὶ ἀπορρήτους ἡ γυνὴ ἀνδρὶ ἐποίει, εἰκότως, Βασιλίσσα οὖσα. Ἐπειδὴ δὲ Θησεὺς σωφρόνησεν αὐτὰς, καὶ δημοκρατίαν ἐποίησε, καὶ ἡ πόλις πολυάνθρωπος ἐγένετο, τὸν μὲν βασιλέα ἐᾶσαν ἦτλον ὁ Δῆμος ἡρεῖτο ἐκ προκρίτων κατ' ἀνδραγαθίαν χειροτονῶν. Τὴν δὲ γυναῖκα ἀνδρὶ, νόμον ἔθεσθαι, αἰσχὺν εἶναι, καὶ μὴ ἐπιμεμιγμένην ἑτέρῳ ἀνδρὶ, ἀλλὰ παρθένον γαμεῖν, ἵνα καλὰ τὰ πάτρια θύηται τὰ ἄῤῥητα ἱερὰ ὑπὲρ τῆς πόλεως, καὶ τὰ νομιζόμενα

[f] *Æſch. Orat. contra Cteſiph. Demoſth. pro Cor.* [t] *Sigon. de Rep. Athen.* lib. v. cap. 4.

γίγνηται

γίγνηται τῶν Θεοῖς ἐνσεβῶς, ἢ μηδὲν καλαλύηται, μηδὲ παραλειφθῇ. *Rem omnem ſacram faciebat Rex; ejuſque uxor ſacrificia arcana, & venerabiliora, jure quidem, cum eſſet Regina. Poſtquam verò Theſeus Cives in unum collegit, ac Rempublicam inſtituit, Urbs quoque maximo incolarum numero aucta eſt, nihilominus Rex à Populo ſuffragiis eligebatur, probitate conſpicuus. Legem quoque tulit, ut Regis uxor Civis eſſet, nulli antea nupta viro, ſed virgo matrimonio juncta, ut patriâ conſuetudine ſacra faciat, arcana pro Republica, & quæ Deorum ſunt, piè celebrentur, non mutatis violatiſque cæremoniis*, ut à Demoſthene [v] admonemur. Deinde non ſolùm Sacrorum Rex, ſed & alii Magiſtratus; qua de re aliquid jam dictum eſt, & plura dicemus ſuo loco. Cum autem in iis profanis religionibus pars Celebritatis eſſent epulæ, inſtructæque Menſæ poſt Sacrificia, quarum pariter curam Magiſtratus gerebant, idcirco Orator hoc nomine Populum inſectatur, oſtenditque ſatis illi eſſe lautis Menſis accumbere, reliqua ſocordi demiſſoque animo prætermittere.

[l] Diximus N. [D] *pag.* 100. Orat. 1. contra Philippum, duas quolibet menſe Athenis Conciones rerum publicarum conſultationi datas fuiſſe; & Nota [c] de Rhodiorum libertate, Magiſtratuum vi ſæpè Cives à dicendo prohiberi. Hæc duo qui cogitet, facilè animadverteret, Demoſthenem ad hanc eorundem Magiſtratuum inſolentiam verba dirigere.

[m] Hujus comparationis vim, atque elegantiam, venuſtatemque nemo ſatis admirari poteſt. Duplex quotidie, ut jam retulimus, obolus Plebi dabatur Theatri nomine, tertia ſcilicet drachmæ pars; quâ pecuniâ parum cuique commodi obvenire poterat, multum Ærario difficultatis; maximo ſanè documento iis, qui ſummo cum imperio præſunt Reipublicæ, parva beneficia pluribus collata nullam gratiam acquirere, quamquam ingentes copias exhauriant.

[v] *Demoſth. in Neær.*

[n] Ex

[n] Ex hoc loco nequaquam exiſtimari debet Athenis in Judicum numerum eos tantùm cooptari, qui militarem ætatem, ſeu, ut jamdiu probavimus, annum ſexageſimum ſuperaſſent. Id enim longe abeſt à vero; quippe Judicialis ætas, ut mox dicemus, ab anno trigeſimo inciperet. Putandum igitur hanc eſſe Demoſthenis mentem, ut omnes, qui vel ob ætatem, vel ob emerita ſtipendia non amplius jubentur militiæ dare nomina, & nihilo ſecius Theatralem accipiunt pecuniam, reddendis Judiciis navent operam: Nunc ad explicandum quicquid ad Judicia, de quibus hoc loco habetur ſermo, & ad Forum pertinet, accedamus. Quam rem ad diſcendum jucundiſſimam, ad explicandum obſcuriſſimam, luculentis adeo verbis, labore, eruditione Sigonius [w] enucleavit, ut ad ejus doctrinam quidpiam addi vix poſſit. Non tamen, quicquid ille integro libro complexus eſt, nobis eſt animus referre; ſplendidiora ſolùm eligemus, eaque ordine noſtro, &, ſi fieri poterit, majori luce impertiemus. Triplex fuit Athenis Judicum genus, Areopagitarum, Ephetarum, Heliaſtarum. Senatus Areopagi, columen Reipublicæ, legum, morum, publicæ tranquillitatis cuſtos, incerto Senatorum numero conſtabat, quippe ex iis componebatur, qui è novem Archontibus fuiſſent, ſi tamen Judicibus benè à ſe geſtum Magiſtratum, vitæque ſuæ rationem probaſſent. Semel adlecti non niſi crimine dejiciebantur, iiſque præerat Rex, qui unus erat ex annuis Archontibus. Initiò ad graviores capitis Cauſas dijudicandas inſtitutus eſt; ei deinde à Solone commiſſa fuit tutela quædam Reipublicæ; quapropter ſi Cives moribus, conſiliis, geſtis aliquod ipſi damnum procreabant, iis de rebus ſummum judicium erat apud Areopagum. Utrique, Reus & Accuſator, bis Cauſam orabant, nullo Orationis fuco, factâ etiam reo poteſtate, cum ſemel dixiſſet, in exilium abeundi, ſi nollet Judicium

[w] *Sig. de Rep. Ath.* lib. iii.

ſubire. Miræ ſunt hujus Senatus laudes cum apud Græcos, tum apud Latinos, & nemo dubitat, quoad Athenis humanitas, æquitas, cæteræque virtutes floruere, ejus auctoritate floruiſſe. Auctor ejuſdem Cecrops, qui & Urbis. Convocabatur tribus continuis cujuslibet menſis diebus, quarto ſcilicet, tertio, ac ſecundo abeuntis in Martio Pago, unde illi nomen; aliquando extra ordinem in Regia porticu. Præter cætera crimina, quæ, ut diximus, ſecuritatem Reipublicæ reſpiciebant, cognoſcebat de cæde, vulnere, incendio, veneno, ac parricidio alicui de induſtria illatis. Sequuntur Ephetæ à Demophonte Rege Theſei filio conſtituti, ut apud illos de inconſulta cæde, ac de inſidiis Cauſæ dicerentur. Centum initio fuerunt ex æqua parte Argivi, atque Athenienſes. Verùm Draco numerum ad unum & quinquaginta contraxit, quorum quinque è ſingulis Athenarum Tribubus (nam Argivos excluſit) ſorte legi juſſit; ex omnibus autem unum illum ſupra quinquageſimum, qui ſuffragiorum æqualitatem adimeret, ne aliquando Judicia repetenda forent. Ipſorum ætas quinquaginta anni, ac mores probatiſſimi. Quatuor in Foris judicabant. At nemo tradit, iidemne in unoquoque illorum, an diverſi fuerint, totidem ubique numero. Ego equidem cenſeo diverſos fuiſſe, atque unum & quinquaginta in quolibet Foro jus dixiſſe, omnes autem Ephetas nuncupatos. Nam cum iidem ſunt Judices, & diſſimilia Cauſarum capita, dicitur potius unum idemque Tribunal de diverſis rebus cognoſcere, quàm iidem Judices in diverſis Foris conſidere. Ephetarum igitur quatuor Judiciorum genera. Primum in Delphinio redditum de iis qui hominem occidiſſe faterentur, ſed jure. Alterum in Palladio de morte inconſultò illatâ, inſidiiſque poſitis. Tertium in Prytaneo de rebus inanimatis, quæ necem dediſſent. Docet enim Demoſthenes in Oratione adverſus Ariſtocratem, in qua hæc omnia Judicia luculenter explicat, lapidem, lignum, ferrum in iſtud Judicium ad-

ductum, à quo alicui mors obveniſſet, ſi Reus ignoraretur. Quartum in Phreattio, ubi quæ Cauſæ in diſceptationem venirent, quove ordine, lubet ex Oratore noſtro intelligere, qui rem ita narrat in Oratione adverſus Ariſtocr.: Ἐν Φρεαλλοῖ κελεύει δίκας ὑπέχειν ὁ νόμος, ἐάν τις ἐπ' ἀκουσίῳ φόνῳ πεφυγὼς, μήπω τῶν ἐκβαλόντων αὐτὸν ἠδεσμένων, αἰτίαν ἔχει ἑτέρου φόνου ἑκουσίου. Καὶ ἐχ', ὅτι δεῦρο ἐχ' οἷόν τε ἐλθεῖν ἀνδρῷ, παρεῖδεν ἀνδρὸς ὁ ταῦτα ἔκαξε δήπε τάξας &c. Τί ἂν ἐποίησεν; ἦγαγε τὸς δικάζοντας ἐκεῖσε, οἷ προσελθεῖν οἷόν τε ἦν ἐκείνῳ, τῆς χώρας ἀποδείξας πόπον τινὰ ἐν Φρεαλλοῖ καλούμενον ἐπιθαλάτλιον. Εἶθ' ὁ μὲν ἐν πλοίῳ προσπλεύσας λέγει, τῆς γῆς ἐχ' ἁπτόμενος· Οἱ δ' ἀκροώνται ἢ δικάζουσιν ἐν τῇ γῇ. Κᾆν μὲν ἁλῷ, τοῦ ἐπὶ τοῖς ἑκουσίοις φόνοις δίκην ἔδωκε. δικαίως. Ἐὰν δ' ἀποφύγῃ, ταύτης μὲν αὖθις ἀφίεται. Τῷ δ' ἐπὶ τῷ προτέρῳ φόνῳ φυγὼ ὑπέχει. *In Phreattio lex jubet, eum Cauſam dicere, qui ob involuntariam cædem in exilium pulſus, cum nondum placaverit Exactores ſupplicii ſui, de altera voluntaria cæde accuſatur. Cum verò Athenas ei venire non liceat, non tamen qui hæc omnia conſtituit, illum neglexit. Quid autem fecit? Eò Judices duxit, quò ipſe poſſet accedere, maritimum in Phreattio locum oſtendens. Hic igitur navigium litori admovens, nec terram attingens, Cauſam orat. Judices in litore audiunt, judiciumque ferunt. Si cauſâ cadat, pœnas luit voluntariis cædibus inſtitutas. Si crimen effugiat, ab hoc liber diſcedit. Exilium verò ob ſuperius delictum manet.* Quatuor hiſce Foris Rex pariter, ut Areopago præſidebat. Supereſt modò, ut de Heliaſtis quidpiam loquamur. In quinque iſti Collegia, quinque Foris præpoſita dividebantur, nempe Heliææ, duobus Parabyſtis, Trigono, & Metychio. Quingenti in unoquoque fuerunt, qua de re miror fuiſſe, qui dubitaverint. Pollux [x] enim, qui literis diligentiſſimè tradidit quicquid ad hujus argumenti explicationem facit, & unde cuncta Sigonius fermè hauſit, apertè ſcribit:

[x] *Pollux, Onomaſt.* lib. viii.

bit: Ἡλιαία ἢ πενταχοσίων. Εἰ ἢ χιλίων δέοι Δικαστῶν, συνίσαντο δύο Δικαστήρια· Εἰ ἢ πενταχοσίων καὶ χιλίων, τρία, *In Heliæa quingentos fuisse Judices. Quod si millenis opus foret, duo Fora conjungebantur: Si mille & quingentis, tria.* Siquidem in Causis gravioribus, major Judicum numerus expetebatur. Heliææ præsidebant Thesmothetæ, Parabystis Undecimviri, reliquis alii Magistratus; qui verò isti fuerint, altum apud Antiquos silentium. Ab uno Foro ad alterum provocabatur; Supremum in hujusmodi Judiciorum genere, Heliæa. Ætas istorum Judicum tricenis annis præfiniebatur. Cognoscebant autem de peregrinitate, de peregrinitate corruptâ, de donis, de calumnia, de falsa citatione, de falsa relatione, de contumelia, de nomine deleto, de adulterio, aliisque fortasse levioribus, ut latè nos docere prosequitur Pollux loco laudato, Harpocration, Demosthenes, Æschines, Isocrates, Lysias, Lycurgus [y], aliique Oratores. Heliastæ non suffragiis, sed sorte eligebantur. Novem Archontes, & Scriba decimus educendæ sorti præerant, ne quid fraudis. Duæ constituebantur Urnæ; habebat altera tabellas, Civium nominibus inscriptas, quibus per ætatem ac mores judicare fas esset. Altera tabellas totidem initialibus cujusque Fori literis insculptas. Ut quilibet ex Urnarum prima educebatur, Fori sortitio erat ex altera. Quodcunque obvenisset Forum, ab hujus Præcone, Virgam eodem, quo illud, colore imbutam, (nam cujuslibet Fori vestibulo diversus color inductus fuerat, si Aristoteli [z] credimus), eodemque inscriptam nomine accipiebat; qua Magistratui præsidi ostensâ, statim in Curiam recipiebatur. Hinc ei tres quotidie oboli, judiciale stipendium, persoluti [a]. Antequam verò Lites Judicum suffragiis dirimendæ permitterentur,

[y] *Demosth. contra Neær. contra Stephan. 2. pro Ctesiph. in Midiam, & alibi. Æschin. in Timarch. Isocr. contra Lochitam, de calumn. Lysias ad Alcib. Lycurg. adv. Leocrat.*

[z] *Arist. de Rep. Ath.* [a] *Luc. in bis accusato*

Reus

Reus & Accuſator ſeſe Magiſtratui ſiſtebant, apud quem cum de controverſia conveniſſent, & quicquid invicem ad accuſationem aut defenſionem faceret, expoſuiſſent, in ejus erat facultate quæſtionem concedere, vel repudiare. Quod mecum animo cogitans, video equidem voluiſſe Athenienſes, omnem Reipublicæ poteſtatem populi eſſe, cui vel ipſa Judiciorum autoritas conceſſa eſt (quod Romæ nunquam factum) fræno tamen adhibito, ne ex imperitæ audaciſque multitudinis libidine Civium fortuna ſubjici Judicio poſſet.

Pag. 102. *l.* 23. νικῶσι [n] ξένοι. Vide quæ Nota [y] ſuperioris Orationis diximus de mercenariis Ducibus, quibus hoc tempore Athenienſes plurimùm utebantur.

IN ORATIONEM DE PACE.

IN ARGUMENTUM.

[A] NEmo puto reperietur tam aſpero difficilique ingenio, qui neget, hanc fuiſſe Orationem à Demoſthene elucubratam poſt Olynthiacas; ſi nunquam dictam, Photio ac Libanio aſſentiri velimus. Nam Phocenſe bellum, quo finito, Philippus in Amphictyonum Collegium cooptatus eſt, exitum habuit a. 3. O. 108. [b], altero ſcilicet ab Olyntho capto. Facilè quoque perſuaderi poſſumus, actam hoc ipſo anno tertio, cum nos inſtruat Dionyſius [c]: μετὰ ὃ Θεμιστοκλέα, Ἀρχίας, ἐφ' ᾧ παραινεῖ τοῖς Ἀθηναίοις μὴ κωλύειν Φίλιππον τῆς Ἀμφικτυονίας μετέχειν, μηδὲ ἀφορμὴν διδόναι πολέμου, νεωστὶ πεποιημένους πρὸς ἀυλὸν εἰρήνην. *Poſt Themiſtoclem Archias præturam geſſit. Quo Prætore* Demoſthenes *Athenienſes monet, ne Philippum ab Amphictyonum conventu prohibeant, neve bello occaſionem*

[b] *Diod.* lib. xvi. [c] *Dionyſ. in Ep. ad Ammæum.*

præbeant, factâ nuper cum ipſo pace. Archias autem eodem an. 3. Prætor eſt renuntiatus, Diodoro [d] auctore. Quid autem huic Orationi cauſam dederit, paucis dicemus. Memoriâ igitur repetendum eſt, quod non ſemel retulimus, ab Amphictyonum Collegio ingenti pecuniâ Lacedæmonios, agro Phocenſes mulctatos; quam mulctam cum illi ſolvendo non eſſent, iſti fortunis ſuis decedere nollent, decreto minimè obtemperarunt. Itaque Græci Amphictyonum auctoritate, Apollinis Religione moti, quem à Phocenſibus violatum putabant, his bellum intulerunt, quibus Lacedæmonii injuriam ſuam ulturi, Athenienſes Reipublicæ ſecuritati conſulentes, auxiliati ſunt. Thebani, quorum maximè intererat eoſdem Phocenſes, æmulos finitimoſque ſuos, conterere, principes belli molem ſuſtinuere; quo demum feſſi, ad illud finiendum Macedonis opem implorarunt, ejuſque viribus confectum eſt. Quæ mala, quantamque vaſtitatem Phocis pertulerit, alius erit dicendi locus; nunc id ſolum narrare ſatis eſt, eam gentem ex Amphictyonum conſenſu depulſam, ſuffectumque in illius ſedem Philippum, qui jampridem Macedoniam Græciæ adſcribere cogitabat. Athenienſes, tametſi nuper ſibi cum Rege pax interceſſerat, huic Amphictyonum decreto non interfuere. Cum autem intelligerent, hinc Macedonum potentiam augeri, aditumque fieri ad opprimendam Græciam, illud improbare, ac frangere deliberabant; quamvis ad eos veniſſent Θεῖταλοι, ἡ Φιλίππε πρεσβεις μετ' ἀνδῶν ἀξιῶντες ὑμᾶς, Φίλιππον Αμφικτύονα εἶναι ψηφίσασθαι, *Theſſalorum, cum ipſiſque Philippi Oratores poſtulatum, à vobis decerni Philippum Amphictyonem eſſe* [e]. Sed alieno id tempore deliberari autumans Demoſthenes, pacem hac Oratione, novamque dignitatem Philippo concedendam ſuadet.

[B] Græcorum Populus moribus, Imperio, legibus inter ſe diviſos communi aliquo vinculo conjun-

[d] *Diod. ut ſupra.* [e] *Demoſt. de falſa legat.*

gere

gere cœpis fuit, & in unum aliquando corpus coalescere, ut unanimi consilio contra domesticas discordias, externasque insidias se communirent. Igitur eodem ferè instituto, quo nunc floret Hollandia, unaquælibet Gens, quæ veteri Græciâ, (à Macedonia videlicet ad Ægæum & Ionium Mare) continebatur, Legatos Pylas, aut Delphos mittebant, qui de Provinciæ negotiis publicâ autoritate decernerent. Auctor hujus Concilii Amphictyon Deucalionis filius à Pausania [f] traditur, unde & illi nomen inditum; ab Hesychio & Strabone [g] Acrisius; atque ideo Amphictyonum dictum, quod Populi ἀμφὶ Δελφοὺς οἰκοῦντες, *circa Delphos incolentes*, eò convenirent. Jus illic suffragii decem Populos obtinuisse scribit Pausanias loco laudato, Ionas nimirum, Dolopas, Thessalos, Ænianes, Magnetes, Maleenses, Phthiotas, Dorienses, Phocenses, & Locros. Duodecim Suidas & Harpocration, videlicet Ionas, Dorienses, Perrhœbos, Bœotios, Magnetes, Achæos, Phthiotas, Dolopes, Ænianes, Delphos, Phocenses. Totidem numerat Æschines [h], sed undecim solum appellat, Thessalos, Bœotios, Dorienses, Ionas, Perrhœbos, Magnetes, Locrenses, Œtæos, Phthiotas, Maleenses, Phocenses. Hæc inter gravissimos auctores Amphictyonum diversitas, varia tum numero, tum nominibus, alicui fortasse negotium facesset. Sed arbitror duodecim verè Populis in ampliſſimo illo Conventu suffragium fuisse, Æschini Delphos memoriâ excidisse; cum certum sit, necessariò primas in eo partes habuisse summum Delphici Apollinis Sacerdotem; hujus quoque, & Bœotorum Pausaniam oblitum, negari nequeat. Nec multùm me diversa alicujus gentis nuncupatio sollicitum habet; quippe quas nunc ex una, nunc ex alia præcipuarum intra suos fines Urbium appellatas existimo. Id sanè operosum magis est, ac difficile ad explicandum, quod Æschines post allata Populo-

[f] *Paus. in Phoc.* [g] *Strabo* lib. ix. [h] *Æsch. de falsa legat.*

rum nomina, quibus intereſſe Concilio jus erat, his verbis tradit: καὶ τούτων ἔδειξα ἕκαστον ἔθνος ἰσόψηφον γενόμενον, τὸ μέγιστον τῷ ἐλαχίστῳ, τὸν ἥκοντα ἐκ Δωρίεως, καὶ Κυτινίου, ἴσον δυνάμενον Λακεδαιμονίοις. Δύο γὰρ ψήφους ἕκαστον φέρει ἔθνος. Πάλιν ἐκ τῶν Ἰώνων τὸν Ἐρυθραῖον, καὶ Περινέαν τοῖς Ἀθηναίοις, καὶ τὰς ἄλλας καλὰ ταῦτα. *Oſtendi unamquamlibet iſtarum gentium æquo eſſe ſuffragii jure, nullâ ampliorem inter, atque ignobiliorem diverſitate; adeo ut qui Dorio & Cytinio venit, idem poſſit, ac qui Lacedæmone. Duo namque ſuffragia fert unaquæque Gens. Rurſus ex Ionibus, qui Erythræâ Perieneâque mittitur, non plus valeat, quàm qui Athenis, & alii pari ratione.* Etenim hinc erui poſſe videtur, ab unaquaque gente non ſingula ferri ſuffragia in decretis Amphictyonicis, ſed quot in eadem Urbes, ea dari gemina; quod utique Veterum teſtimoniis adverſatur. Verùm huic enodandæ difficultati, idonea mihi ſe offert ampliſſimæ potentiſſimæque Batavorum Reipublicæ comparatio, in cujus Conventu, totius Imperii majeſtatem repræſentante, quot Provinciæ, tot ſuffragia. In qualibet verò Provincia quot Urbes, tot Legati ejus Comitiis interſunt Oratori eligendo, qui ejuſdem Provinciæ nomine ſummo cum Imperio ſedeat in Concilio Reipublicæ. Ita pariter in veteri Græcia; duodecim Populi Amphictyonum Senatum conſtituebant. In ſingulis autem Populis quot oppida, tot Legati conveniebant, qui æquo jure, nulloque inter magnam parvamque Urbem diſcrimine Amphictyonem creabant, Conſeſſui ampliſſimo interfuturum. Hinc Æſchinis locus nullo negotio explicari poteſt. Tres Urbes Doricam gentem repræſentabant, Lacedæmon, Dorium, Cytinium, Κυτίνιον μία τῶν τριῶν τῶν Δωρικῶν, *Cytinium una è tribus Doricis*, Pollucis [i] teſtimonio, qui idem habet de Dorio, nec de Lacedæmone dubitari poteſt. Id itaque ſibi vult Æſchines, ut nullâ Spartanæ dignitatis initâ ratione, æquè Spar-

[i] *Pollux Onomaſt.*

ta-

ta, ac reliquæ duæ ſeligant Doricæ gentis Amphictyonem. Idem quoque de Athenis, Erythræâ, Perineâque dicendum, quæ tres pariter Ionii generis, ejuſdem gentis autoritatem gerebant. Quod cum ita ſe habeat, quo pacto illi excuſari poſſint, qui putant pro Ionibus uni Athenienſes, pro Dorienſibus Lacedæmonii, pro Bœotiis Thebani in Amphictyonum Senatu ſuffragium tuliſſe. De poſtremis hiſce nonnihil dubitari poſſet, an ſibi Bœotiorum omnium poteſtatem vindicarent, cum non tantùm illis Thebani dignitate antecellere, ſed imperio præeſſe perpetuò conati fuerint. At video hujuſmodi facultate, voluntate magis, quàm re potitos fuiſſe. Iterum Æſchinem [k] audiamus: κατηριθμησάμην δ' ἔθνη δώδεκα, τὰ μετέχοντα τῆ Ιερῆ, Θετταλοὺς, Βοιωτοὺς, ἀ Θηβαίους μόνους, Δωριέας, Ιώνας, Περραιβοὺς, Μαγνήτας, Λόκρους, Οἰταίους, Φθιώτας, Μαλιεῖς, Φωκέας. *Enumerabam populos duodecim, Templi participes, Theſſalos, Bœotios, (non Thebanos ſolùm) Dorienſes, Ionas, Perrhæbos, Magnetes, Locros, Oetæos, Phthiotas, Maleenſes, Phocenſes.* Igitur à qualibet iſtarum gentium Legatus unus, aut plures, ſed duobus tantùm ſuffragiis præditi bis in anno, Vere & Autumno mittebantur Delphos aut Pylas; nam utrobique convenire poterant, Delphis in Apollinis templo; In Cereris, ſi Thermopylas peterent: ἐν τῷ Δήμητρός τε ἱερὸν Αμφικτυονίδος ἵδρυται, ἢ ἕδραι εἰσὶ Αμφικτύοσι, ἢ αὐλὴ Αμφικτύονος ἱερόν. *In templo Cereris ſitum eſt Sacellum Amphictyonidis, ibique Amphictyonum Sedes, ipſiuſque Amphictyonis fanum* [l]. Neceſſariò ſummus Phœbi Sacerdos Conventui præerat, qui ſi abeſſet, nulla Decretis auctoritas accedebat, & ipſe pariter negotia proponebat. Præter Amphictyonas, qui ſoli ſuffragii jure fruebantur, aſſidebant quoque Templi Sacerdotes, ac Synedrion, alter Virorum Ordo, qui à Civitatibus mittebantur, ut ſuæ Gentis Amphictyoni conſulerent, & ἱερομνήμονες vocabantur [m], quia ſacri, atque

[k] *Æſch. ut ſupra.* [l] *Herod. in Polymn.* [m] *Harpocrat. Demoſth. adverſ. Timocr.*

Apollinem,

Appollinem, Latonam, Dianam jurati benè ſe Reipublicæ conſulturos : ἐκκλησίαν ὀνομάζουσιν, ὅταν μὴ μόνον τὰς Πυλαγόρας, ἀλλὰ καὶ τὰς Ἱερομνήμονας συγκαλέσωσι, ἀλλὰ καὶ τὰς σωβούλους, καὶ χρωμένας τῷ Θεῷ. *Concionem dicunt, cum non ſolùm Pylagoras*, (hoc etiam nomine Amphictyones vocabantur à Pylis [n], ubi Conventus erat) *& Hieromnemonas convocant, ſed & Sacrificulos, Decque inſervientes*, ut certiores nos facit Æſchines [o]. Denique Pythiis ludis, qui Delphis celebrabantur Amphictyones præerant : Ἀμφικτύονες ἢ καλοῦνται οἱ Ἀγωνοθέται τῶν Πυθίων, ἐκ δώδεκα ἐθνῶν τῆς Ἑλλάδος ὄντες, *Præſides Pythiorum Amphictyones vocantur, e duodecim Græciæ Populis creati* [p]. Maxima fuit hujus Senatus auctoritas, ad quem graviſſimæ inter Populos controverſiæ de finibus, ſuiſque juribus deferebantur. Quicquid judicaſſet, quamvis aſperum videretur, firmum ac ratum habere opus fuit. Hinc agro aliquas urbes mulctatas accepimus, alias ingenti pecuniâ, idque patienter latum ; quippe lex erat, communi Græcorum bello renitentem cogi. Verùm Demoſthenis ætate non parum ſalutaris hæc diſciplina obſoleverat. Nam & fruſtra, ut diximus, tunc publicati Phocenſium agri, indicta Lacedæmoniis argenti mulcta, contempta quoque ab Athenienſibus aliiſque Amphictyonum auctoritas. Bello quidem fracta eſt Phocenſium contumacia, pœnaque victis irrogata, ſed Thebanorum potius odio, ac Finitimorum, quàm Amphictyonicæ legis obſequio. Cum ipſi, tum Lacedæmonii è Senatu dejecti ; at nequaquam in Athenienſes animadverſum, utpote potentiores. Nunquam Spartani ; Phocenſes reſtituti ſunt ob egregiè navatam operam adverſus Gallos, Brenno Duce, Delphos hoſtiliter aggreſſos [q]. Dolopum deinde, qui penè deleti fuerant, datus Nicopolitis locus, Auguſti monitu. Quamquam tum temporis honoris duntaxat, non

[n] *Suidas, Heſichius. ad Od. 4. Epod. 3.* [o] *Æſch. adv. Cteſiph.* [p] *Schol. Pindari* [q] *Pauſ. in Phoc.*

poteſtatis

poteſtatis conſeſſus fuit; quam poteſtatem Strabonem [r] intellexiſſe arbitror, dum ſua ætate (vivebat Auguſto ac Tiberio Imp.) penitus Amphictyonibus deſiiſſe ſcribit. Pauſanias [s], qui, regnante Hadriano, Græciam perluſtravit, eos triginta reperit, geminato nonnullis Populis honore, aliis recenter inductis, excluſis aliis, qui prius hanc dignitatis ſedem obtinuerant. Hæc fuit celebertima Amphictyonici Conventus fortuna.

[c] Ne propter datum Philippo inter Amphictyonas locum ſeſe in grave ac periculoſum bellum conjicerent Athenienſes, hanc dignitatem flocci faciendam Demoſthenes oſtendit; ſimul verò commonet, ne Græcis, quos omnes, ut monſtratum eſt, ſuæ dignitatis æmulos habebant, Amphictyonicæ legis obtentu occaſionem præbeant divexandæ Reipublicæ, ut olim Phocenſibus accidit. Quippe parva rerum momenta impellunt animos inclinatos jam ad vindictam.

IN ORATIONEM.

[d] UT res iſta bono lumine collocetur, è variis veterum monumentis, nec ita facilè, eruenda eſt. Eam igitur hoc ordine geſtam puto. Plutarchus Eretriæ Tyrannus in diſcrimen venerat amittendæ Civitatis, conjurantibus in eum Civium pluribus Duce Clitarcho. Imploravit ille Athenienſium opem, fretus Midiæ potentiſſimi Civis auctoritate, quocum ſibi commune hoſpitium intercedebat. Demoſthenes & quòd hiſce ſe Athenienſes diſſidiis immiſcere, non eſſe è Republica arbitrabatur, & quòd Midiæ adverſario ſuo facere moleſtiam vellet, acriter eos ab expediendis armis deterret.

[r] *Strabo*, lib. ix. [s] *Pauſ. ut ſupra.*

terret. Nihilo tamen ſecius auxilium decretum, ſubmiſſumque eſt Phocione Imperatore [t]. Αλλ' ἐπειδὴ, Æſchinis verbis loquor [v], τάχισα διέβητε εἰς Εὔβοιαν Πλουτάρχῳ βοηθήσοντες, τὰς μὲν πρώτας χρόνους, ἀλλ' ἔν προσεποιεῖσθ' ὑμῖν εἶναι φίλοι. Επειδὴ δὲ τάχισα εἰς Ταμύνας παρήλθομεν, καὶ τὸ Κοτύλαιον ὀνομαζόμενον ὄρος ὑπερεβάλομεν, ἐνταῦθα Καλλίας ὁ Χαλκιδεὺς, ὃν Δημοσθένης μισθὸν λαβὼν ἐνεχυρίαζεν, ὁρῶν τὸ στρατόπεδον τὸ τῆς πόλεως εἴς τινας δυσχωρίας καὶ ἀπεκλεισμένον, ὅθεν μὴ νικήσασι μάχῃ, οὐκ ἦν ἀναχώρησις, ὅτε βοηθείας ἐλπὶς, ὅτ' ἐκ γῆς, ὅτ' ἐκ θαλάσσης· σωτηρίας ἐξ ἁπάσης τῆς Εὐβοίας στρατόπεδον, καὶ παρὰ Φιλίππου δυνάμιν προσμεταπεμψάμενος ὁ, τ' ἀδελφὸς αὐτῷ Ταυροσθένης &c. ἦλθον ἐφ' ἡμᾶς ὡς ἀναιρήσοντες. Καὶ εἰ μὴ πρῶτον μὲν Θεῶν τις ἔσωσε τὸ στρατόπεδον, ἔπειθ' οἱ στρατιῶται οἱ ὑμέτεροι, καὶ πεζοὶ καὶ ἱππεῖς, ἄνδρες ἀγαθοὶ ἐγένοντο, καὶ παρὰ τὸν ἱππόδρομον τὸν ἐν Ταμύναις ἐκ παρατάξεως μάχῃ κρατήσαντες ἀφίεσαν ὑποστόντας τὰς πολεμίας, ἐκινδύνευσεν ἂν ἡμῶν ἡ πόλις αἴσχισα παθεῖν. *Sed poſtquam celeriter in Eubœa deſcendiſtis, Plutarcho auxiliati, primùm,* (Chalcidenſes) *amicitiam tueri noſtram ſimularunt. Sed cum ad Tamynas veniſſemus, Cotylæum montem tranſgreſſi, Callias Chalcidenſis, à quo Demoſthenis mercede captus pignus acceperat* rei gerendæ, *videns illic Reipublicæ exercitum in anguſtias adductum, unde niſi prælio victor exire non poſſet, nullaque terrâ marique ſpes eſſet auxilii, congregatis ex omni Eubœa militibus, aliiſque à Philippo accerſitis, ipſe, ejuſque frater Tauroſthenes &c. impetum in nos fecerunt, veluti profligaturi. Quod ſi primùm Deorum quiſpiam ſalutem Copiis noſtris non attuliſſet, deinde equitum, peditumque virtus apud equeſtrem ad Tamynas Circum inſtructâ acie hoſtes non ſuperaſſet, iis per inducias dimiſſis; noſtra Civitas in turpe malorum periculum deveniſſet.* Re feliciter geſtâ Phocion victorem exercitum Eretriam duxit, Urbemque in Plutarchi fide confirmavit. Ve-

[t] *Plutarch. in vita Phoc.* [v] *Æſchin. contra Cteſiph.*

rùm

rùm Tyrannus, ut fert ipſorum natura, in Athenienſes perfidioſus, ne illi ſibi aliquando Civitatem vindicarent, ſuſpicatus, immane facinus aggreſſus eſt. Cum enim mercenarii milites, qui cum Athenienſibus merebant, ſtipendio fraudati tumultuarentur, eo perſoluto in ſuas ille partes traduxit; Cohortes verò ex ipſis Athenienſibus conflatas, ac Moloſſum Ducem, qui Phocioni ſucceſſerat, in vincula conjecit; nec prius Reipublicæ reſtituti, quàm quinquagenorum talentûm pretium acceperit [w]. Hic exitus fuit auxiliaris in Eubœam expeditionis, quam meritò Demoſthenes hoc loco exagitat. At quo tempore facta fuerit, res ab Hiſtoricorum nemine commemorata nequit, ut ajunt, acu tangi. Æquè verò peractam inter a. 3. O. 105. quo exeunte prior ille Eubœæ tumultus contigit, atque a. 4. O. 107. quo hujus expeditionis mentionem facit Orator noſter in Midiana, nemo arbitror in dubium revocare poterit.

[E] Triumphat Demoſthenes, quod re in Eubœa, ut diximus, malè geſtâ, ſatiùs Athenienſibus fuiſſet, ejus, quàm aliorum adhæſiſſe conſilio. Quamquam hâc illum gloriâ dejicere conatur Æſchines, ut eſt in ſuperiori noſtra adnotatione, inſimulatque ſolicitati ad proditionem Calliæ, quod tamen acerbo, atque inimico nimis animo dictum videtur.

[F] Hoc Neoptolemo, clariſſimo ſui temporis Tragœdiarum actore, Philippus ad conciliandam ſibi Athenienſium gratiam uſus eſt; nam ſimulatione artis ſuæ, ut Orator ait, & ſub alienarum Perſonarum formâ in Tragœdiis repræſentabat Macedonis probitatem, in Rempublicam benevolentiam, virtutem, fidem, æquitatem. Et ſanè ad impellendos Plebis animos nihil utilius; ut Ciceronis amici experti ſunt, dum Virum maximum, vel invitis potentiſſimis æmulis revocare ab exilio ſtuduerunt. Rem ipſe nar-

[w] *Plutarch. in Phoc. Ulp. in enar. Orat. in Midiam. Vetus Scholiaſt. in hanc de Pace Orat.*

rat

rat admirabili dicendi vi in Orat. pro P. Sextio. Nos hæc pauca ſolùm deſcribimus: *Quid fuit illud, quod recenti nuntio de illo S. C. quod factum eſt in templo Virtutis, ad ludos ſcenamque perlato, conſenſu maximo, ſummus artifex, & mehercule ſemper partium in Republica, tamquam in ſcena, optimarum, flens & recenti lætitiâ, & miſto dolore, ac deſiderio mei, egit apertè multò gravioribus verbis meam cauſam, quàm egomet de me agere potuiſſem? Summi enim poetæ ingenium non ſolùm arte ſua, ſed etiam dolore exprimebat:* Quid enim? Qui Rempublicam certo animo adjuvarit; ſteterit cum Achivis; *Vobiſcum me ſtetiſſe dicebat, veſtros Ordines demonſtrabat, revocabatur ab univerſis*: Re dubiâ nec dubitarit vitam offerre, nec capiti pepercerit. *Hæc quantis ab illo clamoribus agebantur? cum jam amiſſo geſtu, verbis poetæ, & ſtudio actoris, & expectationi noſtræ plauderetur &c.* Res quoque Neoptolemo benè felicitérque ſucceſſit. Dum enim hoc pacto Athenienſium erga Philippum animos emolliebat, pax iis conditionibus, quæ fuerunt è Regis voluntate, facta eſt. Quo peracto ille ſtatim, quæſitâ diſcedendi occaſione, ad munificum Regem ac patronum rediit, cui, familiariter exceptus, munificiſque donis cultus, operam ſuam commodavit. Fertur etiam in extremo convivio, quo Philippus inde in Aſiam ſoluturus, Cleopatræ filiæ nuptias regiâ pompâ celebrabat, caſu ei mortem, qua mox occubuit à Pauſania illatâ, prænunciaſſe. Ακολέθως ἤ τέτοις ἢ ἕτεραι τινὲς ὥσπερ ἐνθεάζουσαι ἐγένοντο φωναὶ, προδηλῶσαι τὸν τῦ Βασιλέως καλαστροφήν. Ἐν γὰρ τῷ Βασιλικῷ πότῳ Νεοπτόλεμος, Diodoro utor auctore [x], ὁ τραγῳδὸς προῆλθεν τῇ μεγαλοφωνίᾳ, ἢ τῇ δόξῃ, προσάξαντος αὐτῷ τῦ Φιλίππε προσενέγκασθαι τῶν ἐπιτελαγμένων ποιημάτων, ἢ μάλιστα τῶν ἀνηκόντων πρὸς τὸν κατὰ τῶν Περσῶν στρατείαν, ὁ μὲν τεχνίτης κείνας οἰκεῖον ὑπολαμβάνεσθαι τὸ ποίημα τῇ διαβάσει τῦ Φιλίππε, ἢ τὸν εὐδαιμονίαν ἐπιπλῆξαι βελόμενος τῦ Περσῶν Βασιλέως, καίπερ ὄσαν με-

[x] *Diod.* lib. xvi.

γάλων,

γάλλω, καὶ περιβόητον, ὅπως μελαπέσοι ποῖς εἰς τὴν αὐλίον ὑπὸ τῆς τύχης, ἤρξαλο λέγειν τόδε τὸ ποίημα.

Φρονεῖτε νῦν αἰθέρος ὑψηλότερον, καὶ μεγάλων
Πεδίων ἀρέσεις. Φρονεῖτε ὑπερβαλόμενοι δόμων
Δόμους, ἀφροσύνᾳ πρόσω βιοτὰν τεκμαιρόμενοι.
Ὁ δ' ἀμφιβάλλει ταχύπους κέλευθον ἔργῳ σκοτίαν,
Ἄφνω δ' ἄφαντος προσέβα, μακρᾷς ἀφαιρέμενος
Ελπίδας, θανάτων πολύμοχθος αἰδας.

His ſimiles aliæ quædam audiebantur voces, veluti Regis mortem vaticinantes. Nam & fuit in regio convivio Neoptolemus Tragœdus, in primis clarus magnitudine vocis, & famâ nominis. Hic modulandi artifex à Philippo juſſus quidpiam antea ſibi commiſſum canere, quod maximè congrueret ornatæ in Perſas expeditioni, ratus Poema ſuſcepiſſe ad Philippi tranſmiſſionem accommodatum, cupienſque Perſarum Regis felicitatem dicendo concidere, quæ quamvis magna, & illuſtris, aliquando fortunæ impetu in contrarium caſura foret, hoc Poema dicere incepit.

Vos nunc æthere altiora cogitatis latiſſimoſque
Campos; & ſuperimponere cogitatis ædibus
Ædes, ſtultè longam conjicientes vitam.
Sed illa celeriter tenebroſam operi circumponit viam,
Quæ ab oculis remota repentè accedit, longaſque aufert
Spes ærumnoſa Mors.

[G] Scenæ Græci avidiſſimi fuerunt, ut Romani ſpectaculorum; idcirco dum ſacri Athenis dies peragebantur, Theatra; dum Romæ, Circus patebat, ut horum invitamento frequentior illuc adveniret populi multitudo, ſplendidioreſque forent Sacrorum ceremoniæ. Bacchanalia igitur apud Athenienſes nunquam Tragœdiis carebant; nunquam ludis apud Romanos.

[H] Qua ſanè artis hiſtrionicæ aviditate factum Athenis eſt, ut magno pretio nobiliores Actores conducerentur, iique ſumma difficultate commeatum acciperent, ut Neoptolemo accidit, cui tamen, factâ

Civibus

Civibus redeundi ſpe, Theatroque iterum inſerviendi, datus eſt.

[1] Æſchinem Demoſthenes præcipuè mordet hoc loco, fraudulentaſque promiſſiones, quas ille à Philippo retulit poſt obitam Legationem. Hæc illa eſt Legatio celeberrima, quam Orator falſam vocat, & pro qua ipſe lacerandâ, Æſchines defendendâ, duas illas eloquentiſſimas Orationes conſcripſerunt, quæ ſummo literarum, ſcientiæque antiquitatis bono è tanto librorum naufragio ſervatæ ſunt. Quid in ea geſtum fuerit, operæ pretium eſt diligenter narrare, cum id ſæpius Demoſtheni in ſermonem veniat. Diu velitationibus potius, quàm juſto bello, ſua tutando, quàm provocando, impedire Athenienſes Philippum, ſocias Reipublicæ Urbes occupantem, damnaque inferentem, conati fuerant. Sed cum audiſſent Olynthum in ejus poteſtatem conceſſiſſe, non amplius rei gerendæ modum adhibere, ſed in ipſum armis invadere decreverunt. Id accidit an. 1. Ol. 108. Tunc enim, ut Diodorus [y] eſt auctor, οἱ Ἀθηναῖοι τῷ αὔξησιν ὑφορώμενοι τῶν Φιλίππου, τοῖς ἀεὶ πολεμουμένοις ὑπ' αὐτοῦ ἐβοήθουν, πρέσβεις ἀποστέλλοντες ἐπὶ τὰς πόλεις, καὶ παρακαλοῦντες τηρεῖν τὴν αὐτονομίαν, καὶ τὸν ἐπὶ τὴν προδοσίαν ὁρμῶντας τῶν πολιτῶν θανάτῳ κολάζειν. Ἐπηγγέλλοντο δὲ πᾶσι συμμαχήσειν, καὶ φανερῶς ἐαυτοὺς πολεμίους ἀποδείξαντες τῷ Βασιλεῖ διεπολέμουν πρὸς Φίλιππον. Μάλιστα δ' αὐτοὺς παρώξυνε πρόσχημα τῆς Ἑλλάδος Δημοσθένης ὁ ῥήτωρ, δεινότατος ὢν τῶν κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους Ἑλλήνων. *Cum Philippus Imperio ac viribus auctus ſuſpicionem de ſe Athenienſibus commoviſſet, hi perpetuis illius hoſtibus auxilio ſuo confirmatis, miſſiſque ad Græcas Urbes Legatis, qui eas ad libertatis tutelam & ad morte puniendos proditores Cives adhortarentur, ſuam omnibus ſocietatem obtulerunt, ſuſceptiſque palam inimicitiis bellum cum Philippo gerebant. Eos maximè ad Græciæ*

[y] *Diod.* lib. xvi.

patrocinium

patrocinium incendebat Demoſthenes, Orator per ea tempora omnium Græcorum graviſſimus. Verùm feſſi Athenienſes poſt annum hoc bello, debilitati Phocenſi alio, quod jamdiu inflammatum fuerat, ac tot, tantiſque aliis expeditionibus; Philippus etiam ad reliquos hoſtes hanc fortiſſimam gentem acceſſiſſe moleſtè ferens (quamobrem Neoptolemum Athenas miſerat, qui Civium animos ad ſedandas diſcordias ſuaderet) oblatam componendæ pacis occaſionem libenter amplexati ſunt. Nam cum Phrynon quidam Rhamnuſius per Olympiorum dies Olympiâ Athenas repetens, dum legitimæ manebant induciæ propter Ludorum celebritatem, incidiſſet in Philippi Milites, malè habitus, omnique ſpoliatus pecuniâ, Cives oravit, ut damnum expoſtulaturo conveniendi Regis venia ſibi per eos foret. Data eſt, junctuſque itineris & querelæ Socius Cteſiphon. Humaniter excepti, dimiſſique à Rege non ſolùm redditâ prædâ, ſed aucti muneribus; mandatum quoque, Civibus ſuis renuntiarent, Philippum à vetere cum ipſis neceſſitudine haud alienum eſſe. Gratum id Athenienſibus accidit, ac ſtatim decem Legatos miſerunt, quos inter Æſchines & Demoſthenes, ut de fœdere convenirent. Duræ conditiones propoſitæ ſunt, quippe Rex nullo pacto ſibi decedendum putabat è Sociis Athenienſium Urbibus, quas in poteſtatem redegerat armorum vi. Clam verò Legatorum aliquos, Æſchinem præſertim donis lucratus eſt, ut ad has ipſas pacis leges accipiendas Cives ſuos impellerent. Venerunt Athenas cum iiſdem Legatis tres à Philippo Oratores. Factâ Concione renuntiavit Æſchines quid actum foret, atque addidit Regem promittere, nullum ſe damnum Phocenſibus illaturum, inſtauraturum Theſpias, Platæamque, Thebanos depreſſurum, ipſis pecuniam Delphico Apollini reſtituendam imperaturum, quam Phocenſes

abſtulerant, res Thraciæ compoſiturum, pro Amphipoli denique daturum Eubœam. Contra Demoſthenes nil horum ſe audiviſſe, eaque referri, à quibus longè diſtaret Regis voluntas, multis verbis aperuit. Plebs tamen, Philocrate auctore, fœdus percutiendum juſſit, iiſdemque Legatis negotium dedit, in Macedoniam redirent, pacem in has leges jurejurando confirmatam reportaturi. Demoſthenes ſolus iter arripuit, cum citiùs vellet Civium aliquos, Macedonum ſervos, pecuniâ ſuâ in libertatem reſtituere. At ſimul cæteris Legatis oſtendit celeritate opus eſſe, ne interim Philippus in Reipublicæ perniciem ſuis viribus uteretur: Ii verò gratiam Regis aucupantes ejus è Thracia reditum tribus menſibus expectarunt, ubi Regno Kerſobleptem ſpoliaverat conjunctum fœdere cum Athenienſibus, atque omnia ſuo arbitratu, è ſuaque fuerat ſententia moderatus. Tunc illum in itinere contra Phocenſes progredientem convenerunt, ſuſceptoque ih ipſa Caupona, non in Templo, ut moris erat, in hæc tantummodo verba juramento, *pacem facio cum Athenienſibus, & Athenienſium Sociis; Alenſibus, & Phocenſibus exceptis*, Athenas regreſſi ſunt. Demoſthenem rei indignitate Civium aures implentem compreſſit Æſchines, ſanctè in ſe recipiens, à Rege ſibi inſuſurratum, ideo geminos illos excluſiſſe, quod eſſent Thebanorum hoſtes; cæterùm promiſſi memorem nullum iis damnum facturum. Ita nullatenus iiſdem Thebanis ſuſpectum fore, ac poſſe faciliùs incautos opprimere, ut ſe facturum promiſerat. Concio Philippi fraudem ſuſpicata novam illico Legationem decrevit, ut res ambagibus eximeretur. Demoſthenes eam noluit obire, certus fallaciæ; Æſchines etiam recuſavit, ne ille abſenti negotium exhiberet. Reliqui vix in Eubœam appulſi, auditâ Phocenſium calamitate, ac ſæviſſimâ Regis in eos animadverſione, viam deſeruerunt. Non

me

me latet Æſchinem [z] totius rei ſeriem aliter concinnare. At cur Demoſtheni [a] hæc enarranti fidem potiùs non habeam, quam rei exitus comprobavit? Cum præſertim haud nos fugiat, Regem callidè in ſuis ad Rempublicam literis obſcuro ſemper uſum ſermone, ut illam ad finiendum bellum alliceret; Pace autem conſtabilitâ ſcripſerit, nihil ſe de memoratis rebus promiſiſſe. Ὁ γὰρ εἰς τλὼ πρόλεγεν γεγράψας ἐπιστολὴν, ἣν ἠνέγκαμεν ἡμεῖς, ὅτι ἔγγραφον μὲν ἂν ᾖ διαῤῥήδην, ἡλίκα ἡμᾶς εὐποιήσω, εἰ εὖ ᾔδειν ᾖ τλὼ συμμαχίαν μοι γενησομένην. Γεγονυίας δὴ τῆς συμμαχίας, ἃ φησιν εἰδέναι τὶ ἂν ποιῶν χαρίσαιτο, τοῦτ' ὀ ἀνὴρ ὑπέσχετο. Τοῦτο γὰρ ἤδη δηλονότι, εἴπερ μὴ ἐφενάκιζεν ὑμᾶς. *Quod enim prioribus literis ſcripſit, quas nos attulimus, videlicet, ſe apertè ſcripturum, quibus in rebus nos beneficiis affecturus eſſet, ſi noſſet fœdus nobiſcum fore; Fœdere compoſito dicit neſcire, qua in re noſtram gratiam inire poſſit, nec ſe quicquam promiſiſſe. Id autem profectò non ignoraret, niſi nos decepiſſet.* Ita Demoſthenes loquitur. Nihil igitur eorum fecit, quæ ſubdolè promiſerat.

[κ] Admonet hoc loco Thebanorum nomen, ut aliquid dicam de clariſſima Civitate. Bœotiæ Thebæ à Cadmo Agenoris Phœnicum Regis filio, qui primus literas in Græciam attulit, conditæ, dum Erichthonius Athenis (ut de ipſius vetuſtate habeatur ratio) imperium obtinebat, Regum Atticorum quartus. Nomen habuit à Thebe Promethei filia, ut Stephanus; Aſopi, ut Euſtathius. Totius Bœotiæ princeps in fertili ſolo ſita erat inter Aſopum fluvium à meridie, Iſmenum à Boreâ. Græa ab Homero dicta. Mœnibus circumdata eſt à Zetho, at-

[z] *Æſch. de falſa legat.* [a] *Demoſth. de falſa legat. & partim alibi.*

que Amphione Jovis & Antiopes filiis, claris arte muſicâ, qua Operarum labores cum demulcerent, Poëtis conſtructos ad lyram muros fabulandi occaſionem dedêre. Hinc Heroes duo falsâ religione Diis adſcripti, Bacchus & Hercules; hinc plures clariſſimi Imperatores, quos inter enituit Epaminondas. Cives his moribus inſtructos pingit Pauſanias [b], contumelioſos, ſuperbos, ad infligenda verbera promptos, legum contemptores, qui non jure controverſias dirimant, ſed armis, vi, audaciâ. Mulieres ut Græcarum pulcherrimas laudat Sophocles.

Θήβας λέγῃς μοι, τὰς πύλας ἑπταςόμους,
Οὗ δὴ μόνον τίκτουσιν αἱ θνηταὶ θεάς.
Dic mihi Thebas, illuſtres ſeptemplici portarum ore,
Ubi ſolùm mortales fœminæ Deas pariunt.

Quæ fuerit iſtius Urbis fortuna ſupervacaneum eſt dicere, cum frequenter in annotationibus noſtris occurrant & ipſius cum Xerxe conjunctio; & bella, prœliaque cum Athenienſibus, Lacedæmoniis, Phocenſibus, Corinthiis, Arcadibus geſta vario Marte; & gens illa non ſemel domita & profligata, non ſemel victrix, & aliquando Græcorum princeps. Denique ſub initium Regni cum ab Alexandro Magno defeciſſet, indignum exiſtimans Græcos ulla in re Macedoni obnoxios vivere, dirâ obſidione cincta, fruſtraque armis tentata, aſtu capitur. Rex enim portam quandam conſpicatus cuſtodibus vacuam, illuc Perdiccam cum militum globo miſit, quâ occupatâ in Urbem ingreſſus, cædem, rapinas, extremaque mala in Cives permiſit, ac tandem è Græco-

[b] *Pauſ. in Bœot.*

rum

rum ſententia, quos in eam Urbem æmulatio, aut erga Regem adulatio incitabat, ſolo æquata; Cives, qui gladio ſuperfuerunt ſub haſtam venditi talentis quadringentis ac ſexaginta [c]; donec Caſſander Macedo μεταπεμψάμενος πανταχόθεν τὰς διασωζομένας τῶν Θηβαίων, ἐνεχείρει καταοικίζειν τὰς Θήβας, ὑπολαβὼν κάλλιστον ἔχειν καιρὸν, πόλιν ἀνομασμένην, καὶ διὰ τὰς πράξεις, καὶ διὰ τὰς παραδεδομένας περὶ αὐτῆς μύθους ἀνασῆναι. *Mandans undequaque colligi Thebanos, qui eam tempeſtatem devitaverant, aggreditur Thebas inſtaurare, in animum inducens, optimam ſe nactum eſſe occaſionem Urbem celeberrimam tum rebus geſtis, tum traditis de illa fabulis è ſitu ac ruinis educere.* [d]. Nunc *Stives* nomen obtinet, exiguiſque caſis locum duntaxat oſtendit clariſſimæ Civitatis.

[L] Hanc Demoſtheni integritatis laudem, in qua nunc adeo magnificè triumphat, eripere conantur Æſchines & Dinarchus; ille in Orat. contra Cteſiph. dicit ipſum trium talentûm mercede Reipublicæ perſuaſiſſe, ut quinque talenta, quæ tributi nomine quotannis ab Eretrienſibus accipiebat, ac totidem ab Oritis, eos rogaret Calliæ in poſterum perſolvere: Τὰς δὲ συντάξεις τῶν συμμάχων, τὰ δέκα τάλαντα, ἔργῳ ἀπωλέσατε, ὑπόλοιπον δέ μοί ἐστιν εἰπεῖν, ὅτι λαβὼν τρία τάλαντα μισθὸν, τῷ γνώμῳ ταύτῃ ἔγραψε Δημοσθένης, τάλαντον μὲν ἐκ Χαλκίδος παρὰ Καλλίου, τάλαντον δὲ ἐξ Ἐρετρίας παρὰ Κλειτάρχου τοῦ Τυράννου, τάλαντον δὲ ἐξ Ὠρεοῦ. *Tributa Sociorum, decem videlicet talenta, re verâ perdidiſtis; reliquum igitur mihi eſt, ut dicam, Demoſthenem tria lucratum talenta, unum Chalcide à Callia, alterum Eretriæ à Clitarcho Tyranno, tertium Orei, Decretum iſtud conſcripſiſſe.* Id eveniſſe ante hujus de Pace Concionis tempus facilè colligitur ex iis, quæ

[c] *A.* 2. *O.* 111. *Diod.* lib. xvii. *Dinarch. contra Demoſth.*
[d] *An.* 1. *O.* 116. *Diod.* lib. xix.

ſuperiori numero quarto de Callia & Eubœenſi negotio adnotavimus. Dinarchus autem in Oratione, quam contra ipſum Demoſthenem habuit, ſic illum inſectatur: ἀπὸ ποίων ψηφισμάτων ἔπος, ἢ ποίων νόμων ἐκ εἴληφεν ἀργύριον; εἰσί τινες ἐν τῷ Δικαστηρίῳ τῶν ἐν τοῖς τριακοσίοις γεγενημένων, οὐδ' ἕπος ἐτίθει τὸν περὶ τριηραρχῶν νόμον· ἢ φράσει τοῖς πλησίον, ὅτι τρία τάλαντα λαβὼν μετέγραψε, καὶ μεθερμηνεύσας τὸν νόμον καθ' ἑκάστην ἐκκλησίαν; καὶ τὰ μὲν ἐπώλει, ὧν εἴληφε τιμὴν· τὰ δ' ἀποδόμενος ἐκ ἐβεβαίου; Εἰπάτω μοι πρὸς Διός, ὦ ἄνδρες, προῖκα τοῦτον οἴεσθε γράψαι Διφίλῳ τὴν ἐν Πρυτανείῳ σίτησιν, καὶ τὴν εἰς τὴν ἀγορὰν ἀναθησομένην εἰκόνα; ἢ τὸ ποιῆσαι πολίτας ὑμᾶς Χαιρέφιλον, καὶ Φαίδωνα &c. ἢ τὸ χαλκοῦς ἐν ἀγορᾷ κατασῆσαι Βερισάδην, καὶ Σάτυρον, καὶ Γόργιππον, τοὺς ἐχθίστους Τυράννους; παρ' ὧν ἑνὶ ἕκαστος χίλιοι τὸ ἐνιαυτὸ πυρῶν ἀποστέλλονται &c. *Quæ huic Decreta, aut quæ Leges pecuniam non attulerunt? Sunt veſtrûm aliqui inter Judices, qui fuerunt Trecentis adſcripti, cum hic legem Trierarchicam tulit; & non dicetis reliquis, qui vobiſcum ſedent ad judicandum, quòd eam legem in ſingulis Concionibus tranſcripſerit, aut mutatis verbis propoſuerit, acceptâ trium talentorum mercede? Alia quoque decreta vendiderit, perſoluto ſibi pretio; alia cum vendidiſſet, rata non habuerit? Age verò per Deos, putatiſne, Judices, gratis hunc Diphilo victum in Prytaneo decreviſſe, ac Statuam in Foro collocandam? aut curaſſe, per vos Civitate donari Chærephilum, Phedonem &c.? aut æreum conſtituiſſe in Foro Signum Beriſadi, Satyro, Gorgippo fædiſſimis Tyrannis, à quibus ei quotannis mittuntur mille frumenti modii?* Horum aliquid contigiſſe ante noſtrum iſtud tempus credere par eſt. Quid igitur? eſtne Demoſthenes Mercenarii Oratoris notâ inurendus; an putandum falsò hanc ei dicam impingi. Si conſideremus, qui de hac re teſtimonium dicunt; inimiciſſimi Teſtes dicunt: Siquo animo; læſi dicunt: Si quamobrem; odio adducti accuſatoriè dicunt. Proinde prudenti rerum æſtimatori fortaſſe videbitur, nullam

iis fidem adhiberi poſſe. Idque eò magis, quod vel ipſum Harpali factum in controverſiam vocatur. Nemo ignorat hunc ab Alexandro, dum Indicam ſuſcepit expeditionem, Perſicis Theſauris ac vectigalibus præpoſitum fuiſſe Babylone. Cum diu nulli de maximo Rege afferrentur nuntii, mortuum ſuſpicatus, pecuniam in ſuos uſus deliciaſque diſtraxit. At deinceps mox affuturum intelligens, & malè adminiſtratæ Reipublicæ pœnas quibuſdam Satrapis perſolviſſe, ſibi metuens, in Atticam tranſmiſit cum quinque talentûm millibus, ac ſex pariter millibus Mercenariorum militum. Cujus rei fama cum ad Olympiadem atque Antipatrum in Macedoniam perveniſſet, de Fugitivo ac Depeculatore ejiciendo mandata dederunt Athenienſibus. Harpalus, nonnullis Civium pecuniâ corruptis, Plebis erga ſe miſericordiam commovere ſtuduit. Initio Demoſthenes adverſabatur, ſed calice artis eximiæ, quem quidem laudaverat, viceniſque talentis donatus, in Concionem venit collo involuto, & cum ad incitandam adverſus Harpalum Plebem invitaretur, anginâ prohiberi dixit. Æmuli rei compotes ſtatim clamare, argentanginâ, nulloque præterea morbo ejus fauces occludi. Cives Oratorum, atque omnium, qui muneribus corrupti fuerant, facinus averſati, Harpalum confeſtim expellere, Mercenariis minitari. Fit plebiſcitum Demoſthene auctore, qui reputavit hoc pacto criminis ſuſpicionem à ſe dimovere, ut Areopagitæ de iiſdem Mercenariis cognoſcant. At ille omnium primus pœnam ſubiit, lite quinquagenis talentis æſtimatâ; quæ cum ſolvendo non eſſet, in carcerem detruſus inde aufugit. Sed paulo poſt revocatus, apud Cives ſummo in honore fuit [c]. Plures in Areopago accuſatores habuit clariſſimos Oratores, ac præter cæteros

[c] *Plut. in ejus Vita. Diod.* lib. xvii. *Dinarch. in Orat. adv. Demoſth.*

Hyperidem ac Dinarchum, cujus legitur adhuc una è quinque de hujuſmodi re dictis Orationibus, à Photio [f] recenſitis. Hæc ab exilio revocatio plena benevolentiæ, ac dignitatis, non levi quidem argumento eſt, verum eſſe, quod Pauſanias [g] tradit, Harpalum, dum fuga ſibi caveret, detentum à Philoxeno Macedone, habitâ quæſtione de iis, quos Athenis muneratus fuerat, omnes literis tradidiſſe, in iiſque nullatenus repertum fuiſſe Demoſthenis nomen. Ita fortaſſe clariſſimi Viri fama ſarta tecta ſervari poteſt. Philippus utique haud valuit ipſum muneribus corrumpere, ut diximus Nota [a] Phil. 1. *pag.* 131. Quamquam ego illius eloquentiam, ut par eſt, vehementer laudo, reliqua ejus vitæ non moror.

[M] Profectò ſi non fuiſſent Athenienſes tot urbibus deſpoliati, quot N. [F] *pag.* 106. Orat. 1. contra Phil. enumeravimus, non leve Macedoniæ periculum exhibere potuiſſent. At eas non abjecerunt, ut hic dicitur, ſed cum inviti amiſiſſent, inviti etiam, pacis lege, Philippo deferere coacti ſunt, ne diutiùs bello comprimerentur. Verùm, ut Orator melioribus conditionibus cum Rege paciſci Athenienſes potuiſſe, & Civium iniquitate eas illi Urbes relictas putat; ita & eas vocat prodigè hoc loco in ejus ſinum projectas.

[N] Amphictyonum Concilium Athenienſes illud non reputabant, à quo Philippus in ampliſſimo illo auctoritatis, & honoris gradu collocatus fuerat. Nam & ipſi, qui poſt ſummum Templi Sacerdotem prærogativâ ferendi ſuffragii fruebantur, Conventui non interfuerant; & non ſolùm ab eodem excluſi, ſed ejecti Phocenſes ac Lacedæmonii. De hujuſmodi Senatu hæc Demoſthenes [h] verba facit: οἱ μὲν ὄντες Ἀμφικτύονες φεύγουσι, καὶ ἐξελήλανται, καὶ ἀνάξαλος ἀυτῶν

[f] *Phot. in Bibl. pag.* 803.
[g] *Pauſ. in Corinth.*
[h] *Demoſth. de falſa legat.*

ἡ χώρα

ὦ χώρᾳ γέγονεν. Οἱ δ' ἀδὲ πώποτε ἐν τῷ πρόσθεν γεγονότες, Μακέδονες βάρβαροι, νυῦ Ἀμφιπολίτας εἶναι βιάζονται. *Germani Amphipolitas exulant pulsi, eorumque regio funditus eversa est. Qui verò nunquam antea hanc dignitatem obtinuere barbari Macedones, nunc vi possident.* Idcirco rite celebratum negat, quamvis pro tuenda pace, quicquid egit, ferendum censeat.

[o] Satis jam de Amphipoli proloquuti sumus, sive ea spectentur, quæ ad Urbis fortunam pertinent; sive quæ ad ejus recuperandæ voluntatem, qua maximè Athenienses tenebantur; sive quæ ad bellum pro ipsa cum Philippo gestum. Nunc eâ sententiâ, quam hic Demosthenes habet, adducti, id solùm addimus, re verâ Amphipolim, Urbem in Macedonia sitam prope Thraciam, nihil Thessalos, Thebanos, Argivos interfuisse, cujus esset, Athenienſiumne, an Philippi; quare nullam in bello, quod hos inter, ejusdem causâ, commoveretur, partem eos fore suscepturos credere par est, ut ait Orator.

[p] Vide Notam [v] Olynthiacæ primæ, *pag.* 224.

[q] Argivi, Peloponesi populus, heroicis temporibus dignitate ac splendore cæteris Græcis præstiterunt. Argos incoluerunt, Urbem ante bellum Trojanum majori famâ, quàm potentiâ, quippe cui parvum, exilibusque viribus Imperium fuit. Victis deinde vicinis Urbibus, deletoque Mycenarum regno, Argolis latiores habuit provinciæ ac regni fines. Igitur complexa est præter Argos ipsum Nemeæam ludis celebrem, Tirynthum, ubi Hercules alter natus est, Mycenas Agamemnonis sedem, ac illustris quondam regni, Epidaurum, clarum Æsculapii Templo, Trœzenem, Methonem, Medeam, aliasque. Finitimos habuit Arcades, Lacedæmonios, Corinthios, quibuscum frequenter bella gessit; & Corinthiorum quidem plerumque Victores Argivi, quos pariter in potestatem redegerunt; à Lacedæmoniis plerumque victi, quos perpetuis ferè inimicitiis

tiis pro agro Tyreo in finibus utriuſque gentis poſito, & ob Reipublicæ diſſimilitudinem, ſunt proſequuti. Cum Athenienſibus rarò bellum, plerumque amicitia, interceſſit, ob Reipublicæ ſimilitudinem. Primùm ſub Regibus fuerunt, ſed miti Imperio, quorum primus Inachus. Quo tempore Argos, regionis caput, in libertatem ſe vindicaverit, ignoratur; ſed longè à Demoſthenis ætate repetito principio. Popularem ſtatum obtinuit, quamvis aliquando Optimatibus obtemperáverit, vi ſubactum. A Ciſi Temeni Heraclidæ filio conſtructum fuit; nomen ei dedit Argos, Apidis & Niobes filius, ut vult Homeri Scholiaſtes, ſeu ipſius claritas Urbis, ut alii; Urbs denique fabulis feraciſſima. Quæ ſors fuerit hujuſce gentis, & quas coluerit ſocietates, alibi enarravimus [i].

[R] Nimiùm tunc erat è Thebanorum utilitate Philippum colere, atque obſervare. Siquidem ejus viribus Phocenſes penitus profligaverant, iſtorumque regionis parte ab illo donati fuerant; ipſis Rex Orchomenum, Coroneam, quin totam Bœotiam dederat [k]; atque Athenienſibus impedimento erat, né Theſpias Plateaſque mœnibus circumdarent; quod quantùm à Thebanorum utilitatibus abhorreret, diximus, cum de iiſdem Civitatibus ſermonem fecimus.

[S] Attamen ſi Philippus bellum in Atticam tranſportaſſet, cum neceſſariò iter ei per Bœotiam habendum foret, multa illinc Thebanis damna obveniſſent, quæ militum licentia, atque ipſa armorum propinquitas fert. Præterquam quod moleſtiarum plauſtra vehunt potentiores finitimi. Hæc ſecum animo cogitantes Thebani nunquam Regi Athenas invadenti obſecundare potuiſſent, quamvis tardo uterentur in-

[i] *Strabo* l. vii. *Pauſan. in Corinth. & Achaic. Schol. Homeri.*
[k] *Demoſth. de Cherſon.*

genio,

genio. Hujuſmodi enim hebetudinis opinione gens illa apud omnem Græciam laborabat; atque iſta ſanè opinio per Græcorum ora ad Romanos quoque permanavit.

Bœotûm in craſſo jurares aëre natum,

Horatius deridet. Literas quidem ſuæ gentis primi à Cadmo accepere, ſed pingui in ſolo educatæ parùm adoleverant. Attamen Thebanus Pindarus ingenii ſublimitate, ſuorumque Poëmatum ſplendore oſtendit, ubique homines, ſi ſtudium & diſciplina acceſſerit, fœtus immortales parere.

[T] Ita ſanè eſt: privatas aliorum controverſias nemo periculo fovet. Quamobrem non immeritò Cives docet Demoſthenes, eos poſſe, ubicumque velint, ſibi illatas injurias ulciſci; & ſi bellum Thebanis moveant pro Oropo, ſi Philippo pro Amphipoli, ſi aliis pro hujuſmodi querelis, quæ propriæ uniuſcujuſque gentis ſint, negotium cum ſingulis duntaxat geſturos. Id arte ſummâ, nec ſine gravi conſilio inſinuat in ipſorum animos. Cum enim Rempublicam ad arma in Philippum ferenda deterreret, potuiſſet quiſpiam objicere: Tune noſtras injurias vindicare prohibes? Huic igitur difficultati obviam it, præoccupatque Cives eo, quo nunc expoſuimus, modo.

[V] Cavendum profectò eſt, ne Finitimi quicquam augeant Imperii vires. Etenim vixdum cæteris eminent, cum facilè eos deprimunt; ut minimum momentum trutinam, quæ habeat æquilibritatem. Cum deſunt vires, deeſt quoque nocendi animus; illæ ſi accedant, vel damnum vicinis regionibus afferunt, vel iſtis ea miſera conditio eſt, ut ſemper timeant. Quod hoc loco Demoſthenes judicat.

[X] De Meſſeniis ſatis multa loquuti ſumus *pag.* 76. N. [R] Orat. de Megalopolitis.

[Y] De ipſiſque pariter Megalopolitis *pag.* 64. Nota [D] ejuſdem Orationis.

[Z] Lo-

[z] Locus iſte ex iis, quæ Nota [B] & [D] laudatæ Concionis (de Megalop.) diximus, luce perfunditur; aliqua tamen ad rei memoriam brevi repetemus, aliqua addemus. Poſt maximam pugnam, quæ in Leuctris pugnata eſt, Argivi, Arcades, Elæi, aliique Peloponenſium, quibus gravis admodum atque injurioſa fuerat Lacedæmoniorum potentia, Thebanis adhæſerunt, ut communi conſilio debilitatum ſuperiori prælio illorum robur penitus contunderent. Certum videbatur, Athenienſes huic fœderi, quippe in veteres hoſtes, adſcriptum iri. Miſſi proinde Legati, qui rem poſtularent. At minus iſti incitando potuerunt apud magnanimos Athenienſium animos, quam orando Spartani, ne ſe, qui olim Græciæ ſalutem attuliſſent, perire paterentur. Itaque repudiatâ Fœderatorum ſocietate, opem illis tulerunt, qua recreati non ſolùm ſalutem ſibi, ſed multam hoſtibus perniciem peperere. Simul autem Oratores Athenis profecti ſunt Lacedæmonem, qui de componendis antiquis diſſidiis, de noviſque fœderis conditionibus convenirent [l]. Hujuſce Rei memoriam Demoſthenes repetit hoc loco.

[a] Philippus finito ſacro bello, vaſtatâque Phocide, quas Urbes Phocenſes in Bœotia tenebant (aliquas autem obtinuiſſe Diodorus his verbis teſtatur: τῶν Φωκέων καὶ Ὀρχόμενον ἱκανάς τινας πόλεις ἐν τῇ Βοιωτίᾳ, *retinentibus in Bœotia Phocenſibus magnas aliquot urbes* [m]) Thebanis dedit. Has inter fuiſſe Orchomenum & Coroneam dubitare non ſinit Demoſthenes: ἀλλ' ἔτι πρὸς τούτοις Ὀρχομενὸς, Κορώνεια, Κορσίαι, τὸ Τιλφωσσαῖον, τῆς Φωκέων χώρας ὅσον ἐβάλοντο. Τοῖς μὲν δὴ Θηβαίοις ταῦτα ἐκ τῆς εἰρήνης γέγονεν &c. *Sed præterea his Urbibus donati ſunt, Orchomeno, Coroneâ, Corſiis, Tilphoſſæo, eâque Phocenſis agri parte, quam exoptarunt.*

[l] *Xenoph. de Rebus Græc.* lib. vi. & vii. *Diod.* lib. xvi.

[m] *A.* 2. *O.* 108.

Hic

Hic igitur Thebanis fuit pacis fructus &c. [n]. At verò ipſius teſtimonio Orchomenum, Coroneamque tradidit ſervituti addictas: ἀντὶ μὲν τῆ Θεσπιὰς οἰκιζομένας ἰδεῖν, Ορχόμενον, καὶ Κορώνειαν ἠνδραποδισμένας. *Tantùm abeſt, ut videatis Theſpias inſtauratas; quin auditis Orchomenum Coroneamque in ſervitutem redactas* [o]. Igitur Coronei veriti, ne ſibi id à Thebanis accideret, quod a. 1. O. 104. Orchomeniis, qui ab iiſdem victi, nullâ morâ Thebas fuerant in ſervitutem adducti, ut Nota [F] *pag.* 67. Orat. de Megalopolitis annotavimus, Athenas confugerunt, atque humaniter excepti ſunt. Hanc novi odii & querelarum cauſam Thebanis contra Athenienſes acceſſiſſe memorat Demoſthenes, atque iſtùc in præſentia digitum intendit.

[b] Phocenſes, ut ſupra retulimus, Theſſalorum Tyrannis faverant, ad iiſdemque ſuppetias ferendas cum ingentibus Copiis perſæpe progreſſi, magnam Theſſaliæ perniciem attulerant. Quamobrem Theſſali vindictæ cupidi, cum ſimul cum Philippo [p] Phocidem hoc anno ſubegiſſent, iniquo ferebant animo fugâ plurimos ejus gentis ſeſe ultioni ac pœnis eripuiſſe, quibus illos cumulatè afficere peroptabant, omnemque reperiſſe Athenis vitæ ſecuritatem.

[c] Bellum Phocenſe decimo ſolùm anno finem habuit, ut nos monet Diodorus. In eo contra Phocenſes eorumque Socios fuerunt Bœoti, Locrenſes, Theſſali, Perrhœbi, Dorienſes, Dolopes, Athamenes, Achæi, Phthiotæ, Magnetes, Ænianes, Amphictyonum decreto, quo & ipſi Magiſtratu fungebantur, obſequuti [q]. At præter Theſſalos, Bœotoſque, quibus peculiares erant in eoſdem Phocenſes odii cauſæ, reliqui, ut in præſentia docet Demoſthenes, ſi tamdiu illud produci exiſtimaſſent, tantoque ſibi damno,

[n] *Demoſth. de falſa legat.* [o] *Ibidem.*
[p] *Diod.* lib. xvi. [q] *Diod.* lib. xvi.

ſumptui

ſumptui atque incommodo fore, profectò non ſuſcepiſſent, aut diremiſſent; quippe quorum nihil intererat Phocenſes opprimi, nec iis tanti fuiſſet Amphictyonica lex, ut ei maximâ ſuorum pernicie obſecundare voluiſſent. At cum Bœoti ac Theſſali armorum potentiâ longè alios ſuperarent; cæteris neceſſe fuit, ex illorum voluntate, quamdiu imperarunt, arma ferre.

[d] Attamen ſeu virium inopiâ, ſeu, quod nollent, à reliquis Populis parum momenti eidem bello allatum eſt; & ſanè rei ſumma fuit apud Thebanos; cum Theſſali, quibus bellicorum robur non deerat, domeſticis plerumque diſcordiis intra regionis fines detenti fuerint. Neque verò cum tenui adverſario res erat gerenda; nam, ut aliàs retulimus, Delphicæ opes ingens Phocenſibus ſubſidium præbuere; cum ex Apollinis Fano educta fuerit (quod non meminimus recenſere Nota [κ] Olynth. 3.) tanta auri argentique vis, quæ ſignatæ pecuniæ fecerint decem talentûm millia, ut Diodorus recenſet, cujus iſta ſunt verba [r]: *τὰς γὰρ ἀναϊσθείσας ὑπὸ Κροίσου τοῦ Λυδῶν Βασιλέως, χρυσᾶς πλίνθους, ἕσας ἑκατὸν καὶ εἴκοσι διπλασίονας, καὶ ἑκατὸν ἡμιφόριον εἰς νόμισμα. Φιάλας δὲ χρυσᾶς τριακοσίας, καὶ ἑξήκοντα δυναμένας, καὶ λέοντα χρυσοῦν, καὶ γυναῖκα, τριάκοντα ταλάντων χρυσοῦ σταθμὸν ἀγόντων τῶν πάντων· Ὥστε τὸν πᾶν καλακοπὲν χρυσίον, εἰς ἀργυρίου λόγον ἀναγομένων τῶν χρημάτων εὑρίσκεσθαι τάλαντα τετρακισχίλια. Τῶν δ' ἀργυρῶν ἀναθημάτων τῶν τε ὑπὸ Κροίσου, καὶ τῶν ἄλλων ἀπάντων ἀναϊσθέντων, τὰς πάντας στατήρας δεδαπανηκέναι τάλαντα πλείω τῶν ἑξακισχιλίων. Προστιθεμένων δὲ καὶ τῶν χρυσῶν ἀναθημάτων, ὑπερβάλλειν τὰ μύρια τάλαντα. Siquidem è conſecratis à Cræſo Lydorum Rege centum viginti lateribus aureis, qui ſinguli talenta duo pendebant, pecuniam percuſſit. Conflavit præterea trecentas ſexaginta Phialas aureas, duarum minarum pondo, & aureum Leonem, aureamque fœminam, quibus*

[r] *Ibidem.*

inerant

ineſſant triginta auri talenta. Adeo ut omnis pecuniæ ſumma ad argenti rationem æſtimata, quatuor Talentorum millium reperiatur. Argentea verò munera à Cræſo, aliiſque omnibus Deo dicata, Talentis ſex amplius millibus appenſa, Imperatores omnes diſſiparent. Quibus aurum, quod diximus, ſi adjiciatur, excedunt decem talentorum millium ſummam. Reliqua hujusmodi argumenti, quæ ibi à quibuſdam referri ſcribit Diodorus, utpote meras nugas, prætermittimus. Hoc igitur bellum, cum tantis opibus, proindeque ingentibus Copiis ſuſtentaretur, Thebanos defatigaverat, coegeratque ad Philippum confugere, ut ipſis conjunctus, abſolvendum ſuſciperet. Gratum id Regi accidit gloriæ cupido, ac ſtatim cum ſuorum Theſſalorumque ingenti exercitu in Locridem venit, cum Phalæco Phocenſium Duce prælio decertaturus. Verùm pugnam iſte periclitari metuens, pacem cum Rege ſtatuit eâ conditione, ut cum octo Mercenariorum millibus, quos ipſe collegerat, abeundi quò vellet, facultas eſſet. Itaque in Peloponeſum diſceſſit; Philippus autem nullo Martis periculo miſeros deſertoſque Phocenſes in poteſtate habuit. Deinde cum Theſſalis Bœotiſque decrevit, illos ex Amphictyonum ſententia pœnas dare, quas meriti eſſe judicarentur. Amphictyones Victori penitus obſequuti, decretum iſtud, quod lubet ejuſdem Sicilienſis verbis [f] recenſere, ſuffragiis ſuis amplexati ſunt: Ἔδοξεν ἓν τοῖς συνέδροις μεῖαδῦναι τῷ Φιλίππῳ, καὶ τοῖς ἀπογόνοις αὐτῷ τῆς Αμφικτυονίας, καὶ δύο ψήφους ἔχειν, ἃς πρότερον οἱ καταπολεμηθέντες Φωκεῖς εἶχον. Τῶν δ' ἐν Φωκεῦσι τριῶν πόλεων περιελεῖν τὰ τείχη, καὶ μηδεμίαν κοινωνίαν εἶναι τοῖς Φωκεῦσι τῦ Ιερῦ, μηδὲ τῦ Αμφικτυονικῦ συνεδρίυ. Μὴ ἐξεῖναι δ' αὐτοῖς μηδὲ ἵππυς, μηδὲ ὅπλα κτήσασθαι, μέχρις ἂν ἕ τὰ χρήματα ἐκτίσωσι τῷ Θεῷ τὰ συνκεκλεμένα. Τὺς δ' πεφυγότας τῶν Φωκέων, καὶ τῶν ἄλ-

[f] *Diod.* lib. xvi.

λων

λων τῶν μεθεσχηκότων τῆς ἱερουλίας ἐναγεῖς εἶναι, καὶ ἀγαγίμους πάντοθεν. Τὰς δὲ πόλεις ἁπάσας τῶν Φωκέων καταστάψαι, καὶ μετοικίσαι εἰς κώμας, ὧν ἑκάστω μὴ πλεῖον ἔχειν οἰκιῶν πεντήκοντα, μὴ δὲ διεστάναι ἔλαττον σταδίε τὰς κώμας ἀπ' ἀλλήλων. Ἔχειν δὲ Φωκεῖς τιμὴν χώραν, καὶ φέρειν κατ' ἐνιαυτὸν τῷ Θεῷ φόρον τάλαντα ἑξήκοντα, μέχρις ἂν ἐκλίθωσι τὰ ἀποχρεωφείλητα χρήματα καλὰ τιμὴν ἱερουλίαν. Τιθέναι δὲ καὶ τὸν ἀγῶνα τῶν Πυθίων Φιλιππον μετὰ Βοιωτῶν, καὶ Θετταλῶν, διὰ το Κορινθίους μεθεσχηκέναι τοῖς Φωκεῦσι τῆς εἰς τὸν Θεῖον παρανομίας. Τὰς δ' Αμφικτύονας, καὶ τὸν Φίλιππον τὰ ὅπλα τῶν Φωκέων, καὶ τῶν μισθοφόρων καταπελροκοπῆσαι, καὶ τὰ λείψανα αὐτῶν κατακῦσαι, καὶ τὰς ἵππους ἀποδόσθαι. *Viſum igitur Senatoribus eſt, Ampictyonidis Philippum, ejuſque Poſteros participem facere; ipſis duo illa ſuffragia concedere, quæ bello domiti Phocenſes obtinuerant. Trium in Phocide urbium mœnia dirui. Phocenſes Fani nullatenus compotes eſſe, nec Senatus Amphictyonici. Iiſdem non licere equos alere, arma comparare, quoad ablatas pecunias Deo reſtituerint. Phocenſium Exules, aliarumque gentium, quæ ipſius rapinæ ſcelere ſe obſtrinxerint, Diris devoti ſint, & ubicunque reperti fuerint, Magiſtratibus tradantur. Phocidis Urbes omnes everti, in vicos dividi, quorum ſinguli ne quinquaginta plus domibus habeant, nec ſtadio minus inter ſe diſtent. Teneant Phocenſes Regionem ſuam, ſed quotannis Deo, tributi nomine, ſexagenis talentis perſolutis, quouſque pecunia, quæ ante direptionem in Delubri tabulis conſcripta fuerat, colligatur. Philippum cum Theſſalis, Bœotiiſque Pythios ludos apparare; quippe Corinthii partem cum Phocenſibus habuerint flagitii in Templum commiſſi. Philippum, & Amphictyonas Phocenſium arma, omniumque Mercenariorum ad petram confringere, fragmenta comburere, Equos haſtæ ſubjicere.* Hunc exitum habuit Phocenſe bellum; meritò quidem, ſi è violatâ religione perpendatur; at non minus atrociter, ſi Populorum odio, ac ſeſe ulciſcendi libidini religionem inſerviſſe conſiderare quis velit.

Ne

Ne nobis quidquam ultra ſermonis de iiſdem Phocenſibus facere opus ſit, pauca de hac gente, eorumque regione dicenda arbitramur. Phocis habet ab Oriente Bœotiam, ab Occaſu Doridem, & Locros Ozolos, à Borea Locros Hypocnemidios, à Meridie Cirreum Sinum. Nomen accepit à Phoco Ornytionis filio, Siſyphi nepote, qui illic regnavit. At deinde appulſus in oram illam alter Phocus Æaco genitus cum Æginætarum claſſe non ſolùm antiquam Phocidem, ſed omnem, quam deſcripſimus, provinciam occupavit, Phocidemque rurſus dixit è ſuo nomine [l]. Duæ illic præcipuæ Urbes, Elatæa, & Delphi clariſſima Civitas ob templum Apollinis, de quibus mox erit ſermo; aliæ præterea viginti, ut eſt apud Demoſthenem [l]: αἱ τε πόλεις πολλαὶ, ἡ χαλεπαὶ λαβεῖν αἱ τῶν Φωκέων, μὴ δ' ὑφ' ἡμῶν, ἡ πολιορκίᾳ. Εἰ γὰρ ἐν ἡμέρᾳ πόλιν ἥρει, δύο καὶ εἴκοσιν εἰσὶν ἀριθμῷ. *Multæ, oppugnatuque difficiles Urbes Phocenſium erant, nec niſi longi temporis obſidione. Nam ſi quotidie una caperetur urbs duo et viginti numerabantur.* Gens in Athenienſium familiaritatem inclinata [m], Theſſalorum inimica, cum quibus non ſemel armorum periculum fecit vel ante bellum Trojanum. Tunc autem duo memoratu digna geſſerunt. Longam latamque foſſam fictilibus urnis ſolo æquatam ſuperinductâ terrâ contexerunt, quam prope acies conſtitit. In hanc Theſſali equitatum immittunt, qui urnis confractis equorum pondere, procubuit fractis iſtorum crutibus; equites cæduntur; exercitus à Phocenſibus turbatur, pellitur, maximâque ſtrage debilitatur. Clades Theſſalorum iram exacuit, accitiſque undique ſuorum Copiis vindictam parant. Phocenſes periculum conſpicati, quippe viribus impares, atrox conſilium capiunt, ut ſi hoſtes vincant, nulla ipſis præda ſit, nulla ſuis injuria. Mulieres, liberos, & quicquid pretioſum habent in latiſſimum rogum conjiciunt, ac viris triginta ſeriò imperant, ut ſi aciem inclinare ſuam videant, rogo ignem injiciant.

[l] *Pauſ. in Phoc.* [l] *Demoſth. de falſa legat.* [m] *Thucyd.* lib. iii.

Verùm bellatoribus vires, atque animos addidit deſperatio, profligatiſque Theſſalis, nullo damno tantæ magnanimitatis gloriam adepti ſunt. Xerxi in ea maxima contra Græcos expeditione primùm adhæſere, ſed Patriæ memores ab ipſo deficientes, in Platæenſi prælio cum reliquis Græcis fuerunt. Sæpius deinceps cum Finitimis decertarunt modicis viribus, nullo memorabili eventu, quoad ſacrum in ſe bellum concitarunt, eoque deleti ſunt [n]. Prius in pretio habiti ob Pylarum cuſtodiam, quæ in ipſorum provincia continebantur. Non ultima hujus gentis laus eſt, Maſſiliam celeberrimam Coloniam condidiſſe, quam propter fidem in populum Romanum, egregiamque morum diſciplinam, Latinorum Hiſtoriæ, atque ipſe Tullius eximiis laudibus in Cœlum ferunt.

[e] Coronæa Bœotiæ Civitas prope Heliconem ab Andræo Penei fluminis filio conſtructa; à Corone Theſſandri filio nuncupata [o]; Plura illic Græci Religionis plena commenti ſunt. Rumor erat ibi ab Athamane Hellen, & Phryxum liberos ſuos, quos Jovi immolaret, adductos, ac dum Rogum inſtrueret, à Deo ſummiſſum aureum arietem, quem Juvenes conſcendentes, per mare in Aſiam fugiſſe. (Quis hìc Abrahami Sacrificium pravè detortum non videat). Ibi rurſus Herculem ex Inferis Cerberum educentem erupiſſe. Ibi denique Acheloi filias, Junone ſuadente, cum Muſis cantu decertaſſe, victriceſque Muſas Sirenum alis ſe coronaſſe, unde huic urbi nomen impoſitum. Sed hæc Poetarum ſunt. In ea quidem totius Bœotiæ Conventus celebrabatur, ut eſt apud Scholiaſtem minorem Homeri [p]: ἔστι δὲ ἐγγὺς Ελικῶνος, ἐφ' ὕψους ἱδρυμένη, ἔνθα τὰ Πανβοιώτια συνέτελουν. Coronæa *prope Heliconem, in vertice ſita, ubi Concilium Bœotiæ.* A Bœotis poſt bellum Trojanum occupata [q], in Phocenſium conceſſerat poteſtatem, dum bellum ſacrum vigebat; Thebanis denique à Philippo, ut diximus, attributa [r].

[n] *Pauſ. in Phoc.* [o] *Pauſ. in Bœot.* [p] *Schol. minor tom. ad Iliad β.* [q] *Strabo*, lib. ix. [r] *Diod.* lib. xvi.

[f] Pythii

[f] Pythii ludi Olympiis antiquiores, ſed minori pompâ delphis celebrati, ſacri erant Apollini. Hanc ipſos inſtituendi cauſam referunt. Latona ex Eubœa redux cum filiis Diana, & Apolline Delphos repetens, in antro quodam conſedit, unde improviſò ingens erumpens Draco, Python ab incolis appellatus, tres Deos in vitæ diſcrimen adduxit. Mater ſaxo anguem petit, (quod ſaxum ſub ejus ſtatua religiosè Delphis conſervabatur) ſed cum nihil proficeret, filium hortatur, ut quid poſſit jaculis, periculum faciat. Ille Draconem confodit. Latona victoriam Phœbo gratulata ἰὲ παῖ ἰὲ παῖ magnis vocibus inclamabat, unde Pæan, carmen ipſi dicatum, nomen habuit. Incolæ Poſteris tradituri liberatæ à monſtro regionis memoriam, ludos Apollini decreverunt a. 3. O. 49., nono quolibet anno inſtaurandos [f], auctore Diomede, ut eſt apud Pauſaniam [t]: ἦγε τὸν ἀγῶνα τῶν Πυθίων Διομήδης πρῶτον θεῶν Ἀπόλλωνι, *Certamen Pythiorum à Diomede primùm Apollini conſecratum.* Strabo [u] ex Ephori Hiſtoria eadem refert, Dracone tamen in Latronem commutato. Eorundem ludorum celebritas aucta deinde ab Amphictyonibus eſt ſub Eurylocho. Primus Pæani locus erat, quem hymnum Chori canebant in quinque partes diviſum, ut ordine geſtam à Phœbo cum Pythone pugnam Populi audirent, atque accepti beneficii memoriam revocarent. Prima pars Deum ſeſe ad periculoſum certamen comparantem exprimebat; ſecunda initium prælii; tertia præliandi virtutem, atque hoſtem victum; quarta victoriæ plauſum; quinta Pythonis execrationem, irriſionemque. Equeſtre deinde certamen, ac gymnicum inducebatur. Quibus peractis periculum fiebat in Muſicis, ſed fidibus duntaxat, nulloque cantu. De Picturis quoque judicium redditum, ait Plinius [x]. Præmium Victoribus corona, & plauſus. Hujuſmodi ludorum præfectura plurimi erat apud Græcos. Quamobrem ſummopere à Philippo exoptatam Demoſthenes inquit hoc

[f] *Clearchus*, l. i. *Proverb.* [t] *Pauſ. in Corinth.* [u] *Straba*, lib. ix. [x] *Plinius*, l. xxxv. c. 9.

loco; conceſſam verò ex Diodoro vidimus ſuperiori n. [d] τιθέναι δὲ καὶ τὸν ἀγῶνα τῶν Πυθίων Φίλιππον, &c. Quin illum hoc jam defungi munere è quarta Philippica intelligimus: οὐ πρὸς τῷ πόλεις ἀνηρηκέναι, τίθησι τὰ Πύθια, τὸν κοινὸν τῶν Ελλήνων ἀγῶνα; κἂν αὐτὸς μὴ παρῇ, τὰς δούλας ἀγωνοθετήσοντας πέμπει; *Nonne* (Orator ait) *præter everſas Civitates, Pythia moderatur, communem Græcorum ludum? & ſi ipſe non adeſt, nonne ſervos mittit vicarios auctoritatis ſuæ?* Quæ demum illic fuerit Sacrificiorum ſolemnitas, & quæ populis cœnæ, colligi poteſt ex iis, quæ de Jaſone Pheræorum Tyranno ſcribit Xenophon[y]: ποιεῖντων δ' Πυθίων, παρήγγειλε μὲν ταῖς πόλεσι βᾶς, ἢ ὄεις τρέφειν, ἢ αἶγας, ἢ ὗς, ἢ παρασκεύάσεθαι ὡς εἰς τὴν θυσίαν. Καὶ ἔφασαν πανυμετρίως ἑκάσῃ πόλει ἀπαγγελλομένῳ, γενέθαι μὲν βᾶς οὐκ ἐλάσσυς χιλίων. Τὰ δ' ἄλλα βοσκήματα, πλείω ἢ μυρία. Εκήρυξε δ' ἢ νικητήριον χρυσῆν στέφανον ἔσεσθαι, ἥτις τῶν πόλεων βᾶν ἡγεμόνα καλλιςευ τῷ Θεῷ θρέψειε. Παρήγγειλε δ' ἢ ὡς στρατευσομένοις εἰς τὸν περὶ τὰ Πύθια χρόνον. Θετταλοῖς παρασκευάζεθαι. Διενοεῖτο γὰρ, ὡς ἔφασαν, ἢ τῷ πανηγυρεῖν τῷ Θεῷ, ἢ τὰς ἀγῶνας αὐτῷ διατιθέναι. *Cum Pythia mox celebranda forent, indixit Civitatibus, alerent, in promptuque haberent ad Sacrificium Boves, Oves, Capras, Sues. Fama erat adductos boves nil minus, quàm mille; aliorumque pecudum pluſquam decem millia, quamvis cum unaquaque Civitate mitis imperii modum adhibuiſſet. Edixit quoque, auream coronam Ubi munus futurum, quæ bovem Deo paviſſet omnium pulcherrimum, ac principem inter hoſtias locum obtinentem. Theſſalis præterea mandavit, ut dum Pythia celebrarentur, ludicra exhiberent certamina. Siquidem, ut aiunt, publicam ipſe celebritatem, ac ludos agere conſtituerat.*

[g] Locus iſte nos admonet, ut ne ſilentio Delphicum Oraculum prætereamus. Illud Capreis inventum refert Diodorus[z]. Narrat enim, ut ſingulæ prope quempiam terræ hiatum paſcerentur, afflatu quodam correptas inconditam dediſſe vocem; atque inſolen-

[y] *Xenoph. de rebus Græc.* l. vi. [z] *Diod.* lib. xvi.

ter

ter desultasse. Pastores rei novitate commoti propiùs ad locum accedere, ut quid hoc rei esset intuerentur. Statim ac locum tenuissent, eodem & ipsi capti spiritu, grandia loqui, futura prædicere. Percrebuit rumor, ibi Dei Numen adesse, quare undique concursus fieri, sortes peti, ventura inquiri. Verùm cum unusquisque ad hiatum accedens per se ipse vaticinium acciperet, ac plerique furore acti in voraginem se dejicerent, tripus ligneus compactus est, qui duobus cruribus in una hiatus parte, tertio in altera consisteret, ut in ipsum conscenderet qui vellet afflari numine. Deinde id munus selectæ cuidam puellæ mandatum est, à qua Oracula reddebantur, sed ob ereptam aliquando illarum cuipiam pudicitiam, exactâ mulierem ætate, nec minus quinquaginta annos natam, virgineis tamen indutam vestibus Tripodi præfecerunt. Fanum ibi magnificentissimum constructum est, quinquies instauratum, ut ait Pausanias [a], cum totidem deflagrasset. Semel trecentis talentis id opus locatum narrat Herodotus [b], centies nimirum octuagies Coronatorum millibus. Gaza ibi locupletissima, immensa divitiarum vis, Apollini sacra, quæ Xerxis temporibus à præda immunis, Phocensibus deinde cessit, ut jam retulimus. Locus, & quomodo Oracula ederentur his verbis describit Strabo [c]: Φασὶ δ' εἶναι τὸ μαντεῖον ἄντρον Κοῖλον κατὰ βάθους, καὶ μάλα εὐρύχωρον. Ἀναφέρεσθαι δὴ ἐξ αὐτοῦ πνεῦμα ἐνθουσιαστικὸν, ὑπερκεῖται δὲ τοῦ χωρίου &c. ἀποθεσπιάζειν ἔμμετρά τι, καὶ ἄμετρα, ἐντείνειν δὲ καὶ ταῦτα εἰς μέτρον ποιήτας τινὰς ὑπαρχόντας τῷ ἱερῷ. *Dicunt autem Oraculum ex antro concavo, profundo, anguſtique oris, unde ſpiritus fanaticus effertur. Voragini ſuperjacet Tripus &c.* Pythiam *verò vaticinari verſibus conſtrictâ, ſolutâve oratione, Poetas autem templi miniſtros vaticinium metro complecti.* Dæmones aut obscuris, implexisque verbis, quæ cuicumque eventui accommodari possent, aut naturali scientiâ ad alicujus rei cognitionem adhibitâ miserum Mortalium genus ita decepisse nemo dubitat. At Demosthenis æ-

[a] *Pauſ. in Phocic.* [b] *Herod. in Talia.* [c] *Strabo*, l. ix.

tate non ſolùm Dæmones, ſed homines etiam ad reliquorum hominum perniciem Delphici Oraculi authoritate abutebantur. Nam Philomelus Phocenſium Imperator cum vellet Civium ſuorum animos ad bellum incendere, Græcos etiam deterrere, ne ſe cum Thebanis, aliiſque, ab Amphictyonum Concilio in ipſos Phocenſes commotis, conjungerent, Pythiam vi adegit ad reddendum Oraculum, ſuis rebus, ſuæque voluntati conſentaneum: διπτελήσατο, ἢ συνηνάγκασε τὴν ἀνάβασιν ποιεῖσθαι ἐπὶ τὸν τρίποδα. Ἀπαφθεγξαμένης δ' αὐτῆς πρὸς τὸν ὑπερογκοῦντα τῷ βουλομένῳ, ὅτι ἔξεστιν αὐτῷ πράττειν ὃ βέλεται, εὐφρόνως τὸ ῥηθὲν ἐδέξατο, ἢ τὸν προσήκοντα χρησμὸν ἔχειν ἀπεφήνατο. Εὐθὺς γὰρ ἢ τῶν χρησμῶν ἐγγραφὴν ποιήσας, ἢ παθεῖν εἰς τὰμφανὲς ἅπασι ἐποίησε φανερὸν, ὅτι ὁ Θεὸς αὐτῷ δίδωσιν ἐξουσίαν πράττειν ὅ τι βέλεται. Συναγαγὼν δ' ἐκκλησίαν, ἢ τὴν μαντείαν τοῖς πλήθεσι δηλώσας, ἢ παρακαλέσας θαρρεῖν, ἐτρέπετο πρὸς τὰ τῆ πολέμῳ πράξεις. *Terrorem intulit, coegitque Tripodem conſcendere. Illa reſponſum dedit, quod prodeſſet minitantis dignitati, nimirum licere ipſi, quicquid vellet, pervagere. Lætus accepit dictum Philomelus, oſtenditque aptum ſuis rebus Oraculum ſe habere. Statim verò in tabulis conſcriptum in omnium oculis poſuit, datamque ſibi à Dea quicquid liberet agendi facultatem renuntiavit. Congregatâ igitur Concione vaticinium palam omnibus fecit, hortatuſque multitudinem bono animo eſſe, omnem ad bellum cogitationem convertit* [d]. Rurſus cui non compertum eſt Demoſthenis dictum: jamdiu Pythiam Philippizare. Tacuerunt Delphicum, cæteraque Oracula ante Chriſti Domini adventum, quippe nulla ipſorum vox Ciceronis ætate, ut eſt in ejuſdem libro de divinatione. Ac Delphis quidem ſatis jam Mortalibus illuſerat mendacii Pater; ſiquidem vel ante bellum Trojanum ibi loquutum fuiſſe, id argumento eſt, quod illinc Agamemnonem ſortes petiiſſe ita Citharœdus canit apud Homerum [e].

[d] *a.* 2. *O.* 106. lib. xvi. [e] *Hom. Odyſſ.* v. 75.

Νεικος

Νέϊκος Οδυσῆος, καὶ Πηλείδεω Ἀχιλῆος.
Ὡς ποτε δηρίσαντο Θεῶν ἐν δαιτὶ θαλείῃ,
Ἐκπάγλοις ἐπέεσσιν, ἄναξ δ' ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων
Χαίρῃ νόῳ, ὅτ' ἄρισοι Ἀχαιῶν δηρίσαντο.
Ὡς γὰρ δὶ χρείων μυθήσατο Φοῖβος Ἀπόλλων
Πυθοῖ ἐν ἡγαθέῃ, &c.
Jurgium Ulyſſis cum Pelide Achille.
Ut olim rixati ſunt in Heroum hilari convivio
Amœris verbis. Sed hominum Rex Agamemnon
Mente gaudet, quod optimi inter ſe Achæorum con-
tendant.
Ut enim ei dixerat vaticinando Phœbus Apollo
In fatidica Delphorum urbe &c.

[h] Sacrorum auctoritas de qua hìc agitur, ea eſt, quam Amphictyones habebant in Apollinis templo, & in Pythiis ludis; Imperii, quam in dirimendis Græcorum diſſidiis, ut retulimus, cum de ipſis Amphictyonibus nuper loquuti ſumus n. [B] hujus Orat.

[i] Quomodo à Thebanis Oropus Athenienſibus ereptus fuerit annotavimus n. [U] Orat. de Megalop. Doluit Reipublicæ acceptum vulnus; ei tamen armorum medicinam adhibere noluit. Quievit igitur, exiſtimans plus pacem ſibi boni afferre, quàm ejus Civitatis jacturam, mali. Illam tamen non multos abhinc annos recuperavit, Philippi beneficio, nulloque ſanguine, ut ibidem ſcripſimus.

[k] Inter pacis conditiones, quam Philippum cum Athenienſibus feciſſe diximus ſuperiori n. [A] ea fuit, ut Rex, quæ occupaverat, retineret. Ægrè de Amphipolis jure ii decéſſerunt, pro qua pluries bellum, atque inimicitias ſuſceperant, & unde tot Reipublicæ commoda obveniebant. Attamen tanti fecerunt, arma deponere, ut eam quoque Philippo deſeruerint.

[l] Mauſolum intelligit, cujus mentio facta eſt n. [I] Orat. de Rhodiorum libertate.

Narravimus notis A. F. G. ejuſdem Orationi, Mauſolum ipſum in Chiorum, Rhodiorum, Coorumque Reſpublicas Paucorum ſtatum induxiſſe,

deleto populari, eaſque urbes ſuorum militum præſidio detinuiſſe.

Cardia, Thraciæ Cherſoneſi Metropolis, in Iſthmi faucibus collocata, fortuitò hoc nomine appellata eſt. Cum enim eò loci adveniſſent Mileſii, Clazomeniique Coloniam condituri, atque Hermocrates, antequam duceret aratum, ſacrificaſſet, Corvus repentè advolans Victimæ cor, quod græcè *cardia* dicitur, abſtulit roſtro. Coloni ad eventus memoriam Cardiam ominis cauſa novam Civitatem vocarunt. In hanc deinde Miltiades Cypſeli filius, occupatâ Cherſoneſo, ut ſuo loco renuntiabitur, Colonos iterum induxit Athenienſes ſuos, ut nos docet Marcianus.

Ἡ Θρακίκη ἣ Χερρόνησος ἐχομένη
Κεῖται, καθ' ἣν πόλις ἐστὶ πρώτη Καρδία,
Ἀρχλὴ μὲν ὑπὸ Μιλησίων κτισθεῖσα, εἶτ'
Κλαζομενίων, πάλιν ἣ Ἀθηναίων ὑπὸ,
Ὅτε Μιλτιάδης ἐκράτησε Χερρονησίων.

Thracia verò Cherſoneſus proxima
Jacet, in qua princeps Civitas eſt Cardia,
Primùm à Mileſiis condita,
Atque Clazomeniis; rurſuſque ab Athenienſibus,
Cum Cherſonenſes vicit Miltiades.

Cum ipſa aditum in Peninſulam præbeat, qui ejus unquam potiti ſunt, iidem & univerſæ regionis. Quare, cum Kerſobleptes Thraciæ Rex, Cherſoneſo Athenienſibus dono datâ, Cardiam ſibi retinuiſſet [z], id muneris flocci faciendum fuiſſe dicit Demoſthenes: ἔχει δ' ὁρμητήριον (Κερσοβλέπτης) παρὰ πάντα τὸν χρόνον αὐτῷ τετηρημένον, τὴν Καρδιανῶν πόλιν, ἣν ἐν ἁπάσαις μὲν ταῖς συνθήκαις ἐξαίρετον αὐτῷ γέγραφε. Τὸ τελευταῖον δ' ἀφανερῶς αὐτὴν ἀφείλετο παρ' ὑμῶν. *Habet enim* (Kerſobleptes) *ſervatum ſibi ad omnem occaſionem propugnaculum, Cardianorum Urbem, quam in omnibus fœderibus ſibi exemptam conſcribi voluit, ac denique apertè à vobis abſtulit* [a]. Video autem Athenienſes eandem ſibi Civitatem vendicare voluiſſe, poſtquam Kerſobleptem Philippus Regno expulerat, præ ſe ferentes, univer-

[z] *Diod.* lib. xvi. *a.* 4. *O.* 106. [a] *Demoſth. ad Ariſtocr.*

ſam

ſam olim Cherſoneſum, qua Cardiani continebantur, ſuam fuiſſe; iſtos contra percuſſo fœdere imploraſſe Regis opem, ut ex Athenienſium manibus eriperentur. Suſcepit ille Urbis tutelam, unde tantum ſibi obvenire poterat utilitatis, atque inter cæteras factæ cum Athenienſibus pacis conditiones hanc etiam voluit, ut Cardiani extra Cherſoneſi fines reputarentur, proindeque ad Reipublicæ imperium non pertinerent. Patet ex hoc Oratoris loco, vel duram hujuſmodi legem, pacis cupiditate, non repudiatam. Verùm deinceps iidem Athenienſes factam ſibi injuriam cum Macedone conqueſti ſunt, & ſuo non prohiberi jure mordicus poſtularunt. Rex nihil vi, at Judicio omnem controverſiam dirimi, ſe permiſſurum reſpondit; repudiatâ ab Athenienſibus conditione, utpote certis, judicium ſecundùm illum datum iri. Sic enim eſt in ejus epiſtola, quam nos Latio donavimus: *Καρδιανοῖς ᾧ φημὶ βοηθεῖν, γεγονῶς αὐτοῖς πρὸ τῆς εἰρήνης σύμμαχος. Οὐκ ἐθελόντων ὑμῶν ἐλθεῖν εἰς κρίσιν, πολλάκις μὲν ἐμοῦ δεηθέντος, οὐκ ὀλιγάκις δ' ἐκείνων, ὥστε πῶς ἂν ἄν εἴλω πάντων φαυλότατος, εἰ καταλιπὼν τοὺς συμμάχους, μᾶλλον ὑμῶν φροντίζοιμι; Cardianis me auxilium ferre profiteor, quippe mecum ſocietate conjunctis ante pacem. Cum vos autem nolitis in Judicium venire, quamvis à me ſæpius rogati, non parùm ab illis; quomodo fœdiſſimus hominum non eſſem, ſi deſertis Sociis veſtra curarem?*

CONTRA

CONTRA PHILIPPUM ORATIO SECUNDA.

IN ARGUMENTUM.

[A] POst Orationem de Pace collocandam hanc esse contra Philippum secundam, eadem ipsa palam facit; Cum utraque habita sit post Phocenses eversos (nam id utrobique recensetur); & cum illa, ut legentibus patet, statim ab illata vastitate dicta fuerit, remanet ut eandem hæc altera consequatur. At quo in anno collocabitur? In primo quidem O. 109. Scribit enim Dionysius [b]: μετὰ δ' Ἀρχίαν ἐστὶν Εὔβουλος, εἶτα Λυκίσκος, ἐφ' οὗ τῷ ἑβδόμῳ τῶν Φιλιππικῶν δημηγοριῶν διέθετο πρὸς τὰς ἐκ Πελοποννήσου πρεσβείας, ταύτῳ τῷ ἀρχῷ ποιησάμενος, Ὅταν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, λόγοι γίγνονται. *Post Archiam sequitur Eubulus* Prætor, *deinde Lyciscus, sub quo septimam composuit Philippicarum Concionum, Legationis causâ, quæ venerat è Peloponneso, sic dicere exorsus: Cum, Athenienses, Orationes, fiunt.* Lyciscus autem Præturam gessit memorato anno primo O. 109. ut Diodorus [c] monet. Sed vel ex ipsa Oratione tempus istud eruitur. In ea siquidem mentio fit de Decemviratu Thessalis urbibus impositio, quod hoc anno accidisse dubitare non sinit Diodorus [d], qui per id temporis Philippum in Thessaliam venisse ad res provinciæ componendas luculenter scribit. Huic autem Orationi causam dedisse ejusdem Regis Legatos, qui Athenas venerant, docet Libanius in ipsius Concionis argumento, cujus auctoritatem sequi malui, quam Dionysii, de Peloponensium Oratoribus in adducto dudum loco scribentis, utpote quæ Historiæ magis congruat. Nam hoc tempore è Peloponnesi Populis Lacedæmonii solùm causam habere potuerunt mittendæ Athenas Legationis,

[b] *Dionys. epistola ad Ammæo.* [c] *Diod.* lib. xvi. [d] *Ibid.*

contra

contra quos Philippus Argivos, Meſſenioſque iis conſociatus immittebat, ut iſthæc Oratio certiores nos facit. At Rex non ſuas hoc bello inimicitias perſequebatur, ſed opem Sociis afferebat; quare quid opus fuiſſet Demoſtheni tam acriter Cives in eum incendere & nihil niſi de ſuſcipiendo contra ipſum bello concionari? Res potius poſtulaſſet, ut opem Spartanis decernendam ſuaderet; & ſi quiſpiam armis petendus erat, iis peti debuiſſent Argivi, ac Meſſenii, qui memoriâ longiùs repetitâ ferebantur odio contra Lacedæmonem. Quamquam nec facilè contra ipſos, utpote veteres Athenienſium Socios, legationem Athenas obiiſſent Lacedæmonii. Quod ſi à Philippo Legatos adveniſſe fateamur, res aliter habet. Ut enim ab amplectenda illius familiaritate, quam oratum venerant iidem Legati, populum Demoſthenes dimoveret, nihil magis aptum hujuſmodi Oratione dici poterat, quæ Regem inimicum, ac fœdifragum oſtendit. Quamquam profectò quid conjecturâ opus eſt, cum ipſum Demoſthenem ſententiæ noſtræ adſtipulatorem habeamus? Hic enim a. 2. O. 109. ut ex Dionyſio[*] colligitur, Orationem habuit contra Æſchinem de falſa Legatione, qua in Oratione meminit Legatos nuper Athenas à Philippo veniſſe, Cives rogatum ut ei publico decreto Amphictyonicam dignitatem confirmarent; iis autem debuiſſe Æſchinem ſe opponere, atque exprobrare, quod Rex factis Reipublicæ promiſſis non ſtetiſſet; non tamen ſe oppoſuiſſe. Quæ omnia mirificè congruunt Legationi, de qua in hac, quam in manibus habemus, Oratione fit ſermo. Primùm tempus convenit, nam inter utramque Concionem, hanc nimirum, & alteram illam de falſa legatione pauci menſes interfuerunt. Deinde in ambabus Æſchines, cæterique illi cum eo conſentientes falſæ Legationis Legati exagitantur, ac de iiſdem rebus, & ob eandem cauſam exagitantur. Nec moleſtiam faciat, quod in altera Legatione petitum à Philippo diximus Imperatorium munus, in altera Amphictyo-

[*] *Dionyſ. Epiſt. ad Amm.*

nicum.

nicum. Siquidem ex hoc gradus erat ad illud, eamque ob rem inter Amphictyonas Rex cooptari percupiebat. Nunc ipsa Demosthenis verba [f] referamus: ἀλλ' ἦκον ὡς ὑμᾶς ἔναγχος Θετταλοὶ καὶ Φιλίππου πρέσβεις μετ' ἀυτῶν ἀξιοῦντες ὑμᾶς, Φίλιππον Αμφικτύονα εἶναι ψηφίσασθαι. Τῷ προσῆκεν ὃν ἀντειπεῖν τούτοις μᾶλιστα πάντων ἀνθρώπων; Αισχύνη τούτῳ. Διὰ τί; ὅτι οἷς ὅτος ἀπήγγελε πρὸς ὑμᾶς, τούτοις τὰ ἐναντία ἐποίησεν ἐκεῖνος. Οὗτος μὲν γὰρ ἔφε Θεσπιὰς, καὶ Πλαταιὰς αὐτὸν τειχιεῖν. Καὶ τοὺς μὲν Φωκέας οὐκ ἀπολεῖν. Τῶν δ' Θηβαίων ὕβριν ὑμῖν καταλύσειν. Ὁ δ', &c. *Venerunt autem ad vos nuper Theſſalorum, & Philippi Legati ſimul, poſtulatum à vobis, hunc Amphictyonem eſſe decernere. Quem igitur cunctorum hominum par erat illis contradicere? Hunc Æſchinem. Qua de cauſa? Quoniam quæ ille retulerat, iis omnibus Rex contraria fecit. Dixit ille, Regem Theſpias, Plataeaſque refecturum, Phocenſes non deleturum, vos à Thebanorum injuriis liberaturum. Ille verò &c.*

Ibidem. Απὸ τῶν ὁμόρων Ελλήνων Κέκληλαι. Philippus Græcorum alios beneficiis, alios metu ſibi obnoxios per id temporis detinebat, ſuique ſecurus Perſicum bellum cogitabat, totius Græciæ viribus conficiendum, quibus ipſe præeſſet imperatoris nomine, atque ita in animum induxerat, ſplendori, auctoritatique ſuæ culmen imponere. Siquidem hoc munere maxima armorum poteſtas continebatur, & quicquid ad militarem uſum opus foret imperandi. Quapropter poſtquam in Amphictyonum Senatum cooptatus fuit, blanditiis, omnique arte viam ſibi munire ſtuduit ad illud obtinendum. Diodorum [g] audiamus: μετὰ δὲ ταῦτα Φίλιππος μὲν τὰ δεδογμένα τοῖς Αμφικτύοσι συγκατασήσας, καὶ πάντα φιλοφρονηθεὶς, ἐπανῆλθεν εἰς τὴν Μακεδονίαν, οὐ μόνον δόξαν ἐυσεβείας, καὶ ἀρετῆς στρατηγικῆς περιπεποιήμενος, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὴν μέλλουσαν αὐτῷ αὔξησιν γενέσθαι μεγάλα προκατασκευασάμενος. Επεθύμει γὰρ τῆς Ελλάδος ἀποδειχθῆναι στρατηγὸς αὐτοκράτωρ, καὶ τὸν πρὸς Πέρσας ἐξενεγκεῖν, ὅπερ καὶ συνέβη γενέσθαι. *Quibus geſtis, Philippus confirmatis Amphic-*

[f] *Demoſth. de falſa legat.* [g] *Diod.* lib. xvi.

tyorum decretis, atque omnes humaniter complexus in Macedoniam rediit, non ſolùm pietatis opinionem, & bellicæ virtutis adeptus, ſed jactis futuri potentiæ incrementi fundamentis. Optabat enim renunciari univerſæ Græciæ Imperator, ſibique bellum dari adverſus Perſas, quòd & deinceps accidit. Hinc ad ſibi Populos demerendos Legatos quaquaverſum miſiſſe, quorum in hac Oratione fit mentio, credere par eſt. Non tamen Imperatoria dignitas demandata ei fuit priuſquam ad Cheronæam victor Græcos omnes domuerit. Διὸπερ ἐν Κορίνθῳ τοῦ κοινοῦ συναχθέντος διαλεχθεὶς περὶ τοῦ πρὸς Πέρσας πολέμου, καὶ μεγάλας ἐλπίδας ὑποθεὶς προετρέψατο τοὺς συνέδρους, εἰς πόλεμον. Τέλος δὲ τῶν Ἑλλήνων αὐτὸν στρατηγὸν αὐτοκράτορα τῆς Ἑλλάδος, μεγάλας παρασκευὰς ἐποιεῖτο πρὸς τὴν ἐπὶ τοὺς Πέρσας στρατίαν. Διατάξας δ' ἑκάστῃ πόλει τὸ πλῆθος τῶν εἰς συμμαχίαν στρατιωτῶν ἐπανῆλθεν εἰς τὴν Μακεδονίαν. *Quapropter Corinthi congregato Provinciæ Concilio, ſermone habito de ſuſcipienda in Perſas expeditione, ac ſpes magnas oſtentans, Populos ad bellum cohortatus eſt. Cum denique Græcorum omnium ſuffragiis creatus Imperator ſupremus univerſæ Græciæ, ingenti apparatu ſeſe ad illud inſtruxit, atque imperato unicuique Civitati militum numero, quem dare in commune voluit, in Macedoniam ſe reſtituit* [h].

[c] Ea promiſſa intelligenda ſunt, quæ Athenienſium Oratores è falſa illâ legatione, ut eam Demoſthenes vocat, à Philippo retulerant, hic autem numquam impleverat, de quibus n. I. Orat. de Pace.

IN ORATIONEM.

[d] PYlas deſcripſimus n. [r] Orat. 1. contra Philippum, quæ cum Regi aditum darent in Græciam, non priùs deſtitit, quàm occupaverit. Quin idcirco Thebanis auxiliatum, geſſiſſe Phocenſe bellum Demoſthenes dicit in ſuperiori Oratione, ut illarum potiretur, quæ in Phocenſium erant ditione, ab ipſiſque cuſtodiebantur. Id Athenienſibus, qui probè

[h] *Diod. ut ſupra, a.* 4. *O.* 110.

hujuſce

quadrat illa *ſuperioris anni* ſignificatio; nec eſt ex Oratorum more res geſtas acu, ut aiunt, attingere, niſi id faciat ad Cauſam.

[F] Hanc admirabilem Athenienſium magnanimitatem narravimus n. [D] Orat. de Claſſibus. Nunc ſolùm addimus, Alexandrum, qui modò inter Philippi Progenitores adnumeratur, ejus Avum fuiſſe, Magni Alexandri proavum. Sic enim ex Herodoto clariſſimæ hujus Familiæ ſeries colligitur. Amyntas, Alexander, de quo hìc ſermo, Amyntas, Philippus, Magnus Alexander, qui cum ſine Liberis deceſſerit, non incommodo fortunæ luſu accidit, ut ibi Genus ampliſſimum ſtirpitus abſciſſum fuerit, ubi pervenit ad ſummam gloriæ, potentiæque proceritatem, ne unquam ignobili Poſterorum ſocordiâ, veluti vetuſtate ac ſenio, robur & dignitatem ſuam amitteret.

[G] Thebanos Xerxi Perſarum Regi adhæſiſſe in illa maxima contra Græcos expeditione ſatis ſuperque narravimus n. H. & N. Orat. de Claſſibus; nunc idem de Argivis dicendum eſt, quos in eodem bello cum Barbaro ſenſiſſe Herodotus [o] memoriæ hominum prodidit. Id autem Lacedæmoniorumne odio, an perfidiâ, incertum relinquit. Si Argivos audiamus, hæc ipſis fuit conjungendi cum Xerxe fœderis cauſa. Circa Perſici belli tempora maximo illi prælio, & clade ſex millium ſuorum Civium perculſi fuerant à Lacedæmoniis, in rerumque ſuarum metu, atque animorum perturbatione verſabantur. Interea iiſdem Lacedæmoniis, cunctiſque Græcis ad Xerxis tranſmiſſionem oculos, ac mentem convertere opus fuit. Cum ad tantam belli molem ſuſtinendam vix omnes initâ ſocietate ſatis forent, curatum id primùm, ut populorum inter ſe diſcordiæ componerentur. Miſſi igitur undequaque Legati; utque ad rem noſtram veniam, Spartani Argos venerunt poſtulatum, ut deeſſe nolint communi Græcorum ſaluti, neve Perſas amplecti. Datur ab Argivis reſponſum, poſtulata ſe facturos, ſi ſecum fœdus triginta annorum paciſci velint, quo temporis

[o] *Herod. in Polyhymn.*

intervallo,

intervallo, æquato cum ipſis imperio Argivæ præeſſe regioni ſatis habeant. Arbitrabantur enim novam interim Juventutem in ejus locum ſuffectum iri, quam florentiſſimam bellum abſumpſerat, & quæ poſſet patriam reddere libertati. Lacedæmoniis oblatam conditionem recuſantibus, Argivi ad Perſas tranſierunt. Contra verò ſi fides Græcorum aliis adhibenda ſit, ſponte Argivos in Xerxis amicitiam ſe dediſſe reputabimus. Dicunt enim, eam gentem Regi adhæſiſſe, ob commemoratam generis cognationem, quam Argivis ſecum intercedere Perſæ fabulabantur. Quippe ſe genus ducere à Perſeo Jovis & Danaes filio, quæ uxorem habuit Andromedam, Cepheo genitam, ex eaque Perſen, qui Avo ſine virili prole decedente, in ejus Regnum ſucceſſit, Perſidem dixit è ſuo nomine regionem illam, ibique Perſarum ſtirpem propagavit. Quicquid autem cauſæ fuerit Argivis ſeſe amicitiâ cum iiſdem Perſis obſtringendi, certum eſt ſeſe obſtrinxiſſe, eamque ſummâ coluiſſe fide; quod nunc à Demoſthene in Athenienſium memoriam revocatur.

[H] Philippus conſtanti, firmiſſimâque benevolentiâ Thebanos complexus eſt, quotuſque iſti cum Athenienſibus, aliiſque Græcis conjuncti manus cum illo conſeruerunt ad Cheronæam. Argivos etiam perpetuò fovit, cum Peloponeſo inhiaret, exiſtimaretque ad eam acquirendam maximum inde ſibi adjumentum fore, ut jam annotavimus.

[I] De iis promiſſionibus loquitur, quæ à Philippo venerunt in falſa illa Legatione, de qua proloquuti ſumus. Sed mirum eſt, quot modis Orator illas proſcindat, in ſuamque flectat utilitatem. Modò falsò relatas dicit [p], ac dicam Legatis impingit; modò à Philippo re verâ factas, at numquam perſolutas, eumque dolo, fallaciiſque fœdatum arguit hoc loco. Utraque opinio Athenis inveteraverat. Igitur Oratoris eſt alterutram, prout ſua intereſt, uſurpare. Vide quæ nuper de hoc argumento diximus.

[K] De Meſſenia regione, quæ nunc *Belvedere* appellatur,

[p] *Demoſth. de falſa legat. de Corona & alibi.*

pellatur, Urbeque Meſſene, quæ modo communiter à Græcis *Moſſeniga* nomen obtinet, longa fecimus verba n. [R] (p. 76.) Orat. de Megalopolitis, ubi ipſius odium retulimus; ac bella ſæpius adverſus Lacedæmonios inſtaurata, & quando iſtorum prorſus imperio ſubjecta fuerit. Huic, ut libertatem vi ereptam reſtituerent Lacedæmonii, curabat Philippus hoc tempore; & ſanè miſeris, oppreſſiſque Populis jugum dejicere ſervitutis æquum videri poterat. Cur igitur Demoſthenes ob hujuſmodi factum, injuſtitiæ Regem inſimulat? Quoniam regionum Imperia non veteribus monumentis jam ſitu obſoletis, ſed longâ aſſerere poſſeſſione neceſſe eſt, ne ſemper maneant incerta.

[L] Nihil magis unquam Thebanis cordi fuit, quàm Bœotios in provinciam redigere, ſibique obtemperantes habere; nihil antiquius Bœotiis, quàm libertatem ſuam tueri. Hinc tot bella, & ſeditiones exortæ ſunt, ut alius erit commonendi locus. Igitur cum Philippus Orchomenum, Coronëamque duas Bœotiæ Civitates Thebanis dediſſet, id ſi Demoſthenes injuſtum eſſe arbitratur, nequaquam aberrat à veritate.

[M] Elatea, Urbs non parum illuſtris, jacebat in extrema Phocide ſub Œtæis Montibus, claudebatque in ipſam Phocidem, Bœotiamque aditum è Theſſalia; Nomen habuit ab Elato Arcadis filio, qui cæteris fratribus in paterno Regno relictis in hanc oram venit, urbemque condidit [q]. Poſtquam igitur Phocidem Philippus in poteſtatem redegit, fama erat Elateam velle munitionibus cingere, præſidioque ſuo detinere, ut iſtum quoque, nedum Pylarum tranſitum, quem ſtatim ab occupata Phocide habuit, in Græciam ſibi patefaceret. Video autem Demoſthenem prudentiâ ſuâ prævidiſſe, id modò Regem prætermiſſurum, ne nimiam de ſe ſuſpicionem commoveret, ſed alio confecturum tempore, ut accidit re verâ; etenim a. 3. O. 110. improviſò Urbem illam oppreſſit, ac totam confeſtim Atticam terrore implevit, ut narrat ſic Diodorus [r]. Eum Amphictyones incauto conſilio belli Ducem crea-

[q] *Pauſ. in Arcad.* [r] *Diod.* lib. xvi.

verant adversus Amphissenses, qui Cirrhæum agrum Deo dicatum colebant. Καὶ μετὰ ταῦτα εὐθὺς (ait Demosth. de Cor.) δύναμιν συλλέξας, ἦλθε παρελθὼν ὡς ἐπὶ τὴν Κιρραίαν, ἐρρωσθαι φράσας πολλὰ τοῖς Κιρραίοις, ἦλθε Λοκροῖς, τὴν Ελάτειαν κατελαμβάνει. Εἰ μὴ γὰρ μὴ μετέγνωσαν εὐθὺς Θηβαῖοι, ἦλθε μεθ' ἡμῶν ἐγένοντο, ὥσπερ χειμάρρους ἂν ἅπαν τοῦτο τὸ πρᾶγμα ἐς τὴν πόλιν εἰσέπεσε. *At deinceps, post acceptum Amphictyonici Imperatoris munus, repentè congregato exercitu, ac veluti contra Cirrhæam progressus, multùm vale dicens Locrensibus, Cirrhæisque, Elateam occupavit. Igitur nisi statim Thebani sententiam suam mutassent, ac sese nobiscum conjunxissent, pestis ista, ac labes, velut hyeme inflatum aquis flumen, in Rempublicam irruisset.* Adeo periculosum est, vires, auctoritatemque suam Potentioribus committere. Hoc timore Athenienses perculsi Theatralem pecuniam militari Ærario restituerunt; quodque Demosthenes tot Concionibus persuadere non potuit, illico metus obtinuit; nihil enim animi affectibus eloquentius. Rem ita narrat Philochorus in sexto Atticæ Historiæ libro apud Dionysium Halicarnassæum [f]: Λυσιμάχιδης Αχαρνεύς. Επὶ τούτου τὰ μὲν ἔργα τὰ περὶ τὰς ναυσοίκους, ἦλθε τὴν σκευοθήκην ἀνεβάλοντο διὰ τὸν πόλεμον τὸν πρὸς Φίλιππον. Τὰ δὲ χρήματα ἐψηφίσαντο πάντ' εἶναι στρατιωτικὰ, Δημοσθένους γράψαντος. Φιλίππου δὲ καταλαβόντος Ελάτειαν, ἦλθε Κωτίνιον, &c. *Lysimachus Acharnensis. Hoc Prætore Navalium, atque Armamentariorum fabricam distulerunt, belli causâ contra Philippum initi. Referente quoque Demosthene statuerunt, pecuniam omnem militarem esse. Nam cum Philippus Elateam, Cotiniumque cepisset &c.*

[N] De hac Philippi commutatâ in Phocenses voluntate, quos dudum vastitate, ruinis, ereptâque agri parte in extremas angustias adduxerat, ab uno Demosthene hoc loco certiores reddimur. Puto Regem, ad captandam humanitatis famam, deliniendosque Græcorum animos, ut ei Persici belli provinciam darent; ad cohibendam quoque Thebanorum audaciam,

[f] *Dionys. Epistola ad Amm.*

quos jam tum arbitror ſuſpectos habuiſſe, (ſiquidem paulo poſt in ipſum cum Athenienſibus conjurarunt), nunc Phocenſes benevolentiâ, & beneficiis proſequuntum fuiſſe.

[o] Satis eſt Urbium iſtarum loca, Amphipolis nempe, Olynthi, Pydnæ, Potidææ, aliarumque in Thracio litore, quibus Athenienſes Philippus deſpoliaverat, ſibi ante oculos ponere, ut hæc Demoſthenis ſententia palam ſit. Sic enim Macedonia contra finitimos Thraces, ejus infenſiſſimos hoſtes, latus contegebat. Sic à litore inimicas claſſes prohibere poterat.

[p] Thebanos, ac Bœotios hebetioris ingenii famâ laboraſſe multis diximus n. S. Orat. de Pace. Nunc, quod eſt apud Thebanum Pindarum addimus: τὴν παλαιὰ κακηγορίαν, Βοιωτίαν ὦν, ἀπολείψαντες: *Vetus convicium abſtergentes, Bœotiam fuem.* Quod verò de ipſorum avaritiâ Demoſthenes ait; de cupiditate retinendi, quæ à Philippo acceperant, nempe Orchomenum, Coronëam, ac partem agri Phocenſis intelligendum eſt. Thebanos itaque ob iſtam, quam ita appellat, avaritiam, & ne illa ſibi adimerentur, putabat Rex, nunquam à Macedonum ſocietate defecturos.

[q] Hanc legationem à Demoſthene obitam, ejuſque mittendæ cauſam, & quid in illa Orator egerit, ſuperiori n. E. relatum eſt.

[r] Anthemuntem Macedoniæ Urbem, de qua recuperatâ à Perdicca Rege mentio fit à Thucydide[t], Olynthiis Philippum conceſſiſſe puto a. 3. O. 105. quo & Pydnam iiſdem dono dedit, ut n. E. Olynth. primæ annotavimus. Tunc enim, cum officiis, ac liberalitate illos ſibi maximopere demereretur, credere par eſt hanc quoque Urbem Pydnæ muneri addidiſſe. Cæterum ejus donatæ Diodorus non meminit, nec quiſpiam alius, quem viderim.

[s] Potidæam Olynthiis promiſſam à Philippo, nos docet Hiſtoricus Sicilienſis, ut nuper laudato numero non reticuimus; At quo illam anno iiſdem conceſſerit, ignoratur. Id actum opinor an. 3. O. 105. cum ip-

[t] *Thucyd.* lib. ii.

ſam paulo poſt traditam Pydnam occupavit. Cur enim beneficii gratiam promptâ liberalitate non augeret, vel interpoſitâ morâ corrumperet?

[τ] Proditæ Olynthi ſcelus his verbis narrat Diodorus [a]: Ἐπὶ δὴ τῷ μεγίστῳ τῶν περὶ τὰς τόπους πόλεων Ὀλυνθον στρατεύσας μετὰ πολλῆς δυνάμεως τὸ μὲν πρῶτον νικήσας τοὺς Ὀλυνθίους δυσὶ μάχαις, συνέκλεισεν εἰς πολιορκίαν. Προσβολὰς δὲ συνεχεῖς ποιούμενος, πολλοὺς τῶν στρατιωτῶν ἀπέβαλεν ἐν ταῖς τειχομαχίαις. Τὸ δὲ τελευταῖον φθείρας χρήμασι τοὺς προεστηκότας τῶν Ολυνθίων Εὐθύκρατῷ τε καὶ Λασθένῃ, διὰ τούτων προδοθεῖσαν τῷ Ολύνθου ἔλαβε. Διαρπάσας δ' αὐτῶν, καὶ τοὺς ἀνοικοῦντας ἐξανδραποδισάμενος, ἐλαφυροπώλησε. *Contra maximam per ea loca Civitatum Olynthum Signa conferens cùm ingenti exercitu, primùm Cives duobus prœliis concuſſit, atque intra mœnia concluſit. Cum verò milites admovere mœnibus non ceſſaret, plures eorum deſiderabat. Denique corruptis pecuniâ Euthycrate, Laſtheneque, ſummum tum Olynthi Magiſtratum gerentibus, Urbem habuit. Direptam ſolo æquavit, Cives ſervituti addixit.* Demoſthenes rem magis enucleat, oſtenditque Prætores illos jampridem donis captos, eodemque fuiſſe ſcelere Civium alios ſordidatos. Lubet Oratoris verba deſcribere. Ἐπειδὴ δὲ δωροδοκεῖν ἤρξαντό τινες, καὶ δι' ἀβελτηρίαν οἱ πολλοὶ, μᾶλλον δὲ διὰ δυσχέρειαν, οὗτοι πιστοὶ ἔρως ἡγήσαντο τῶν ὑπὲρ αὐτῶν λεγόντων· Καὶ Λασθένης μὲν ἤρεψε τοῦ οἰκείου τοῖς ἐκ Μακεδονίας δοθεῖσι ξύλοις· Εὐθυκράτης δὲ βοῦς ἔτρεφε πολλὰς, τιμῶν ὑδενὶ δούς· Ἕτερος δέ τις ἦκεν ἔχων πρόβατα· Ἄλλος δέ τις ἵππους· Οἱ δὲ πολλοὶ, καὶ καθ' ὧν ταῦτα ἐγίγνετο, οὐχ ὅπως ἀργίζοντο, ἢ κολάζειν ἠξίουν τοὺς ταῦτα ποιοῦντας, ἀλλ' ἀπέβλεπον, ἐζήλουν, ἐθήμων, ἄνδρας ἡγοῦντο· Ἐπειδὴ ταῦθ' οὕτω προήγετο, καὶ τὸ δωροδοκεῖν ἐκράτησε, χιλίους μὲν ἱππέας κεκτημένοι, πλείους δ' ὀκτὼ μυρίους, πάντας δὲ τοὺς πελταστὰς ἔχοντες συμμάχους, μυρίους δὲ ξένους, καὶ τετρήρεσι πεντήκοντα ὑμῶν βοηθησάντων αὐτοῖς, καὶ ἔτι τῶν πολιτῶν τετρακισχιλίοις, ὑδὲν αὐτοὺς τούτων ἠδυνήθη σῶσαι, ἀλλὰ, &c. *Poſtquam verò nonnulli eæperunt muneribus affici, ac Plebi propter amentiam quan-*

[a] *Diod.* lib. xvi. *a.* 1. *O.* 108.

dam, vel potius propter i felicitatem illos ſibi fœderis res exiſtimare, quàm ipſius conſulentes ſaluti. Et poſtquam domum ſuam Laſthenes trabibus è Macedonia adductis contignavit; Euthycrates ſibi nullo pretio armenta Boum comparavit; quiſpiam alius Equorum; alius greges Ovium; Plebs autem, cujus damno hæc fiebant, non ſolùm hujuſmodi hominibus non iraſci, non pœnas infligere, ſed ſuſcipere, laudare, obſequio proſequi, virorum prudentiâ præditos exiſtimare. Poſtquam igitur res huc proceſſit, ac munera in Cives imperium tenuerunt, quanquam ipſi (Olynthii) *è domeſticis viribus Equites mille, Peditum pluſquam decem millia in Caſtris haberent, Finitimorum omnium ſocietate fruerentur, à nobis decem Mercenariorum militum millium, trium pariter noſtrorum Civium millium, quinquaginta Triremium auxilium accepiſſent; attamen nihil horum ſalutem ipſis afferre potuit; Sed, &c*[x].

[v] Magneſiam à Philippo Theſſalis dono datam, conjecturam fecimus n. K. Olynth. 2. Quod autem tunc opinati ſumus, certum nunc redditur ex hoc Demoſthenis loco, ubi id palam affirmatur. Quin etiam id munus Rex callidus, ac ſolertiſſimus Nicææ dono cumulavit, quo dono omnem de ſe amovere ſtuduit ſuſpicionem, ſi quam Theſſali haberent. Munitiſſimum quippe iis locum, & in ipſis Thermopylarum anguſtiis poſitum tradidit. Munitionem iſtam cum aliis circa Pylas, Phocenſes daturos ſe Athenienſibus promiſerant, ſi ab iis opem recepiſſent. Receptâ verò, fidem haudquaquam ſervarunt, ut nos Æſchines [y] commonefacit: Οὐ πολλῷ ὕ χρόνῳ πρὶν ἢ τλιὼ πρὸς ὑμᾶς εἰρήνλω γενέσθαι, πρίσβεις πρὸς ὑμᾶς ἦλθον ἐκ Φωκέων, βοηθεῖν αὐτοῖς κελεύσοντες, ἢ ἐπαγγελλόμενοι παραδώσειν Αλπωνὸν, ἢ Θρόνιον, ἢ Νίκαιαν, τὰ τῶν παρόδων τῶν εἰς Πύλας χωρία κύρια. Ψηφισαμένων δ' ὑμῶν, παραδῶναι Προξένῳ τῷ στρατηγῷ τὰς Φωκέας ταῦτα χωρία, ἢ πενλήκονλα πληρῶν τελήρεις, ἢ πὺς μέχρι τριακονλα ἔτη γεγονότας ἐξιέναι. Ἀνλὶ τῦ παραδῶναι τὰ χωρία προξένῳ,

[x] *Demoſth. de falſa legat.* [y] *Æſch. de falſa legat.*

ἔσπευσαν

ἔδησαν· οἱ Τύραννοι τὰς πρίσβεις τῶν ἐπαγγελαμένων ὑμῖν παραδώσειν τὰ φυλακήρια, &c. *Paulò antequam pacem feceritis, venerunt ad vos Phocenſium Legati, auxilium ſibi poſtulatum, renuntiatumque, ſe vobis Alponum, Thronium, Nicæam tradituros, quæ loca itineribus ad Pylas imminebant. Ea decreviſtis Proxenum Imperatorem à Phocenſibus accipere, ac ſimul iis auxiliatum ire cum Triremibus quinquaginta, quas omnes conſcenderent, qui Trigeſimum ætatis annum non ſuperaſſent. Verùm manitiones illas Proxeno non conſignarunt, earumque loco Tyranni Legatos in vincula conjecerunt, qui retulerant, vos in earundem poſſeſſionem immiſſum iri* &c. Nicææ nulla apud Herodotum, Thucydidem, Xenophontem mentio, proinde recens condita exiſtimari poteſt.

[x] Eodem anno, quo iſthæc Oratio dicta eſt, Philippus in Theſſaliam venit, quæ cum nunquam factionibus proſcindi deſiiſſet, iterum in unaquaque Civitate Tyrannis invaluerat; eaque pars, rerum potiebatur, quæ plus armis valeret. Μετὰ δὲ ταῦτα παρελθὼν εἰς τὴν Θετταλίαν, τὰς τῶν Τυράννων ἐκ τῶν πόλεων ἐκβαλὼν, ἰδίας ταῖς ἑκάσταις ἐποίησε τὰς Θετταλούς. *Deinde in Theſſaliam progreſſus ejecit è Civitatibus Tyrannos, ſibique benevolos hoc beneficio Theſſalos conſtituit*; Diodori teſtimonio. Tunc autem, ne rurſus Civium diviſione malum iſtud ingrueret, dubitari nequit unicuique Civitati Decemviratum præfeciſſe, de quo Demoſthenes in præſentia loquitur, novamque induxiſſe formam Reipublicæ. At ſi credimus Oratori noſtro, medicina ipſa morbum auxit.

Pag. 122. Lin. 24. Τὸν τὴν Πυλαίαν ἀποδόντα. Pylæa idem, ac Senatus Amphictyonum, è Pylis, ubi aliquando Senatus ipſe conveniebat, ut diximus, deſumptâ nuncupatione [z]. In hoc Theſſalos locum habuiſſe nemo dubitat, & nos retulimus n. B. Orat. de Pace. Quid igitur hoc rei eſt: Philippum hanc illis dignitatem dediſſe, ut nunc dicitur, ſi eâdem jamdiu honeſtaban-

[z] *Æſych. Strabo*, lib. viii, ix.

tur? In tanta hujuſmodi facti obſcuritate, quaſi per caliginem mihi videre videor, non de Senatoria in eo Conventu auctoritate Demoſthenem loqui (hanc enim tum temporis obtinuiſſe Theſſalos Æſchinis teſtimonio accepimus *.) Verùm de aliqua donorum parte, aut pecuniæ munere, quibus Rex frueretur, ut Pythiorum ludorum præſes, quos etiam Pylææ nomine contineri non dubito, ſiquidem ad Pylagoras, & ad Amphictyonum conſeſſum pertinebant. Ut iſtuc mentem adducam, id in cauſa eſt, quod niſi de aliquo pecuniæ, aut rerum emolumento agat Orator, inſulsè in vicem oppoſuiſſet Amphictyonicam poteſtatem, ac Theſſalorum vectigalia. Quæ enim hujuſmodi foret illatio? Theſſali Pylææ dignitate à Philippo aucti, nunquam putarunt Portoria ſibi ademptum iri. Debet enim in eadem ſpecie ſibi ſententia adverſari; ut aliud iſtud eodem loco venuſtè dicitur: putandum non erat, ut qui Magneſiam, ac propria Theſſalis dabat, ipſis quæ ſua erant erepturum. Deinde novum non eſt, donorum, & hoſtiarum partem iis cedere, qui Sacrorum Præfecturam gerebant.

Quod verò paulò poſt Orator habet ſalutem Reipublicæ, ac libertatem cautè tuendam, eâque in re nemini fidendum eſſe, plenum eſt conſilii, ſagacitatis, prudentiæ. Memini hanc fuiſſe ſententiam Iphicratis Ephialtæ filii, cum ſanciendæ pacis cum Lacedæmoniis ei curam Athenienſes commiſerunt: *κ᾽ γὰρ ἐκεῖνόν, φασιν, ἐξαπατᾶν τι τῶν Λακεδαιμονίων, κ᾽ προλιπάνθων πίστιν ὧ τινα βούλεσθαι λαμβάνειν, εἰπεῖν· Ὅτι πίστιν ἂν οἴεσθαι γενέσθαι μόνην, εἰ δείξαιεν, ὅπως, ἂν ἀδικεῖν βούλωνται, μὴ δυνήσονται, ἐπεὶ, ὅτί γε βουλήσονται, εὖ οἶδ᾽ ἔνα, ἕως ἂν ἔχ δυνῶνται, πίστιν οὐκ ἔσεσθαι. Etenim inquiunt; cum Lacedæmonii quapiam in re ſubdolè agerent, ac præ ſe ferrent, quamcunque ab ipſis caperet* avertendæ fraudis *fidem caperet; illum dixiſſe: hanc ſolam idoneam fidem putare, ſi oſtenderent, nunquam ipſorum fore poteſtatis malè ſe gerere, etiamſi vellent. Nam quòd vellent, haudquaquam dubitare. Nullam igitur habiturum*

* *Vide n.* 8. *Orat. de Pace.*

fidem,

fidem, quoad malum agere poſſint. Ita refert Demoſthenes [b].

[y] Æſchinem carpit, cæteroſque Legatos, qui magnifica illa promiſſa, ſuperiùs memorata, à Philippo retulerant.

[z] Hæc ſecunda Legatio eſt, quam Demoſthenes, Æſchines, aliique octo ad Regem Philippum obierunt, cui aliquâ diligentiâ enarrandæ verbis non perpercimus n. 9. Orat. de Pace.

[a] Inter Demoſthenis Adverſarios, qui iſtud in eum ſcomma jacebant, de quo nunc habetur ſermo, princeps erat Philocrates, ut ipſe ait in Oratione de falſa Legatione [c]: ἐπανασὰς δ' ὁ Φιλοκράτης μείζονα ὑβρισικῶς, ὑδὶν ἔφη, θαυμαστὸν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μὴ τἀυτὰ ἡμοὶ καὶ Δημοσθένει δοκεῖν. Οὗτος μὲν γὰρ ὕδωρ, ἐγὼ δ' οἶνον πίνω. Καὶ ὑμεῖς ἐγελᾶτε. *Cum ſurrexiſſet Philocrates valdè petulanter, nihil mirum eſt, Athenienſes, dixit, ſi diverſam à Demoſthene ſententiam habeo; hic enim aquam, ego vinum bibo. Id autem vos riſu proſequebamini.* Oratorem noſtrum fuiſſe abſtemium tradunt Lucianus, & Plutarchus [d]. At cur iſtud veluti quid contumelioſum objicerent non ſatis video. Fortaſſe Oratores ad elucubrandum pigros, hebetioreſque exiſtimabant, qui vino mentem non exhilaraſſent, ut Poetis id opus eſſe Flaccus arbitratur.

Ennius ipſe pater nunquam niſi potus ad arma
Proſiliit.

Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus.

Sunt Horatii verba. Contra verò, qui à vino abſtinent, acutioris ingenii eſſe putat Servius, Demoſthenis, & Lycurgi Spartani exemplo, ad illum Virgilii verſum in 3. Ænead.

acri quondam regnata Lycurgo.

Noſtrum non eſt litem dirimere, quam non æquo utrinque numero Patroni tuebuntur.

[b] Cum per ea tempora navigandi ars prætergreſſa non eſſet puerilia, ut ita dicam, inſtituta, & perquàm

[b] *Demoſth. Ariſtocrat.* [c] *Demoſth. de falſa legat.* [d] *Plutarch. in vitâ Lucian. in Elogio Demoſth.*

rarò

rarò velivolæ naves altum tenerent, actâ remis navigia litus legebant. Idcirco Græcis per Ægæum navigantibus difficile, atque incommodum erat Athos, & Cherſoneſi peninſulam circuire, ſeu quod longius iter, ſeu quod reflantibus ventis naufragii periculum obirent naves. Hinc ſæpius à Græcis tentatum, utrumque iſthmum perfodere, ſed irrito conatu. Nam poſuit natura inſuperabiles aliquot rerum terminos. Id opus ſe perfecturum promiſerat Magnanimus Philippus. Quin & locus ducendæ foſſæ deſcriptus fuit: Καί τοι Χερρονήσου ὁι ὅροι, ſcribit auctor [e] Orationis de Haloneſo, εἰσὶν οὐκ ἀγορᾶ, ἀλλ' ὁ βωμὸς τοῦ Διὸς τοῦ ὁρίου, ὃς ἐστι μεταξὺ Πτελεοῦ, καὶ λευκῆς ἀκτῆς, ἧ ἡ διορυχὴ ἔμελλε Χερρονήσου ἔσεσθαι, ὥστε τὸ ἐπίγραμμα τὸ ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τοῦ Διὸς τοῦ ὁρίου δηλοῖ. *Cherſoneſi fines haud ſunt Forum, ſed ara Jovis Montani. quæ jacet inter Pteleum, & album litus, ubi perfoſſio futura erat Cherſoneſi, ut Epigramma oſtendit, ejuſdem Montani Jovis Aræ inſcriptum.*

[c] Ipſum Demoſthenem audiamus locum iſtum ſatis diligenter explicantem [f]. Poſtquam enim relatas ab Æſchine ingentes illas, à nobis enarratas, & à Philippo factas Reipublicæ promiſſiones deſcripſit, hæc ſtatim verba ſubjicit: Εὐδοκιμῶν δ' ἐπὶ τούτοις εἰκότως, καὶ δοκῶν μὲν ῥήτωρ ἄριστος εἶναι, καὶ ἀνὴρ θαυμαστὸς, παρέδη μάλα σεμνώς. Ἀναστὰς δ' ἐγὼ, ταῦτά τε οὐκ ἔφλυον οἰδένα, καὶ ἐπερώμενον τὶ λέγειν τούτων, ὧν εἰς τὴν βουλὴν ἀπηγγείλατε. Καὶ παρασὰς ὁ μὲν, ἔνθεν, ὁ δ', ἔνθεν, ὑποσὶ καὶ φιλοκρώτης, ἐβόων, ἐξέκρουόν με, τελώνας ἐλαύνοντες. Ὑμεῖς δ' ἐγελᾶτε, καὶ ὅτ' οὐκέτ' ἠθέλετε, ὅτε πιστεύειν ἐβούλεσθε ἄλλα, πλὴν ἃ ὑμῖν ἀπηγγέλκει, καὶ νὴ τοὺς θεοὺς, εἰκὸς τι παθεῖν ἐμοί γ' ἐδοκεῖτε. Τίς γὰρ ἂν ἠνέσχετο, τηλικαῦτα, καὶ τοσαῦτα ἔσεσθαι προσδοκῶν ἀγαθὰ, ἢ ταῦθ' ὡς οὐκ ἔσται λέγοντός τινος, ἢ κατηγοροῦντος τῶν πεπραγμένων τούτοις; *Cum ſuper his* (Æſchines) *meritò benè audiret, atque optimus eſſe Orator, vir admiratione dignus videretur, perquàm tumidus deſcendit. Ego verò ad dicendum ſurgens, me quidem nihil horum conſcium*

[e] *Orat. de Halori apud Demoſth.* [f] *Demoſth. de falſa legat.*

eſſe

eſſe renuntiavi, eaque referre conatus ſum, quorum certiorem Senatum feci. Cum illico hinc unus, illinc alter, & hic ipſe Philocrates commoti, clamare, me deterrere, demum irridere. Vos autem ridebatis, nec me audire, nec aliud quicquam voluiſtis credere, quàm quæ iſte retulerat. Et ſanè per Deos immortales id peragi à vobis conſentaneum mihi videbatur. Quis enim ſe cohibuiſſet inflatus ſpe, hujuſmodi ſibi utilitates obventuras; eique non iraſceretur, qui eadem ipſa negaret unquam fore, illoſque reprehenderet, qui hæc fieri curaſſent?

DE CHERSONESI REBUS IN ARGUMENTUM.

[A] HUic Orationi graviſſimæ quidem, atque admirabili, annus 3. O. 109. aſſignandus eſt. Scribit enim Dionyſius [g]. μετὰ Πυθοδότον ἐστὶ Σωσιγένης, ἐφ' ἧ τῷ ἐνιαύτῳ διελήλυθε καὶ ὁ Φιλίππου δημηγορίαν περὶ τῶν ἐν Χερρονήσῳ στρατιωτῶν, ἵνα μὴ διαλυθῇ τὸ μετὰ Διοπείθους ξενικόν. Ἀρχὴν ἔχουσα ταύτην· Ἔδει μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὰς λέγοντας ἅπαντας ἐν ὑμῖν, μήτε πρὸς ἔχθραν ποιεῖσθαι λόγον μηδένα, μητε πρὸς χάριν. *Poſt Pythodotum Soſigenes* Prætor *fuit, ſub quo nonam contra Philippum habuit Orationem de Militibus in Cherſoneſo degentibus, ne Peregrinorum Copiæ, quæ Ducem habent Diopithem, dimittantur. Quæ Oratio ſic incipit:* Ἔδει μὲν, &c. Soſigenes autem Præturam geſſit memorato a. 3. O. 109. ut Diodorus [h] eſt auctor. Quanquam & ipſa Oratio tempus ſuum prodit. Demoſthenes enim ſtatim atque ad dicendum aggreditur, clamat Philippum per undecim jam menſes Thraciæ bellum gerere. Cum igitur hanc expeditionem ſuſceperit ann. 2. ejuſdem Olympiad. 109. neceſſariò Demoſthenem inſequenti anno Concionem iſtam protuliſſe dicendum eſt. Sic autem Diodorus [i] ad memoratum annum ſecundum ſcribit: Καὶ ἐπὶ τούτου Μακεδονίαν, Φίλιππος τὰς ἐπὶ Θρᾴκῃ πόλεις ἑλληνίδας εἰς εὔνοιαν προσκαλεσάμενος, ἐστράτευσεν ἐπὶ Θρᾴκην. Κερσοβλέπτης γὰρ ὁ Βασιλεὺς τῶν Θρᾳκῶν διεῖλε τὰς ἐφ' Ελλησπόντῳ πόλεις ὁμορούσας τῇ Θρᾴκῃ καταστρεφόμενος, ἐν τούτῳ χώραν καταφθείρων. Βυλόμενος οὖν ἐμπεράξαι τῶν Βαρβάρων τούτῳ ὁρμῶν, ἐστράτευσεν

[g] *Dionyſ. Halicarn. Epiſtola ad Amm.* [h] *Diod.* lib. xvi.
[i] *ut ſupra.*

ἐπ'

ἐπ' ἀνατὰς σὺν πολλῇ δυνάμει. Νικήσας ἢ μάλιστα μάχαις τοὺς Θρᾷκας, τοῖς μὲν παλαιοπολεμηθεῖσι βαρβάροις πρεσβείαις δικάτας τελεῖν τοῖς Μακεδόσι. Αὐτὸς δ' ἐν τοῖς ἐπικαίροις τόποις πόλεις ἐξιηλόγει πάλαι, ἐπαυσε τοὺς Θρᾷκας. Διόπερ αἱ τῶν Ἑλλήνων πόλεις ἐπολλυθοῦσαι τῶν Φόβων, εἰς τὴν συμμαχίαν τῷ Φιλίππῳ προσθυμότατα καθίστασαν. *Dum esset in Macedonia Philippus, græcas in Thracia Urbes ad sui benevolentiam invitavit, ac deinde bello Thraciam petivit. Etenim Kersobleptes Thracum Rex circa Hellespontum Civitates evertebat Thraciæ finitimas, diripiebatque regionem. Cupiens igitur frangere Barbarorum impetum, contra ipsos movit ingenti exercitu; superatisque Thracibus non uno prælio, Victis imperavit, Decimas persolvere Macedonibus. Ipse verò, ubi opportunum existimavit, conditis Oppidis, Thraces cœrcuit. Quare Græcorum* per ea loca *Civitates metu* Barbarorum *liberatæ summâ alacritate in Philippi societatem concessêrunt.*

Quod verò ad argumentum attinet, jampridem retulimus, Kersobleptem a. 4. O. 106. Chersonesum Athenienſibus donasse, exceptâ Cardianorum urbe, quanquam hanc etiam illi vetuſto ad ſe jure pertinere arbitrarentur. Anno igitur ſecundo O. 109. ut diximus, cum Philippus Kersobleptem in ordinem coegiſſet, Cardiani ſibi ab Athenienſium Copiis metuentes, Macedonico fœdere ſe communierant. Nihilo tamen ſecius Diopithes, qui pridem in Chersonesum duxerat Athenienſium Colonos, occaſionem nactus, cum Rex longè in Thracia gravi detineretur bello, Colonos ipſos Cardiæ quoque collocare ſtatuit. Reſiſtunt Cives, Diopithes Urbem aggreditur; implorant illi Macedonis opem, qui cum ſeſe à Thracico bello expedire nondum poſſet, per Legatos Athenis orat Sociorum cauſam, ac Diopithem violatæ pacis pendere pœnas poſcit. Adſunt Philippo capti muneribus Oratores; Colonorum Imperatori Demoſthenes. Quem exitum cauſa habuerit nemo tradit; verùm ſecundum Diopithem arbitror Judicium datum. Quippe è quarta Philippica, quæ anno quarto laudatæ Olympiadis dicta

dicta eſt, colligitur, adhuc in Cherſoneſo exercituni ſuum retinere, quin & Ulpianus [1] id manifeſtè affirmat.

[2] Thraciæ Cherſoneſus, id eſt Peninſula, qua parte cum ipſa Thracia conjungitur incertos habuit fines. Cum enim Cardiani, qui urbem illius regionis maximam in iſthmo poſitam incolebant, Thraciæ provinciæ, non Cherſoneſi reputari vellent, ac proinde anguſtiores huic terminos deſcriberent; non una fuit in iiſdem aſſignandis hominum mens, ut ex iis verbis Orationis de falſa Legatione, quæ nota ultima ſuperioris Orat. Retulimus, cognoſcitur. Regio erat ad fauces Helleſponti ſita, quapropter nullus miror, ſi de ipſa retinenda & Thraces, & Philippus, & Athenienſes adeo laborabant. Urbes in ea ſplendidiores, præter Cardiam, fuerunt Seſtus, Eleuntes, Madytus, Alopeconeſus. Athenienſium primus illam habuit Miltiades Cypſeli filius. Rem ita accidiſſe narrat Herodotus [3]. Cherſoneſum obtinebant Dolonei Thraces, ſed ab Abſinthiis diuturno bello preſſi, ac profligati. Legati igitur à ſuis Regibus Dolonei Delphos venerunt, Oraculum conſulturi. Pythia reſpondit, eum ſibi Regem imponerent, à quo primum hoſpitio reciperentur. Per Phocidem, Bœotiamque ſacrâ viâ iter facientes nemo illos Domum ſuam invitavit. Athenas profectos vix dum Miltiades ignotas intuitus veſtes, humaniter ad ſe vocavit. Illi & Oraculi monitu, & ejus illecti benevolentiâ, hoſpiti Cherſoneſi Regnum detulerunt. Attonitum rei novitate, expoſitis fatidicis vocibus, ſecum navem conſcendere, Imperium vel ipſo auctore Apolline ſuſcepturum, hortati ſunt. Tyrannidis, quam tunc Athenis Piſiſtratus exercebat, pertæſus morem Miltiades geſſit Legatis. Cherſonenſes autem audito Phœbi Oraculo, ſummâ animorum alacritate ipſum circa ſexageſimam Olympiadem Regem ſibi conſtituerunt. Commotam de ſe expectationem præclarè ſuſtinuit; ſiquidem Abſinthi-

[1] *Ulp. in enarr. Philippicæ 4.* [3] *Herod. in Erato.*

os oppreſſit, Finitimos perculſit, maximam ſibi gloriam, otium Cherſoneſo ejus anguſtiis muro clauſis, comparavit. Mortuo Heroum honores, Sacra, Templum ab ea gente conſtituta ſunt. Sine Liberis fato defunctus, Regnum reliquit Steſagoræ Cimonis filio, ſui è matre germani. Quo, filiis pariter orbo, per inſidias necato à quodam transfuga, Piſiſtratidæ Miltiadem maximum illum Ducem, Steſagoræ fratrem, ad Cherſonenſes miſerunt, ab iiſque libenter Regiâ auctoritate honeſtatus eſt. Verùm Dario Perſarum Rege, dum in Græciam tranſmitteret innumerabilem exercitum, hoſtiliter omnem illam, oram depopulante, cum regionem ſuam tueri non poſſet, Athenas rediit; Perſa Cherſoneſi potitus eſt. Cum autem apud Marathonem ipſo Miltiade Duce atrociter profligatus Europam deſeruiſſet, Cherſoneſus iterum ab eodem Imperatore Athenienſibus aſſeritur, ipſorumque deinceps eſſe vel ipſi Medorum Reges non detrectarunt, ut ait Demoſthenes [a]: Φέρε δὴ νυνὶ εἰς Χερρόνησον, ὃν βασιλεὺς, καὶ πάντες οἱ Ἕλληνες ὑμετέραν ὁμολογοῦσιν εἶναι, ξένους ἐκπέμπει, καὶ βοηθῶν ὁμολογεῖ, καὶ ἐπιστέλλει ταῦτα, τί ποιεῖ; φησὶ μὲν γὰρ οὐ πολεμεῖν. *Age verò, quando nunc peregrinos Milites in Cherſoneſum, quam Perſarum Rex, omneſque Græci noſtram eſſe fatentur, immittit, & auxilium* Cardianis *ferre profitetur, idque nobis etiam literis nuntiat, quid agit? dicit autem ſe bellum non gerere.* Deinde negari non poteſt in Thracum Regum poteſtatem conceſſiſſe; idque factum opinor, cum poſt bellum Peloponeſiacum tantæ illæ Athenienſis Reipublicæ tenebræ fuerunt. Sed cum iterum novâ felicitatis luce perfuſa eſt, illicò ad recuperandam Cherſoneſum adjecit animum; atque idcirco Charidemum fovit, à quo ipſam ſibi reſtitutum iri arbitrabatur [b]; re tamen infectâ, Coty Rege, qui tum provinciæ imperabat, obnitente. Donec illam à Kerſoblepte accepit, Cardia tamen retentâ. Hinc Philippo ejuſdem peninſulæ occupandæ occaſio, ſtu-

[a] *Demoſth. Philip.* 4. [b] *Demoſth. ad Ariſtocrat.*

dium,

dium, molitio; hinc Athenienſibus tuendæ ſolicitudo, cura, cogitatio; quod ipſis feliciter contigit ob navale robur, atque illorum hominum in Rempublicam benevolentiam, quam pro ſua gravi cum Cardianis Athenienſium hoſtibus æmulatione vehementiùs retinebant. Quamobrem cum Philippus Byzantium obſediſſet, atque illi timerent, ſi in poteſtatem redigeret, malè ſibi à Cardianis fore; Urbe ab Athenienſibus liberatâ, tantis lætitiis inceſſit Cherſoneſi Gens, ut ſummis honoribus pro accepto beneficio eoſdem Athenienſes fuerit proſequuta. Profectò Decretum ipſum nobis à Demoſthene * renuntiatum, operæ pretium eſt audire. Sic autem habet: Ψήφισμα Χερρονησιτῶν. Χερρονησιτῶν οἱ ἐπιμελεῖς Σήσου, Ελαιοῦντα, Μαδύτου, Αλωπεκόννησον, στεφανῶσιν Αθηναίων τὸν δῆμον χρυσῷ στεφάνῳ, ἀπὸ ταλάντων ἑξήκοντα, καὶ θέσθαι βωμὸν ἱδρύσθαι, καὶ δῆμῳ Αθηναίων, ὅτι πάντων μέγιστον ἀγαθῶν παρέσχηται γένους Χερρονησίτου, ἐξελόμενος ἐκ τῆς φιλίππου, καὶ ἀποδοὺς τοὺς πολείτας, τοὺς νόμους, τὴν ἐλευθερίαν, τὰ ἱερά. Καὶ ἐν τῷ μετὰ ταῦτα αἰῶνι πάντι ἐπ ἐλλείψει ἐυχαριστῶν, καὶ πάντων ὅ, τι ἂν δύνηται ἀγαθόν. Ταῦτα ἐψηφίσαντο καινῷ βουλευτηρίῳ. *Decretum Cherſonenſium. Cherſonenſes qui Seſtum, Eleuntem, Madytum, Alopeconeſum habitant, coronant auream coronam ſexaginta talentorum pondere Senatum, Populumque Athenienſem; ac extruendam decernunt aram Gratiæ, & Populo Athenienſi, quòd Cherſonenſibus maximum bonorum omnium perfecerit, ab ipſis depellens Philippi jugum, ac reſtituens Patriam, leges, libertatem, Sacra. In perpetuum verò non deſinent ei gratias agere, atque habere, cunctiſque illum beneficiis proſequi, quantum fuerit ſuarum virium. Hæc in communi Senatu decreverunt.*

[c] De Cardianis ſatis ſuperque loquuti ſumus in annotationibus ad Orationem de Pace, p. 328.

[d] Philippus occupatis Pydnâ, Potidæâ, Amphipoli, ac tot aliis Civitatibus, Athenienſium fœderatis, de quibus pluries facta eſt mentio, maximam Thraciæ litoris

* *Demoſth. pro Corona.*

partem

partem adjecerat ad Imperium ſuum, magno ſplendoris incremento; majori, potentiæ; maximo, ſecuritatis.

[E] Odryſarum Regno nemo Thracum Regum par habuit Imperium, non viribus, non dignitate, non opibus, non magnitudine. Deſcribitur à Thucydide [P], ejuſque oram maritimam ab Abderitarum Urbe ad oſtium Iſtri fluminis quatuor dierum, ac totidem noctium navigatione prætervehi poſſe ſcribit ab oneraria navi, ſi breviſſimum curſum teneat, & valido vento à puppi circumferatur; terreſtri autem itinere, ſi rectà vir expeditus prætergrediatur, undecim diebus peragrari. Tredecim verò à Byzantio ad Leæos, & ultra Strymonem fluvium, ubi quàm longiſſimè à mari diſtat. Tributi nomine Seuthem Regem (qui ejuſdem Thucydidis ætate vixit) à Græcis in Thracia Urbibus, ab ipſiſque Barbaris quadringenta accepiſſe talenta ſignatæ pecuniæ, ac totidem, ſi auri, argentique munera æſtimarentur, præter cujuſcunque generis veſtes innumeras. His denique verbis narrationem concludit: ὥστε ἐπὶ μέγα ἡ Βασιλεία ἦλθεν ἰσχύος. Τῶν γὰρ ἐν τῇ Εὐρώπῃ ὅσαι μεταξὺ τοῦ Ἰονίου κόλπου, καὶ τοῦ Εὐξείνου πόντου μεγίστη ἐγένετο χρημάτων προσόδῳ, καὶ τῇ ἄλλῃ εὐδαιμονίᾳ. Ἰσχύι δὲ μάχης, καὶ στρατοῦ πλήθει, πολὺ δευτέρα μετὰ τὴν Σκυθῶν. *Adeo ut Regnum ad magnum potentiæ robur pervenerit. Omnium enim, quæ ſunt in Europa inter Ionium ſinum, Euxinumque pontum, & Ærario, & omni aliâ felicitate maximum fuit; at pugnandi robore, & militum Copiis, ſecundum locum habet, & longiùs quidem à Scytharum Regno.*

IN ORATIONEM.

[F] CONſule n. [A]. ubi rem enucleavimus.

[G] Athenis, ut Romæ, publicum Civitatis Conſilium Senatus conſtitutus eſt, qui in populari

P. *Thucyd.* lib. iii.

Republica Plebis auctoritatem regeret, quid ejus intereſſet commoneret, ac veluti facem rebus agendis præferret. De Athenienſi locuples adeo ſermo eſt apud maximum Sigonium [q], ut inde hauriant neceſſe eſt, qui in hoc argumento verſantur; aliqua tamen addemus. Senatum igitur Athenis inſtituit, qui optima quæque tradidit huic Reipublicæ, Solon [r]. E quadringentis Viris, centum è qualibet Tribu, quæ tum temporis quatuor ſolùm fuerunt, compoſuit. Deinde Civibus in decem Tribus diviſis, Cliſthenes auctor fuit, ut ſelectis ex earum qualibet quinquaginta Senatoribus, omnium numerus quingenti forent, unde ἡ τῶν πενταποσίων βουλὴ *Senatus quingentorum* appellatus eſt. Quotannis eligebatur, & ſorte quidem. Hæc autem ſortiendi ratio. Singularum Tribuum Curatores Civium ſuorum nomina, qui per ætatem poſſent, aut ipſi vellent in Senatum cooptari, ſingillatim æneis tabellis inſcribebant, quibus in urnam conjectis, ut quiſque educebatur, ex altera urnâ tot fabis refertâ, quot in illa primâ fuerunt nomina quinquagenis autem albis, reliquis nigris, fabam ſuam accipiebat, quæ ſi alba foret, inter Candidatos ille connumerabatur. Quamobrem τοὺς βουλεύοντας ἀπὸ κυάμου, *Senatores à faba* ſæpius eos vocat Thucydides, & Andocides [s]. Deinde cujuſque Candidati mores, & vita, veteris Senatus Judicio ſubjiciebantur, qui ſi eſſent probati, ille Senator renuntiabatur, ſi reprobati ſubſortiebantur alium atque illud Judicium δοκιμασίαν vocabant. Demum ſolemni jurejurando profitebantur, Reipublicæ ſe conſulturos, Civium neminem in vincula conjecturos, niſi proditionis, aut peculatus causâ. Quæ omnia paucis his verbis Demoſthenes [t] complectitur. Προσληλυθότος δὲ χρόνου λαγχάνει βουλεύειν Ἀπολλόδωρος. Δοκιμασθεὶς δὲ, καὶ ὀμόσας τὸν νόμιμον ὅρκον, συμβάλλος τῇ πόλει καλῶς ποιοῦντι, &c. *Poſt ubi tempus proceſſit, Apollodorus ſorte educitur in Senatum, Judicio probatur, jurat legitimum jusjurandum, cum hujuſmodi*

[q] *Sig.* lib. ii. *C.* 3. *de Rep. Athen.* [r] *Plutarch. in vita Solonis.* [s] *Thucyd.* lib. viii. & *alibi Andoc. Orat. de Myſt.* [t] *Demoſth. in Neær.*

ſe

ſe offert occaſio Reipublicæ, &c. Ætas Senatoria triginta fuit annorum, ut à Xenophonte [a] docemur, dum ita ſcribit: ἢ ὁ Σωκράτης, ἵνα πίνω, ἔφη, μὴ ἀμφίβολον ᾖ, ὡς ἄλλο τι ποιῶ, ἢ τὰ προαγορεύομενα; ἐξίστατό μοι μέχρι πόσων ἐτῶν δεῖ νομίζειν νέους εἶναι τὴν ἀνθρώπινον. Καὶ ὁ Χαρικλῆς. Ὅσων περ, εἶπε, χρὴ βουλεύειν ἤδη ἔξεστιν, ὡς οὕτω φρονίμοις οὖσι. Μηδὲ σὺ διαλίγου νεωτέροις τριάκοντα ἐτῶν. *Et Socrates, ne igitur, inquit, dubium ſit, an aliquid faciam, quàm quæ prænunciata ſunt, definita mihi, quibus annis adoleſcentiam ad virilem non tranſgredi ætatem putandum ſit. Et Charicles, iis nimirum, dixit, quibus in Senatum legi nequaquam licet, cum nondum prudentiam ſint conſequuti. Tu* ait, *de illis non loqueris, qui ad annum trigeſimum non pervenerunt.* Senatoris munus annuum erat, quo præterito, an per aliquot annos ab eo vacarent, nemo tradit, ſed vacaſſe opinor, ne anguſtiorem cæteris facerent hujuſce dignitatis locum. Senatu autem movebantur vel dum ſenatoriâ exornarentur authoritate, quicunque aliquo ſe crimine obſtrinxiſſent; idque ἐκφυλλοφορεῖν dicebatur. Εἰ ἐδοκεῖ, ſunt Harpocrationis [x] verba, τις τῶν βουλευτῶν ἀδικεῖν, διεψηφίζετο ἡ βουλὴ περὶ αὐτοῦ, εἰ χρὴ αὐτὸν μηκέτι βουλεύειν. Αντὶ δὲ ψήφων, φύλλοις ἐχρῶντο, δι' ὧν ἕκαστοι ἐπεσημήναντο τῷ ἑαυτοῦ γνώμῳ. *Si Senatorum quiſpiam malè agere videretur, Senatus de ipſo ferebat ſuffragia, an Senatu dejiciendus eſſet. At calculorum loco foliis utebatur, quibus unuſquiſque aperiebat ſententiam ſuam.* Qua de re fit etiam mentio à Demoſthene, & Æſchine [y]. Senatus quæ foret authoritas narrat vir graviſſimus, ac politiſſimus Xenophon [z]: τῷ δὲ Βουλῇ βουλεύεσθαι πολλὰ μὲν περὶ τοῦ πολέμου, πολλὰ δὲ περὶ πόρου χρημάτων, πολλὰ δὲ περὶ νόμων θέσεως, πολλὰ δὲ περὶ τῶν καλῶς πόλιν αἰεὶ γιγνομένων, πολλὰ δὲ καὶ τοῖς σύμμαχοις, καὶ φόρου δέξασθαι, καὶ νεωρίων ἐπιμεληθῆναι, καὶ ἱερῶν. *Senatum verò multa de bello decernere, de comparanda pecunia, de ſtatu legum, de iis, quæ ſemper improviſò accidunt in Republica, de Sociis. Ejus quoque eſt tributa*

[a] *Xenoph. memorab. l. 1.* [x] *Harpocr. verba.* [y] *Demoſth. in Neær. Æſch. in Timarch.* [z] *Xenoph. de Rep. Athen.*

ſuſcipere, Navalium, rerumque ſacrarum curam gerere. Rurſus ad Senatum pertinebat eos deſcribere, qui ob rei familiaris anguſtias ἀδυώπαι vocabantur [a], & duos quotidie obolos ab Ærario accipiebant [b]; quam pecuniam judico Theatralem illam fuiſſe, de qua non ſemel loquuti ſumus; idque non temerè, nam cum Ariſtoteles unum duntaxat obolum victus causâ illos habuiſſe dicat, duos Harpocration, utriuſque teſtimonium inter ſe componitur, ſi alterum victus, alterum Theatri nomine datus intelligatur; quæ quidem Theatralis erat pecunia, ut ſupra oſtendimus. De iis etiam criminibus, ut latiùs quod mox è Xenophonte attulimus, explicemus, in Senatu judicium erat, quæ aliquis in dies committeret, quorumque nulla eſſet pœna legibus conſtituta, ut Pollux [c] tradit. Demum ea maxima fuit ejuſdem Senatus auctoritas, ut nihil de gravioribus rebus, aut externis in Concione proponeretur, de quo Senatuſconſultum non præceſſiſſet, niſi rarò admodum neceſſitas aliter ſuaderet. Οὐ δέ γε πολὺς χρόνος, affero Demoſthenis [d] teſtimonium, ἴσον ἐς' ἀδίκημα ὀλιγαρχίας, ἢ Τύραννος παρελέσθαι, ἢ ὑμῶν. Οὐδ' ὀλίγου γε δεῖ. Ἐν ἐκείναις γὰρ οἶμαι ταῖς πολιτείαις πάντα ἐξ ἐπιλόγματος ὀξέως γίνεται. Τμῶν δὲ, πρῶτον μὲν περὶ πάντων τοῦ βελτίω ἀκοῦσαι, ἢ προβουλεῦσαι δεῖ. Καὶ τοῦτ', ὅταν ἢ κήρυξι, ἢ πρεσβείαις προσαγεγραμμένον, οὐκ ἀεί. Εἶτ' ἐκκλησίαν ποιῆσαι. *Non æquè erratur præripiendo vobis agendi tempora, atque Oligarchiis, aut Tyrannidi. Nec res parum differt. In utraque nimirum iſtâ gubernandi formâ cuncta celeri fiunt Imperio. Apud vos autem primùm neceſſe eſt, ut de rebus omnibus certior fiat Senatus, intercedatque Senatuſconſultum; atque iſtud non ſemper, ſed cum à Caduceatoribus, aut Legatis quidpiam affertur. Deinde ut Concio habeatur.* Re propoſitâ, ſententiæ rogabantur habitâ dignitatis, ætatiſque ratione. Decretum ſcribebatur, in ejuſque fronte Tribus, quæ Prytaneatum gerebat, Menſis, Archontis, & ipſius decreti

[a] *Æſch. in Timar.* [b] *Arpocration.* [c] *Pollux Onomaſt*, l. viii. [d] *Demoſth. de falſa legat.*

auctoris nomina legebantur. Inita deinde ſuffragia, idque ratum, quod majorem ipſorum partem obtinuiſſet. Senatus decreta, ut Romæ Prætorum, eo ſolùm tempore manebant, quo ipſe eorundem auctor Senatus; & cum huic ſuccedebatur, illis pariter vis deerat, niſi prius Populi ſcitum acceſſiſſet; tunc ſiquidem perpetuâ Legis auctoritate pollebant. Ei Prytanes, Proedri, Epiſtata præerant, eandemque in eo conſeſſu poteſtatem obtinebant, quam in totius Populi Concione. Huic autem poteſtati enarrandæ ſupersedemus, cum abunde huic argumento ſatisfecerimus Pag. 100. n. [D] Orat. 1. contra Philip. Tribus, anno ineunte, quotannis Prytaneatum ſortiebantur, & quem ordinem ſors dediſſet, hunc in præſidendo proſequebantur. Primæ quatuor Tribus triginta quinque diebus erant in Prytaneatu; reliquæ totidem uno dempto, ut hoc pacto decem Tribus trecentos quinquaginta quatuor dies, ſeu lunarem annum, qui Athenis obſervabatur, abſumerent. Quinquaginta Prytanes victum è publico in Curia accipiebant, à qua plerumque non diſcedebant, ut cum ad eos pertineret Concionem, ac Senatum convocare, improviſis rebus providere, eas proponere, Legatos proferre, aliaque hujuſmodi; promptam, paratamque operam ſuam Reipublicæ exhibere poſſent [e]. Prytanes, Proedrique iidem erant in Senatu, qui & in Concione. At Epiſtata non idem. Duo iſti fuerunt, alter Concioni, alter Senatui præpoſitus; Verùm apud Senatorium claves Ærarii deponebantur, & annulus publici ſigni; & cum uterque uno tantùm die in Magiſtratu foret, Senatorius bis in anno ſortem obtinere non poterat [f]. Novo Senatui primus anni dies imperium deferebat. Tunc omnes quingenti Senatores ad Jovis, & Minervæ Bulæorum, ſeu conſilii præſidum Fana ingenti pompâ ſacrificabant pro ſalute Reipublicæ, quod Sacrificium proprio nomine εἰσητήρια nuncupabatur. Deinde ſolenne, ut moris erat, convivium. Quæ

[e] *Pauſ. in Atticis Pollux*, l. viii. *c.* 15. *Suidas. Harpocrat. Heſychius.* [f] *Pollux Onomaſt*, l. viii.

cuncta paucis hisce verbis Demonsthenes [g] complectitur: ἡ μὲν βουλὴ τὰ μὲν ἄλλα τοῦτα ἐποίησεν ἱδύσα, συνεστιάθη· παρῆσαν, ἱερῶν ἐκοινώνησαν οἱ στρατηγοί, ἀγέδοτο, οὐ φατέον, αἱ ἀρχαὶ πᾶσαι. *Et Senatus hæc eadem Sacrificia fecit, convivium celebravit; libationum, Sacrorumque participes fuerunt Duces, & parùm abeſt, ut dicam, Magiſtratus omnes.* Denique Senatoribus quidpiam pecuniæ dividebatur, ejuſdem Oratoris teſtimonio [h], & locus erat honoris in Theatro, ut ex Ariſtophane [i] colligitur:

κἄπειτ' ὁρᾷ ἄνδρα τῆς γυναικὸς ἐν τῇ βουλῇ.

Deinde videt mulieris maritum in loco Senatorio.

Quem locum ſic explicat Scholiaſtes: ἔστι τόπος τοῦ θεάτρου, ὁ ἀνειμένος τοῖς βουλεύταις. *Locus iſte in Theatro, ille eſt Senatoribus deſtinatus.* Univerſum autem Ordinem, ſi probè Rempublicam adminiſtraſſet, ac præſertim, ſi aliquot Claſſem Triremibus locupletaſſet [k], Concio aureâ coronâ condecorabat, quod ipſi erat rectè factorum præmium; reliquis, ad illa imitanda, comparandumque ſibi gloriæ decus, incitamentum.

[H] Ut ſæpius retulimus, Phocidem Philippus vaſtaverat, nec quicquam eorum fecerat, quæ legati facturum dixerant. Proinde nullâ controverſiâ pacem ſtatim ac illam juraverat, violavit, ut meritò queritur in præſentia Demoſthenes.

[I] Orator habet πράξεις, quæ vox vel ad ea decreta referri poteſt, quæ in Concione hoc peculiari nomine nuncupatâ (de qua ſermonem fecimus nota [D] Orationis primæ contra Philippum) edita ſunt; vel ſi attendamus propriam ejuſdem vocis ſignificationem, *præcipua, maximi momenti*, ut fecimus, verti debet.

[K] Piræus tutiſſimus Athenarum portus olim ſinus erat anguſtis faucibus in parva quadam inſulâ prope Continentem ſitâ, eique poſtmodum, recedente pelago, conjuncta, ut nos docet Suidas: ἰδίως πρότερον ὁ Πειραιεὺς

[g] *Demoſth. de falſa legat.* [h] *Idem contra Timocr.*
[i] *Ariſtoph. in Avibus.* [k] *Demoſth. adv. Andr.*

νῆσος,

νῆσος, ὅθεν καὶ τοὔνομα ἔλαβεν ὑπὸ τῶ διαπεραν. *Piræus primùm insula fuit, unde à trajiciendo nomen accepit.* Eademque tradit Strabo [m]. Stadia quadraginta distabat Athenis [n], cum istaque Civitate duobus illis Murorum brachiis sanè celeberrimis conjungebatur. Eorundem fundamenta jecit Cimon operâ Callicratis Architecti, ut Plutarchus scribit [o]. Non antea victas Athenas putavit Lysander Lacedæmonius, quàm ad stadia utrinque decem coactis Civibus hujusmodi mœnia demoliri, ne tutum haberent iter ad mare. Id actum a. 4. O. 93. [p]. Quomodo à Cononе fuerint instaurata jamdudum enarrare præoccupavimus. Sed cum opus ille non perpolierit, mansit ea gloria Cononem alterum, illius è Timotheo filio Nepotem, occupatis in ea re decem talentis, quibus ejus patrem Athenienses multaverant, & filius solvere coactus est [q]. Demosthenes duobus eadem mœnia fossis communivit [r]. Sylla demum diruit, nec amplius sunt restituta [s]. At Piræum muro cinxit Themistocles, cum illuc navium stationem transtulit à Phalero. Quæ fuerit ipsorum latitudo, quæ magnificentia diximus, n. [Q] (Pag. 89.) Orat. de Megalopolitis [t]. Pericles novis munitionibus ornavit [u]. Illic Templa, Navale amplissimum, Armamentarium, de quibus omnibus facta est alibi mentio. Portus in tres sinus dividebatur, qui totidem Navibus stationes exhibebant. Primus Κανθάρε λιμὴν *Cantharі portus* à Cantharo Heroe dicebatur. Alter ἀφροδίσιον *Venereum* à Veneris illic Fano. Tertius ζέα *frumentum*, quippe illic frumentariæ naves onus deponebant [x]. Nunc sinus iste nomen habet *Porto Leone.*

Pag. 131. Lin. 15. Θορυβέμεθα καὶ παρασκευαζόμεθα. Athenis in otiosa maximè Civitate mos erat, cum quidpiam inopinatò contigisset, quo damnum, aut metus urbi procrearetur, repentinas Conciones con-

[m] *Strabo*, lib. i. [n] *Thucyd.* lib. ii. *Diog. Laert in vita Antisthenis.* [o] *Plutarch. in vita Cimonis.* [p] *Diod.* lib. xiv. [q] *Corn. Nepos in vita Thimoth.* [r] *Plutarch. in libel. decem Orator.* [s] *Plutarch. in vita Sullæ, Strabo*, lib. ix. [t] *Corn. Nepos in vita Themist. Plutarch. Diod.* lib. xi. [u] *Appianus de bello Mithridatico.* [x] *Hesych. Scol. Arist. in Pace.*

vocare, quas συγκλήτους appellabant; in ipſiſque maximo tumultu, timore animos gubernante, rebus conſulere, ac providere. Hujuſce agendi rationis illuſtre nobis exemplum ſuppeditat Æſchines [7]. Narrat enim ante ſecundam à ſe cum Demoſthene, cæteriſque octo aliis obitam Legationem. Philippum è Macedonia progreſſum in diſcrimen adduxiſſe Imbrum, Lemnum, Scyrum, Cherſoneſum, quæ omnia patrimonium erant Reipublicæ. Tunc autem πλείους ἐκκλησίας συγκλήτους ἠναγκάζεσθε ἐκκλησιάζειν μετὰ φόβου, καὶ θορύβου, ἃ τοὺς τελαμένας ἐκ τῶν νόμων. Οὕτω δ' ἐν σφαλερᾷ, καὶ ἐπικίνδυνα τὰ πράγματα, ὥσε ἠναγκάσθη γράψαι ψήφισμα Κηφισοφῶν, &c. *Plures extraordinarias Conciones facere coacti eſtis cum metu, ac tumultu, quàm quæ fieri legibus jubentur. Res autem in hujuſmodi periculum, ac difficultatem venerant, ut Cephiſophon decretum ſcribere opus habuerit, &c.* Ad iſtud & alia hujuſmodi exempla digitum hoc loco intendit Demoſthenes. Redarguit autem Cives, quod nihil agant niſi urgente metu, qui conſilii inimicus eſt, & dum nimis omnia circumſpicit, orbatur prudentiæ lumine.

[M] De Eteſiis verba fecimus Pag. 151. nota [y] Orat. 1. contra Philippum. Eæ verò memoratæ hoc loco nobis confirmant Odryſiacum Regnum in ſuperiori Thracia fuiſſe, ubi nuper illud colloçavimus. Siquidem Septentrionales Venti, ut erant Eteſiæ, nonniſi ex iſta ejuſdem Regionis parte Naves Byzantium impellere potuiſſent.

[N] Chalcis Euboica, Metropolis inſulæ, à Chalcide Aſopi filiâ nomen habuit, vel ab æneis opificiis, quæ iſthic exercebantur, ut Stephano placet. Condita eſt ab Athenienſibus ante belli Trojani tempus; quo confecto Cothus, Athenienſis pariter, illam frequentiorem reddidit habitatoribus [8]. Ponte, ut nunc etiam, cum Bœotia conjungebatur. Urbem quæ bella exercuerint, quive in poteſtate habuerint, ſociam, aut inimicam, narrare ſuperſedemus, cum quoties

[7] *Æſch. de falſa legat.* [8] *Strabo*, lib. x.

nobis

nobis Eubœa in ſermonem cecidit, de Chalcide quidpiam prolatum ſit. Ejus Cives, ut avaros, in Comœdiis traductos, nos, monet Euſtathius [a]: χαλκιδίζειν ait, παροιμιακῶ τὸ γλιχρίνεσθαι. *Chalcidizare*, more Chalcidenſium agere, *ut eſt in proverbio*, idem valet *ac tenacem eſſe*. Plures illinc in Thraciam Coloniæ deductæ ſunt, nam everſam à Philippo Olynthum, aliaſque per ea loca Civitates inſtaurarunt, habitandaſque ſuſceperunt; plures etiam in Italiam, Siciliamque, ut nos docet Ariſtoteles [b]. Idque præſertim per id temporis, quo Chalcidenſis Reſpublica geſta eſt ab Hippobotis, quo nomine *Chalcidenſium ditiores nuncupabantur*, οἱ δὲ ἱπποβόται ἐκαλέοντο οἱ πάχεες τῶν Χαλκιδέων [c]. Urbs iſta nunc dicitur *Negroponte*.

[o] Megaris Atticæ regionis pars, media inter ipſam Atticam, Bœotiam, & Peloponeſum, paruit olim Athenienſium Regibus; verùm deinceps diviſo inter Ægeum, & Niſum fratres Imperio, huic Megaris obtigit, ab eoque nomen datum Niſæo, Megaræ Urbis Navali. Niſo expeditionem adverſus Minoem Cretæ Regem ſuſcipienti auxilium attulit Megareus Ægæi filius, ut Stephano [d] placet, Neptuni, ut Pauſaniæ [e]. Niſus beneficii memor Iphinoem filiam Megareo nuptui dedit, morienſque Regnum ipſi reliquit. Urbs ab hoc Megareo dicta Megara eſt. Cives Doricâ linguâ loquutos idem tradit Pauſanias [f]. Cum enim, Regnante Codro Peloponeſii bellum Athenienſibus intuliſſent, occupatam Megaram Corinthiis, aliiſque Auxiliariis conceſſerunt, à quibus inductus eſt Doricus ſermo. Poſtmodum excuſſo Regum jugo ſeſe Megarenſes in libertatem aſſeruerunt. Reſpublica fuit aliquando adminiſtrata à Demagogis, id eſt Plebeiæ factionis Ducibus, quo tempore in Ditiores acerbè ſævitum eſt, ab ipſiſque tot repetitæ uſuræ, quot antea à debitoribus perſolutæ, idque παλινοκία *fœnoris dati repetitio* vocatum fuit [h]. Aliquando cum Athenienſi-

[a] *Euſtat. ad Iliad. β.* [b] *Ariſtot.* l. iv. *de Rep.* [c] *Herod.* lib. v. [d] *Steph. de urbibus, &c.* [e] *Pauſ. in Attic.* [f] *Ibidem.* [h] *Plutarch. quæſt. græc.* 59.

bus

bus de Salamine dimicarunt; aliquando cum iisdem, & cum Corinthiis pro Imperio, & libertate; quibus de rebus jampridem mentionem fecimus, adducto Thucydidis teſtimonio. Demum in Philippi poteſtatem venit [l]. Quare dum id eventurum metuit Demoſthenes, palam facit, prudentiam hominum ſæpius vaticinari. Et ſanè duo ſapientiſſimi viri, iidemque Oratorum maximi, hic nempe, ac Tullius cuncta, quæ Athenienſi, Romanæque Reipublicæ evenerunt unuſquiſque vice ſuâ longiùs ingenii lumine conſpicatus eſt. Inter viros illuſtres hujus Civitatis meritò connumerantur Theognis Poeta, & Euclides maximus Geometra. Nunc veteris majeſtatis vix nomen retinet.

[p] Oreum urbs Eubœæ, cujus Cives μέρος τέταρτον τῆς Εὐβοίας οἰκοῦντων, *pars quarta Eubœam incolentium* [l], prius Hephæſtia nuncupata, ut eſt apud Strabonem, Stephanum, Pauſaniùm [m]. Illam Philippus occupavit proditione Philiſtidis, Menippi, Socratis, Thoantis, & Agapæi, qui deinde Regis auſpiciis Tyrannidem in Cives ſuos exercuerunt. Reſiſtebat Euphræus quidam huic nequiſſimorum hominum moliimini, commonebatque Populum, inſidias inſtrui libertati. At Proditores feliciori eloquentiâ purgarunt ſeſe apud Concionem, atque Euphræum, ut perturbatorem publicæ tranquillitatis, in carcerem conjici obtinuerunt. Quæ dum ita geruntur, Philippus affuit cum claſſe. Plebs domeſtici ignara ſceleris mœnia tutatur; Proditores aditum in Urbem Regi patefaciunt. Τλωικαῦτα οἱ μὲν ἠμύνοντο, οἱ δ' προδίδοσαν. Τῆς δὲ πόλεως ὄντως ἀλύσεως αἰσχρῶς καὶ κακῶς, οἱ μὲν ἄρχουσι καὶ Τυραννῶσι· τὰς τότε σώζουσας αὐτὰς καὶ τὸν Εὐφραῖον, ἐπίμυς ὄντας ὁτιοῦν ποιεῖν, τοὺς μὲν ἐκβαλόντες, τοὺς δὲ ἀποκτείναντες· ὁ δ' Εὐφραῖος ἐκεῖνος ἀπέσφαξεν ἑαυτὸν, ἔργῳ μαρτυρήσας, ὅτι, καὶ δικαίως, καὶ καθαρῶς ὑπὲρ τῶν πολιτῶν ἀνθεῖχεν Φιλίππῳ. *Tunc illi ſe defendebant, iſti Urbem prodiderunt. Ita captâ nefariè, turpiterque Civitate iſti imperio*

[l] *Demoſth. Philip.* 4. [l] *Demoſth. in Ariſtoc.* [m] *Strabo*, lib. x. *Steph. de urb. Pauſ. in Achaic.*

potiuntur,

potiuntur, Tyrannique sunt; Qui autem, & Euphræus ipse pro Civium salute, parati fuerant quodcunque pati, ejecti sunt, aut occisi. Euphræus quidem sibi ipse manus injecit, re confirmans, pro suis Civibus Philippo æquâ, purâque mente obstitisse. Rem ita narrat Demosthenes [a]. Quando autem id gestum fuerit cum nemo memoriæ hominum prodiderit, ideoque sit conjecturæ locus, arbitror eveniſſe circa ann. 3. Olymp. 105. cum Rex ad Geraſtum acceſſit Eubœæ Promontorium, à quo non longè Oreum diſtabat; ut n. 3. (Pag. 153.) Orationis primæ contra Philippum ſtuduimus non levibus argumentis evincere.

[Q] Plures Erythras Stephanus recenſet, in Bœotia unam, in Locride alteram, tertiam in Cypro, quartam in Ionia; hæc autem nunc à Demoſthene memoratur.

[R] Trierarchi Athenienſes, (quibus Reſpublica neceſſariam ornandis navibus pecuniam, quanta ſufficeret non impertiebat, aliquando nullam,) ut ejuſdem pecuniæ damnum reficerent, piraticam per id temporis facere non dubitabant, antiquiſſimos Græcorum imitati, quibus prædonum ars nobilis, ac familiaris, fuit, ut eſt apud Thucydidem [b]: Οἱ γὰρ Ἕλληνες τὸ παλαιὸν, καὶ τῶν Βαρβάρων οἵ τε ἐν τῇ ἠπείρῳ παραθαλάσσιοι, καὶ ὅσοι νήσους εἶχον, ἐπειδὰν ἤρξαντο μᾶλλον περαιοῦσθαι ναυσὶν ἐπ' ἀλλήλους, ἐτράποντο πρὸς λῃστείαν, ἡγεμένων αὐτῶν ἐ τῶν ἀδυνατωτάτων, κέρδους τοῦ σφετέρου αὐτῶν ἕνεκα, καὶ τοῖς ἀσθενέσι τροφῆς, καὶ προσπίπτοντες πόλεσιν ἀτειχίστοις, καὶ κατὰ κώμας οἰκημένους, ἥρπαζον, καὶ τὸν πλεῖστον τοῦ βίου ἐντεῦθεν ἐποιοῦντο, οὐκ ἔχοντός πω αἰσχύνην τοῦτο τοῦ ἔργου, φέροντος δή τι δόξης μᾶλλον. Δηλοῦσι δὲ τῶν τε ἠπειρωτῶν τινὲς ἔτι καὶ νῦν, οἷς κόσμος καλῶς τοῦτο δρᾶν, καὶ οἱ παλαιοὶ τῶν Ποιητῶν, τὰς πύσεις τῶν καταπλεόντων, πανταχοῦ ὁμοίως ἐρωτῶντες, εἰ λῃσταί εἰσιν. Ὡς οὔπω τῶν πωποτέ νομιζόντων ἀπαξιοῦσθαι τὸ ἔργον, οἷς τ' ἐπιμελὲς εἴη εἰδέναι, οὐκ ὀνειδιζόντων. *Græci enim antiquitus, & ii Barbarorum, qui maritimas Continentis oras, insulasque incolebant, postquam navibus*

[a] *Demosth. Philip. 4. ut vulgo inscribitur.* [b] *Thucyd.* lib. i. *transmissiones*

tranſmiſſiones invicem frequentare cœperunt, ad piraticam ſe converterunt, ſeſeque Duces exhibentes ſtrenuis hominibus tum lucri causâ, tum victum egentibus comparandi. Diripiebant autem Urbes, quæcunque ſeſe offerrent haud munitas, aut vicatim habitatas; atque ita plurimùm vitam trajiciebant; id opus nequaquam turpe, ſed glorioſum potius exiſtimantes. Cujus quidem rei id utique argumento eſt, quòd nunc etiam ſunt aliqui in Continente, qui honori adſcribunt in hoc ipſum opus incumbere; & quòd veteres Poetæ percontationes inducunt Navigantibus factas, piratæne ſint; veluti ii, quibus hujuſmodi fiunt interrogationes, nomen iſtud non dedignentur, nec turpe id munus exiſtiment, quod ſummâ curâ callere ſtudeant. Atqui hoc tempore non tantùm Athenienſes, ſed alii quoque privato nomine latrociniis mare infeſtum habebant, & ab Inſularum miſeris habitatoribus pecuniam corradebant. Hos inter Dijarem, Diipyrum, Polyphontem, aliàs à nobis memoratos Æſchines nuncupat, οἳ τὰς μὲν ταλαιπώρους νησιώτας καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἑξηκοντάλαντα τάλαντα εἰσέπρατταν σύνταξιν, καλῆγον ὃ τὰ πλοῖα, τὰς τῶν Ἑλλήνων ἐκ τῆς κοινῆς θαλάττης. *Qui ſexagies talentùm quotannis à miſeris Inſularum Incolis tributum exigebant; naves, græcoſque homines in mari, quod commune eſt, deprædabantur.* Hujuſmodi ærumnis audio nunc quoque Græcos afflictari.

[s] Pro Paralo navi Sacra repete nu. 4. Orat. 1. contra Philippum. Hoc loco pro juſſis Populi, quæ Paralus deferebat, accipitur καλὰ χρήματα.

[t] Chares frequenter adeo nobis in ſermonem venit, ut quicquid ſplendidius geſſit in bello, quicquid illi in Republica magis accidit memorabile, jamdiu annotare præoccupaverimus. Id ſolùm addimus, hunc tot præclariſſimorum Imperatorum, qui per ea tempora Athenienſibus præſidio, atque ornamento fuerunt, poſtremum fuiſſe, datumque ipſi exercitum, qui in ultima adverſus Philippum expeditione ad Cheronæam profligatus Græcorum libertati funus attulit. Is autem Chares nequaquam fuit, qui cum reliquis ducibus ſtrenuitate,

ſtrenuitate, rebuſque geſtis comparari poſſet. Diodorum, prælium illud mandantem hominum memoriæ lubeat audire: παρὰ δὴ τοῖς Αθηναίοις οἱ μὲν ἀγαθώτατοι τῶν στρατηγῶν ἐτετελεύτηκεσαν, Ιφικράτης, καὶ Χαβρίας, ἔτι δὲ Τιμόθεος. Τῶν δ' ὑπολελειμμένων Χάρης πρωτεύων οὐδὲν διέφερε τῶν τυχόντων ἰδιωτῶν καὶ οὐ τῷ ἐν τῷ στρατηγεῖν ἐνέργειαν, καὶ βελτιώ. *Apud Athenienſes præſtantiſſimi Imperatorum fato ceſſerant, Iphicrates, Chabrias, Timotheus quoque. Reliquorum princeps Chares, ſtrenuitate, & conſilio nihil à vulgari milite diſtabat.*

[U] Ariſtophontem iſtum ut verſutum deſcribit Demoſthenes [P]. Quamobrem ſæpius accuſatus nunquam pœnam ſubiit, ut ait Ulpianus [Q]. Eundem eſſe, atque Ariſtophontem illum Azenienſem facilè reputo, de quo ſic Æſchines [R]: Ετόλμα δ' ἐν ὑμῖν ποτε σεμνύνεσθαι Λεωσοφῶν ἐκεῖνος ὁ Αζηνιεὺς λέγων, ὅτι γραφὰς παρανόμων πέφευγεν ἑβδομήκοντα καὶ πέντε. *Auſus eſt apud nos aliquando gloriari Ariſtophon ille Azenienſis, ſe ut legum violatorem quinquies, ac ſeptuagies accuſatum, Judicium effugiſſe.*

[X] Quis hìc non videt populi mores æquè ferocis, ſi nihil ſit quod ejus iracundiam retardet, ac timidi, ſi quidpiam obſiſtat. Id græca, Romanaque hiſtoria magnis docet exemplis, quæ ſi in medium proferrem, notam otioſi hominis non effugerem.

[Y] De ea loquitur expeditione, quam Philippus in Thraciam ſuſcepit a. 4. O. 106. & quam nos quoque deſcripſimus n. [B] & [G] Olynthiacæ tertiæ. Tunc enim ille è vulnere ægrotavit, hyemem procul à Macedonia traduxit, & ſi tempus computare velimus, quo ipſum horrida tempeſtas anni, morbus, obſidiones detinuerunt, fortaſſe decem menſes non ſuperabit.

[Z] Eubœa dum domeſticis diſcordiis lacerabatur, occaſionem dedit Philippo eas confovendi, in ſuamque trahendi utilitatem. Ad hanc igitur Inſulam ſerò quidem, ſed tandem cogitationem adjeci, miſſiſque Claſſibus, & exercitu factionum alteram, quam ſibi

[P] *Demoſth. adv. Zenotemidem.* [Q] *Ulp. in enarr. Orat. de Corona.* [R] *Æſch. adv. Ctſiph.*

obnoxiam

obnoxiam habebat, confirmavit; alteram oppreſſit, atque ita Civitatibus libertatem eripuit, eaſque in ſua retinuit poteſtate; Athenienſes irretiti metu atque otio, nec Regem ab hoc facinore coercuerunt; ut olim Thebanos; nec Inſulam in priſtinum ſtatum, dignitatemque reſtituerunt, dejiciendis Tyrannis, cunctiſque aliis, qui Macedonis partem ſequebantur, dum ipſe nullum ſociis auxilium ſummittere potuiſſet, Thracico bello, atque anni tempore impeditus. Hujus negligentiæ meritò redargui poſſe Cives ſuos, & nullo pacto excuſari dicit Demoſthenes.

[a] Duos iſtos à Philippo in Eubœa conſtitutos Tyrannos nomine vocat Orator noſter in Or. de Cor. & alibi: καθίσας ἐν μὲν Ὠρεῷ Φιλιστίδην Τύραννον, ἐν δ' Ἐρετρίᾳ Κλείταρχον. *Conſtituit*, inquit, Philippus *Oreï Philiſtidem Tyrannum, Eretriæ Clitarchum.* Quo pacto autem illos conſtituit, de Philiſtide diximus ſuperiori (Pag. 362.) n. [p]. De Clitarcho ea prius repetenda ſunt, quæ n. [d] Orat. de Pace attulimus; deinde facili conjecturâ exiſtimari poteſt, Clitarchum ipſum, qui prius à Plutarcho æmulo ſuo Athenienſium Copiis inſtructo dejectus, oppreſſuſque fuerat, ad Philippum confugiſſe, ejuſque ope Imperium in Cives adeptum eſſe. Quæ cum ita ſe habeant, primo ſtatim aſpectu hæc Demoſthenis ſententia palam eſt. Siquidem Eretria, ut mox dicemus, è regione Atticæ ſita eſt; Oreum in conſpectu Sciathi, quæ inſula Athenienſium erat. Igitur duos ille Tyrannos oppoſuit, atque imminere voluit duobus iſtis Reipublicæ locis, Atticæ nimirum provinciæ, & Sciatho. Sic enim illud ἐπιτειχίσας accipiendum eſt.

Nunc aliqua de ipſa Eretria dicamus, fuit hæc Urbs Metropolis altera Eubœæ, ante belli Trojani tempus ab Athenienſibus condita, ut habet Euſtathius *, ἀμφότεραι (Χαλκὶς, ἡ Ἐρέτρια) πρὸ τῶν τρωϊκῶν ὑπὸ Ἀθηναίων ἐκτίσθησαν. *Utraque* (Chalcis, & Eretria) *ante Trojana tempora ab Athenienſibus conſtructa.* Nomen obtinuit ab Eretria Urbe Atticæ, unde fortaſſe major Conditorum pars

* *Euſt. ad Iliad.* C.

advenit,

advenit. Prius appellabatur Arotria, & Melantides. Non parum initiò viribus valuit, nam & tria Peditum millia ſub Signis habuit, Equites ſexcentos, ſexaginta Currus, tenuitque Andriam, Tenedum, Chium nobiles inſulas, ſi Straboni fides habeatur [t]. Maximas olim geſſit inimicitias adverſus Chalcidenſes, idque bellum reliquos Græcos in alterutram partem traxit, ut eſt apud Thucydidem [u]: *ἀ γὰρ ξυνεστήκεσαν πρὸς τὰς μεγίστας πόλεις αἱ ὑπήκοοι, αὐτὸ αὐτοὶ ἀπὸ τῆς ἴσης κοινὰς στάσεις ἐποιοῦντο, καὶ ἀλλήλοις ἢ μᾶλλον ὡς ἕκαστοι οἱ αὐτονόμους ἐπολέμουν. Μάλιστα ἢ ἐς τὸν πάλαι πρὸ τοῦ γενόμενον πόλεμον Χαλκιδέων, καὶ Ἐρετριέων, καὶ τὸ ἄλλο Ἑλληνικὸν ἐς ξυμμαχίαν ἑκάτερον διέστη. Non enim contra maximas Civitates reliquæ ſubjectæ Urbes arma ferebant; non communi fœdere conjunctæ vires conſociabant, ſed ipſæ potius Finitimi bellum inter ſe gerebant. Verùm dum viguit antiquum bellum inter Chalcidenſes, & Eretrienſes, quicquid reliquum fuit Græcorum, plurimùm cum alterutra parte armorum ſocietatem copulavit.* Deinde incenſa, vaſtataque eſt à Darii Aſiæ Regis exercitu, cum Perſarum primus contra ipſam Eretriam, Athenaſque ſexcenta bellatorum millia, ut alibi diximus, in Græciam tranſmiſit. Dum enim ſextum jam diem fortiter obſidionem ſuſtineret, Euphorbus Alcimachi, & Pylargus Cynei, nequiſſimi Cives, portas hoſtibus, aditum infinitis malis aperuerunt [x]. Demum totius Inſulæ fortunam ſequuta eſt, cum quoad externos Dominos, tum quoad fatalem quandam in unaquaque Civitate Civium diſcordiam, atque è diſcordia Tyrannidem.

[b] Euthycrates, & Laſthenes Cives Olynthi jam ante obſeſſam Civitatem muneribus capti, Philippo ſe devoverant. Siquidem, ut nos pridem ex Demoſthene annotavimus, Euthycrates armenta bovum acceperat, alter trabes ad contignandas ædes. Rex igitur occaſionem nactus, quòd ſupremum gererent Magiſtratum, ingenti pecuniæ dono eos arctiùs obſtrinxit

[t] *Strabo*, lib. ix. [u] *Thucyd.* lib. i. [x] *Herod. in erat. Pauſ. in Achaic.* 1.

ad

ad prodendamque Patriam ſuaſit[y]. Urbe captâ, diruta̅que, eos primùm aliquantulùm in honore habuit, deinde omnibus injuriis affecit; nam, Auguſti dictum nunquam non verum eſt: *proditionem amo, proditorem odi.* Cujus rei luculentiſſimum teſtem adhibeo Demoſthenem[z], qui de Olynthiis hiſce nebulonibus ac de aliis quibuſdam ſic loquitur: τοῖς ὧν προεσηκόσι καὶ τἆλλα, πλεῖν ἐωῖῆς, οἰομένοις πωλεῖν, πρώτους ἐωῖλοὺς πεπραικόσιν ἠσθῆσθαι. Ανῖ γὰρ φίλων, καὶ ξένων, ἅτε τότε ὠνομάζοντο ἡνίκα ἐδωροδόκων, νῦν κόλακες, καὶ Θεοῖς ἐχθροὶ, καὶ τἆλλα ἃ προσήκει, πάντα ἀκούουσιν, &c. Σκοπεῖτε δ̓. Καὶ γὰρ εἰ παρελήλυθεν ὁ τῶν πραγμάτων καιρὸς, ὁ τῦ γε εἰδέναι τὰ τοιαῦτα καιρὸς ἀεὶ πάρεσι τοῖς εὐφρονοῦσι. Μέχρι τότε Λασθένης Φίλος ὠνομάζετο Φιλίππυ, ἕως προὔδωκεν Ολυνθον· μέχρι τούτου Τιμόλαος, ἕως ἀπώλεσε Θήβας. Μέχρι τότε Εὔδικος, καὶ Σίμος οἱ Λαρισσαῖοι, ἕως Θετταλίαν ὑπὸ Φιλίππυ ἐποίησαν. Εἶτ̓ ἐλαυνομένων, καὶ ὑβριζομένων, καὶ τ̓ κακὸν ὑπ̓ πάντων πάσχόντων, πᾶσα οἰκεμένη μεστὴ γέγονε προδοτῶν. *Magiſtratus autem, qui cætera quidem, non ſe ipſi vendere putabant, nunc intelligunt ſeſe priori loco vendidiſſe. Nunc enim non hoſpites, & amicos, quo vocabantur nomine, cum muneribus afficiebantur; ſed adulatores, Deorum hoſtes, aliiſque omnibus, ut meriti ſunt, maledictis appellare ſe audiunt &c. Mentem profectò advertite. Quamvis enim rerum occaſio præteriit, attamen diſcendi ſapientibus ſemper adeſt. Eò uſque Laſthenes Philippi amicus nuncupatus eſt, quoad Olynthum prodit. Eò uſque Timolaus, quoad Thebas. Eò uſque Eudicus, Simuſque Lariſſæi, quoad Theſſaliam. Deinde quanquam ejecti, injuriis onerati, nulliſque non malis affecti fuerint, univerſus tamen terrarum Orbis proditoribus inundatur.* Denique adverſus eoſdem Euthycratem, Laſthenemque ab Athenienſibus decretum eſt, in quocunque Reipublicæ loco reperirentur, gladio perimendos.

[c] Maſtira, Drongilos, Cabyles, fuerunt ignobiles in Thracia Urbes, à Demoſthene ſæpius per contemptum uſurpatæ, veluti Philippus in iis occupandis

[y] *Demoſth. Philip.* 4. *Diod.* lib. xvi. [z] *Demoſth. de Cor.*

tempus,

tempus, atque operam perderet. Cabylem ſolùm ab Hiſtoricorum aliquo, & à Geographis memoratam vidi, diſtabatque triginta millia paſſuum ab oſtio ponti Euxini, ut eſt apud Stephanum [a].

[d-e] Plura hoc loco ſeſe nobis offerunt expendenda, quæ, ſequuti Demoſthenis ordinem dicendo peragrabimus, ac primùm de Portubus Athenienſium. Tres igitur præcipuos in Attica habuerunt. Phalerum, quo utebantur vel antequam Theſeus Atticos Populos Athenis congregaret, & unde ipſe in Cretam ſolvit, pœnas à Minoe Rege ob neci datum Androgeum repetiturus [b]; Munichiam, quæ navibus deinde frequentari cœpta eſt; Ac Piræum, quo Themiſtocles Navalia, & omne nauticum robur tranſtulit, ut n. [κ] hujus Orationis dictum eſt. De reliquis Portubus, quos certum eſt plures habuiſſe extra provinciam Atticam, nullus hìc, arbitror, ſermo fit.

Argenti fodinæ Athenienſium jacebant ad Laurium montem [c], paulo plus quinquaginta ſtadiis procul à Megara [d]. Xenophon antiquiſſimas fuiſſe tradit, atque inexhauſtas, quantumcunque Operæ ex ipſis effoderent; hinc autem augurabatur, nunquam deſituras [e]. Verùm jam olim Pauſaniæ tempore exaruiſſe, ipſius teſtimonio palam eſt. Sic enim ſcribit [f]: πλέοντι δ' ἐς τὸ πρόσω Λαυρεώτου τε ἐστι, ἔνθα πολε Αθηναίοις ὧν ἀργύρου μέταλλα. *Ultra navigianti Laurium eſt, ubi olim Athenienſibus erant argenti fodinæ.* Primùm nullus inde fructus Reipublicæ obveniebat, ſed Civium fuit, quicunque in eas vellet aut Operas mittere, aut ipſe ſuam impendere. Deinde Themiſtoclis conſilio quarta, & vigeſima pars Ærario pendebatur; ejuſque imponendæ occaſionem præbuit bellum adverſus Æginetas [g]. Familiæ illuc deductæ obolum quotidie Dominis dare in ſingulos ſervos, ſibique deinceps omnia providere mos invaluit. In iis

[a] *Steph. de urb. Polyb.* 13. *Ptolemæus*, lib. iii. *c.* 11. *Plinius*, lib. iv. *c.* 110. *Strabo aliique.* [b] *Pauſ. in Attica.* [c] *Thucyd.* lib. ii. *Pauſ. in Attica.* [d] *Xenoph. de Vectigal.* [e] *Ibidem.* [f] *Pauſ. in At.* [g] *Plutarch. in vita Themiſtocl.*

autem vel mille homines habuiſſe Niciam Nicerati filium; ſexcentos Hipponicum ab eodem Xenophonte [h] commonemur.

Quatuor fuerunt Athenis pecuniarum fontes, unde opes publicæ dimanabant, τέλη, εἰσφοραὶ, φόροι, τιμήματα. Τέλη *Vectigalia*, quæ Portoriis, ſcripturâ, fodinis, continebantur. Portorii nomine Ἐκλογεὺς *Collectores* decimam è quibuſdam mercibus, ex aliis quinquageſimam exigebant [i]. Scripturæ; è publicorum nemorum conductione, quantum cum Publicanis conveniſſent [l]; ab Inquilinis etiam μετοίκιον colligebant, peculiare quoddam *tributum pro Domicilio*, quod Viris quotannis duodecim drachmarum erat, fœminis dimidium, ſed recenſito in publicis tabulis filio, Mater immunis evadebat, ut ex Plutarcho [m] arguitur. Eandem penſitabant pecuniam ſervi manumiſſi. Meretrices pariter infamis lucri partem Collectoribus dabant, ut Æſchines tradit in Orat. contra Timarchum. Εἰσφοραὶ *Collationes extraordinariæ*, quæ Senatus ac Populi decreto habitâ cenſus ratione Civibus indicebantur, dum aliquâ Ærarii difficultate Reſpublica laboraret. Harum frequens fit mentio à Demoſthene, aliiſque [n], & nos nonnihil eas diligenter expendimus notis ad Orat. de Claſſibus. Pag. 35. Lin. 12. Τιμήματα *Mulctæ*, quæ ob crimina perſolvebantur; quarum pars decima Minervæ ſacra erat, quinquageſima Eponymis, aliiſque Diis [o]. Ex hujuſmodi primo, ac tertio pecuniarum capitibus centies, ac tricies talentum olim in publicas accepti tabulas relatum fuiſſe, ſuoque tempore quadringenties, Demoſthenes memoriæ hominum ſic prodidit [p]. Ἦν ποτ' ἐν πάλαι ποθ' ἡμῖν, ὅτ' ἐν προσῆεν τῇ πόλει τάλαντα ὑπὲρ τετρακόσια ἐν ἅπασιν. Καὶ οὐδεὶς ἦν τῶν τεταραχῶν δυναμένων οὐδὲ τῶν εἰσφέρειν, Ὅσις οὐκ ἠξίου τὰ καθηκόντα ἀφ' ἑαυτῷ ποιεῖν. Ὅτι χρήματα ἐ ποιεῖτο. Ἀλλὰ νῦν τελῶσι ἔπλεον, νῦν χρήματα ἐμάχετο,

[h] *Xenoph. ut ſupra.* [i] *Pollux*, lib. viii. *Demoſth. in Lept.*
[l] *Demoſth. adv. Eubulidem.* [m] *Plutar. in Phocionis vita.*
[n] *Demoſth. in his noſtris Orat. & in adv. Polyclem. Thucyd.* lib. iii.
[o] *Pollux*, lib. viii. [p] *Demoſth. Philip.* 4.

νῦν πάντα

ἢ πάντα ἐποιοῦμεν τὰ δίκαια. Μετὰ ταῦτα ἡ τύχη, καλῶς ποιοῦσα, πολλὰ μεταποίησε τὰ κοινὰ, καὶ τεσσαράκοντα ἀντὶ τῶν ἑκατὸν καὶ πάντων προσέρχεσθαι, εἴ τινος ἄλλου ζημιωμένου τῶν τὰς πόλεις ἐχόντων. *Non diu eſt eum è ſuis Vectigalibus non obvenirent Reipublicæ pluſquam centum triginta talenta; omnes autem, qui poſſent Trierarchatum agere, aut dare tributum, ſponte ſuas partes explerent; ſiquidem pecunia è Publico non ſuppetebat. Attamen Triremes inſtructæ navigabant, non deerat ad ſumptus pecunia, & omnia, quæ opus forent, perficiebamus. Deinceps Fortunæ beneficio aucta ſunt vectigalia, & non amplius centum, ſed quadringentorum ſummam talentorum conficiunt, nullo divitum damno.* Remanet, ut περὶ τῶν φόρων, *de Sociorum tributis* loquamur. Ea, ut jam diximus, poſt confectum Xerxianum bellum, Ariſtide, & Themiſtocle ſuadentibus, ad commune præſidium quotannis conferre Athenienſium Socii conſtituerant; ſummaque quadringenties ſexagies Talentùm definita fuerat. Iſtud Ærarium Sociale, Deli poſitum, deinde Athenas deductum, & Pericle auctore ad ſexcenties auctum, mille demum tricenis conſtitit[q]; quanquam Æſchines[r] mille ſolùm, ac ducentis dicat. Nos uno Plutarchi teſtimonio in vita Ariſtidis contenti erimus. Sic autem habet: ὡς γὰρ οἱ παλαιοὶ τὸν ἐπὶ Κρόνου βίον, ἥτις οἱ σύμμαχοι τῶν Ἀθηναίων τὸν ἐπ' Ἀριστείδου φόρον, εὐπολίαν τινὰ τῆς Ἑλλάδος ὀνομάζοντες ὕμνων. Καὶ μάλιστα μετὰ πολὺν χρόνον διαπλανηθέντος. Ὃν μὲν γὰρ Ἀριστείδης ἔταξεν, ὧν εἰς ἑξήκοντα, καὶ τετρακοσίων ταλάντων λόγον. Τοῦτον δὲ Περικλῆς μὲν ἐπέθηκεν ὀλίγῳ δεῖν τὸ τρίτον μέρος. Ἑξακόσια γὰρ τάλαντα Θουκυδίδης φήσιν, ἀρχομένου τοῦ πολέμου προσεῖναι τοῖς Ἀθηναίοις ἀπὸ τῶν συμμάχων. Περικλέους δ' ἀποθανόντος ἐπιλείποντες οἱ Δημαγωγοὶ καὶ μικρὸν εἰς χιλίων, καὶ τετρακοσίων ταλάντων κεφάλαιον ἀνήγαγον. *Ut enim Veteres vitam vivere Saturno Rege; eodem pacto Athenienſium Socii tributum ab Ariſtide conſtitutum, Græciæ felicitatem quandam appellantes celebrabant. Præſertim, cum non multo poſt tempore duplicatum*

[q] *Thucyd.* lib. ii. *Plutarch in vita Lycurg. Orat. in l. decem. Orat.*
[r] *Æſch. de falſa legat.*

fuerit. Ratio enim, qua illud ſtatuerat Ariſtides fuit ad quadringenties ſexagies talentùm. Huic Pericles adjunxit tertiam ferè partem. Ait enim Thucydides initio belli (Peloponeſiaci) *ſexcenties talentùm à Sociis obveniſſe Athenienſibus. Pericle autem vitâ functo, Plebeiæ factionis Præſides paulatim ad mille tricenorum ſummam adduxerunt.* Quæ cum ita ſe habeant, compertum eſt, parum Athenis locupletatum Ærarium Vectigalibus; Sociorum tributis non ita parum; ſed ſuas maximas habuiſſe vires è Civium collationibus. In libera enim Civitate ſemper Reipublicæ paratum eſt quicquid obtinent Privati.

Denique ut nihil, quod hoc loco contineatur, non aliquâ luce perfundamus, non ab re Demoſthenem hoc loco panicum, & ſecale nuncupaſſe animadverti debet. Quippe indicare voluit, in qua Thraciæ parte Philippus tunc moraretur; in ea ſcilicet, ubi Populus ejuſmodi frugibus veſcebatur, quæ ſita erat ad Pontum Euxinum, ubi Xenophon quoque [f] Thraces Melinophagos, id eſt panicum edentes, collocat.

[f] Barathrum à ſimili vocat eam navium ſtationem, ubi Philippus hyemaverat, ob aeris gravitatem; habitâ ratione, ut vult Suidas ad Barathrum, locum Athenis reorum inſepultis cadaveribus malè olentem; at potius exiſtimo ad Barathrum Ægypti paludem, cujus meminit Diodorus lib. 16. Ita enim major ſe offert utriuſque loci ſimilitudo, & ob aerem inſalubrem, & ob ſtagnantes aquas, ubi Regem ad alicujus oſtium fluminis ſubduxiſſe naves putandum eſt.

Pag. 143. Lin. 20. Διαπράζειν τινὲς τὰ χρήματα βούλονται. Athenis Philippi fautores, ne Reſpublica regiæ felicitatis curſum ſuis viribus retardaret, Plebi ſuadebant, ideo privatos aliquos eſſe, qui conarentur ipſam ad bellum incendere, ut hujus occaſione publicas opes diriperent, atque ex Ærario diteſcerent. Hinc illud Æſchinis eſt[t]: ἐπλούτουν τινὲς ἐκ τῆ πολέμυ ἀπὸ τῶν ὑμετέρων εἰσφορῶν, καὶ τῶν δημοσίων πρασσόδων. Νυνὶ δὲ πίπτουσι. *Bellum*

[f] *Xenoph. de Cyri Minor. exped.* lib. vii. [t] *Æſch. de falſa legat.*

è veſtris

è veſtris vectigalibus, publiciſque pecuniis divitias aliquibus afferebat. Nunc autem hoc fructu carent. Id autem verum eſſe nec ipſe Demoſthenes inficiatur. Dicit autem Ærarium cuſtodiendum eſſe diligentiùs, non deſerendam Reipublicæ curam, prætermiſſo bello. Profectò inveteraverat jampridem Athenis mos iſte pernicioſus Civitati, ut Chiriſophus Lacedæmonius Xenophonti [u] ſic objicit: ἀλλὰ μέν τοι ἔφη ὁ Χειρίσοφος, ἢ ἐγὼ ὑμᾶς ἀκούω τοὺς Ἀθηναίους δεινοὺς εἶναι κλέπτειν τὰ δημόσια, ἢ μάλα ὄντος δεινοῦ τοῦ κινδύνου τῷ κλέπτοντι, ἢ τοὺς κρατίστους μέν τοι μάλιστα, εἴπερ ὑμῖν οἱ κρατίστοι ἄρχειν ἀξιοῦνται. *At equidem, Xenophon inquit, audio vos Athenienſes ad furandum Ærario ſtrenuos eſſe, quamvis depeculatoribus magnum adſit periculum; ac præcipuè, qui inter vos optimi cenſentur eos maximè furari. Nam vos putatis eos cæteris præſtantiores eſſe, qui Magiſtratus gerunt.* Æſchines [x] idem habet.

[g] Athenienſes bello feſſi, illectique otii dulcedine Philippum fœdifragum ferre maluerant, quàm hoſtem ſibi rurſus aſciſcere. Quamobrem ipſum (contra quàm promiſerat Æſchini, aliiſque falſæ illius legationis Oratoribus, qui ſæpius vel noſtro ſermone percrebuerunt) & Phocide vaſtatâ, & coacto in ordinem Kerſoblepte, & Thracia plurimùm occupatâ, & Cardianis auxilio ſuo confirmatis, ſilentio pertulerant. De quibus omnibus plura jam diximus, & aliqua poſtmodum erunt dicenda.

[h] Hujus loci explicatio petenda eſt ab ipſo Demoſthene [y], qui, ut ſe res habuit, narrat his verbis in Philippica tertia, ut vulgò fertur. Καὶ τὰ τελευταῖα τοῖς ταλαιπώροις Ὠρείταις τισὶν ἐπισκεψόμενος ἔφη, τοὺς σφαλιώτας πεπομφέναι κατ' εὔνοιαν. Πιωθάνεσθαι γὰρ αὐλοὺς ὡς νοσοῦσι, ἢ σασιάζουσι ἐν αὐλοῖς. Συμμάχων δ' εἶναι, ἢ φίλων ἀληθινῶν ἐν τοῖς τοιούτοις καιροῖς παρεῖναι. *Demum dixit miſeris hiſce Oritis, ſe officium ipſis perſoluturum, benevolentiâ adductum milites miſiſſe. Siquidem intelligere, malum ſibi invicem inferre, ac tumultuari.*

[u] *Xenoph. de Cyri minor. exped.* lib. iv. [x] *Æſch. de falſa legat.* [y] *Demoſth. in Philip.* 3.

Esse autem Sociorum, qui verò amicitiam colant, hujus modi occasionibus non deesse. Ita verò urbem præsidio tenuit, atque occupavit. Cætera ejusdem Urbis jam retulimus superiori n. [p].

[i] Id satis explicatum est in notis ad Olynthiacam primam. Pag. 211.

[k] Non semel de Olyntho proditâ, sermo à nobis agitatus est; nam & n. [b] Olynth. 1. & proxima n. [b] hujus Orationis quicquid ad hanc rem pertineret, enucleare conati sumus. Modò remanet, ut quidpiam de hujusmodi Philippi dolo renuntiemus. At cum solùm à Demosthene indicetur, & rem gestam nemo alius literis consignaverit, conjecturis utendum est. Puto igitur Regem Proditoribus fretum, quos, ut diximus, Olynthi fovebat, cum paucis Copiis ad Urbem accessisse, ne ignaro proditionis populo suspicionem moveret, & improvisò apertis portis in eam ingrederetur. Audio enim tunc temporis Plebem, nefariis Civibus suadentibus, ita de Philippo bene ac luculenter existimasse, ut qui eum veluti insidiosum traducebant, expulsi fuerint. Ἦσαν ἐν Ολυνθῷ, Demosthenis [z] testimonium adduco, τῶν ἐν τοῖς πράγμασι τινὲς μὲν τὰ Φιλίππου φρονοῦντες, καὶ πάνθ' ὑπηρετοῦντες ἐκείνῳ. Τινὲς δ' ὑπὲρ τοῦ βελτίστου, καὶ ὅπως μὴ δουλεύσουσιν οἱ πολῖται, πραττόντες. Πότεροι δ' τὴν πατρίδα ἀπώλεσαν; ἢ πότεροι τὰς ἱππέας προύδοσαν, ὧν προδοθέντων Ολυνθος ἀπώλετο; οἱ τὰ Φιλίππου φρονοῦντες, καὶ ὅτ' ἐκεῖ ἡ πόλις, τὰς τὰ βέλτιστα λέγοντας συκοφαντοῦντες, καὶ διαβαλλόντες οὕτως, ὥστε τόν γε Απολλωνίδην καὶ ἐκβαλεῖν ἐκ τῶν Ολυνθίων ἐπείσθη. *Habebant Olynthi Magistratum aliqui Philippo inservientes, eique operam præbentes suam. Erant alii, qui optimas partes sequuti curabant maximè, ut Cives eximerent à servitute. Qui nam illorum Patriæ perniciem attulerunt? aut qui equites prodiderunt, eâque proditione de Olyntho actum fuit? Seu qui pro Philippo faciebant, atque alios calumniabantur, qui ut staret Civitas optimè consulebant? Ita verò istos calumniabantur, ut Olynthiorum*

[z] *Demosth. Philip.* 4.

Populo

Populo perſuaſerint, Apollonidem exilio perdere. Cum autem dolo Urbem capere nequaquam Regi è ſententia ſucceſſiſſet, arbitror omnem ad ſe exercitum tunc venire juſſiſſe, & dum illum expectat, Olynthios blandis amicitiæ verbis detinuiſſe, ut ait Orator hoc loco. Copiis advectis, amotâque ſimulatione, hunc ad ipſos acerbiſſimum nuntium miſit, ὅτι δεῖ δυοῖν θάτέρου, ἢ ἐκείνης ἐν Ολιώθῳ μὴ οἰκεῖν, ἢ αὐτὸν ἐν Μακεδονίᾳ, *Duorum alterutrum eſſe oportere, aut illos Olyntho diſcedere, aut ſe ex Macedonia* [a].

[1] Locus iſte nos admonet, ipſaque res, quæ nunc à Demoſthene ſummâ expenditur eloquentiâ, ut aliqua dicamus de fatali quadam incuria, qua non ſolùm Athenæ, ſed unaquæque ſplendidior Civitas nobiliores Cives muneribus captos haudquaquam coercuit libertatem prodere, ac Philippo dare operam ſuam. Qua quidem in re non minùs ille induſtrius fuit ad Proditores exquirendos, quàm iſti ad ſe Regis voluntati tradendos. Jucundum erit id ipſum vehementiſſimè objurgantem Demoſthenem audire. Ὁ γὰ πολλῶν. ait [b], ὄντων, καὶ μεγάλων, ἐφ' οἷς εἰκότως ἐπέρχεταί μοι παῤῥησιάζεσθαι, μέγιστον ἡγοῦμαι, ἂν ὀκνήσω γεάψαι πρὸς ὑμᾶς. Ὅτι ἐν ἁπάντι τῷ αἰῶνι τῶν μνημονευομένων ἀνθρώπων δεινοτάτη γεγενημένη Φιλίππη, καὶ δι' ὁμιλίας πεῖσαι προσέχειν αὐτῷ τὸν νοῦν ὡς βέλοιτο, καὶ διαφθεῖραι χρήμασι τὰς ἐν ἑκάστῃ τῶν Ελληνίδων πόλεων γνωρίμας. Ἐγὼ μόνος ὑπολέιπω τούτων ἠτιῆσθαι. *Id autem, cum multa, maximaque habeam, quæ meo jure liberè proferre poſſum, quodque omnium ampliſſimum judico, ſcribere ad vos non dubito. Quod ſcilicet, cum nemo cunctorum hominum, qui ab omni ævo memoriæ proditi fuerint, Philippo ſolertior extiterit ad conciliandas ſibi ſermonis humanitate, ac blanditiis, quantùm vellet, Mortalium voluntates, aut felicior ad corrumpendos muneribus in unaquaque græcarum Urbium Cives nobiliores, ſolus ego neutrâ iſtarum artium victus fuerim.* Quantùm verò in iiſdem artibus profecerit Rex, ita nobis exponit [c]: νόσημα γὰρ, ὦ ἄνδρες Α-

[a] *Demoſth. Philip.* 5. [b] *Demoſth. in epiſt.* 1. [c] *Idem de falſa legat.*

θλιωᾶοι, ἐμπέπτωκεν εἰς τὴν Ελλάδα, καὶ χαλεπὸν, καὶ πολλῆς τινος εὐλυχίας, καὶ τῆς παρ' ὑμῶν ἐπιμελείας δεόμενον. Οἱ γὰρ ἐν ταῖς πόλεσι γνωριμώτατοι, καὶ προεσάναι τῶν κοινῶν ἀξιώμενοι τῶν αὐτῶν προδιδόντες ἐλευθερίαν οἱ δυσυχεῖς, αὐθαίρετον αὐτοῖς ἐπάγονται δουλείαν, Φιλίππῳ ξενίαν, καὶ ἑταιρίαν, καὶ φιλίαν, καὶ τοιαῦθ' ὑποκορίζόμενοι. Οἱ δ' λοιποὶ, καὶ τὰ κύρια ἅτλα ποτ' ἔσιν ἐν ἑκάστῃ τῶν πόλεων, ὃς ἔδει τύτυς κολάζειν, καὶ παραχρῆμα ἀποκλιννύναι, τοσύτον ἀπέχυσι τὸ προῖδόν τι ποιεῖν, ὥσε θαυμάζυσι, καὶ ζηλῶσι, καὶ βέλοιτ' ἂν αὐτὸς ἕκασος τοιῦτος εἶναι. Καί τοι νυνὶ τὸ πρᾶγμα, καὶ τὰ τοιαῦτα ζηλώματα, Θετταλῶν μὲν, ὦ ἄνδρες Αθηναῖοι, μέχρι μὲν ἐχθὲς καὶ πρώην τὴν ἡγεμονίαν, καὶ τὸ κοινὸν ἀξίωμα ἀπολωλέκει. Νυνὶ δ' ἤδη καὶ τὴν ἐλευθερίαν παραιρεῖται, &c. Ὡς βαδίζον γε κύκλῳ, καὶ δεῦρο εἰσελήλυθεν, ὦ ἄνδρες Αθηναῖοι, τὸ νόσημα τύτο. *Peſtis enim, Athenienſes, in Græciam irruit gravis quæque veſtram curam, multamque poſtulet, ut comprimatur felicitatem. Nobiliores enim in ſingulis Civitatibus, quique præeſſe Reipubliçæ digniores exiſtimantur, propriæ libertatis proditores, ſponte miſeri in ſervitutem ruunt, Philippo ſubblandientes propter conjunctam cum illo familiaritatem, hoſpitium, neceſſitudinem. Reliqui verò, & quicunque in ſingulis Urbibus Magiſtratum gerunt, quorum eſſet, eos pœnis coercere, ac ſtatim interficere, tantùm abeſt, ut quidpiam agant hujuſmodi, quin potius illos admirantur, beatos prædicant, cum ipſiſque ſtatum ſuum commutare velint, Et ſanè iſthæc agendi ratio, iſtaque tales homines imitandi deſideria, cum nuper Theſſalorum principatum, communemque auctoritatem profligaverint, nunc jam ipſis libertatem adimunt &c. Igitur peſtis iſta, cum circùm regiones iſtas peragraverit, huc etiam, Athenienſes, appulit.* Neque verò præcipuorum Proditorum nomina tacere voluit, ut in quos legum acerbitatem revocare non potuiſſet ſaltem communi odio Poſterorum inureret. Sic igitur refert[d]: ἓως δούλυς ἐποίησαν, Θετταλοὺς Δάοχος, Κινέας, Θρασύδαιος, Δρκάδας Κερκιδᾶς, Ιερώνυμος, Ευκαλπίδης. Αργείυς Μύρ-

[d] *Demoſth. de Corona.*

τυς,

της, Τελεύδαμος, Μνασέας. Ηλείους Ευξίθεος, Κλεότιμος, Αριςαίχμος. Μεσηνίους οἱ Φλιάσιε τῦ Θεοῖς ἐχθροῦ παῖδες, Νέων, καὶ Θρασύλοχος. Σικυωνίους Αρίσιππος, Επιχάρης. Κορινθίους Δείναρχος, Δημάρατος. Μεγαρέας Πτοιόδωρος, Ἔλιξος, Περίλαος. Θηβαίους Τιμόλαος, Θεογείτων, Ανεμοίτας. Ευβοέας Ἵππαρχος, Κλείταρχος, Σωσίςρατος. Επιλείψει με λέγοντα ἡ ἡμέρα τὰ τῶν προδοτῶν ὀνόματα. *Quod in ſervitutem Theſſalos redegerunt Daochus, Cineas, Thraſidæus; Arcadas Cercides, Hieronymus, Eucalpides; Argivos Myrtes, Teladamus, Mnaſeas, Elienſes Euxitheus, Cleotimus, Ariſtæchmus; Meſſenios, Phliadi Diis inviſi filii Neon, & Thraſylochus; Sicyonios Ariſtratus, Epichares; Corinthios Dinarchus, Demaratus; Megarenſes Ptæodorus, Elixus, Perilaus; Thebanos Timolaus, Theogiton, Anemætas. Eubœenſes Hipparchus, Clitarchus, Soſiſtratus. Dies me deficeret Proditorum nomina recenſentem.* Quamquam Polybius [e] Demoſtheni dicam impingit propter inuſtam proditionis notam iis iiſdem totius tunc Græciæ celeberrimis viris, excuſatque præſertim Cercidem, Hieronymum, Eucalpidem Arcadas, Neonem, Thraſylochumque Meſſenios, quod Philippi ſocietatem ſint amplexi, non ut Cives opprimerent, ſed ut Patriam à Lacedæmoniis tuerentur. At pietati, ſuæque in Cives benevolentiæ tribuendum eſt, Polybium Megalopolitam ab Arcadibus ſuis hanc infamiam depellere ſtuduiſſe. Cæterùm res erat apud Græcos certiſſima, famaque per hominum ora ad Pauſaniæ [f] uſque tempora permanaverat, unam à proditione ſe immunem ſervaſſe Lacedæmonem, dum Philippus Amyntæ filius iter ad totius Græciæ imperium ſibi ſumma felicitate communivit. Quin & ipſum Philippum in hac Proditorum comparandi ſibi felicitate ſeſe efferre conſueviſſe Diodorus his verbis tradit: καὶ χρημάτων πλήθος διαδοὺς τοῖς ἐν ταῖς πόλεσιν ἰσχύσι, πολλοὺς ἔσχε προδότας τῶν πολιτῶν. Καὶ αὐτὸς ἧ ἀπεφαίνετο διὰ χρυσίε πολλὰς μᾶλλον, ἡ διὰ τῶν ὅπλων ἠυξηκέναι τὴν ἰδίαν βασιλείαν. *Ingentibus pecuniis inter*

[e] *Polybius in excerp.* [f] *Pauſ. in Achaic.*

potentiores

potentiores in qualibet Urbe diſtributis, multos habuit, qui Patriam ſuam prodiderunt. Ipſe verò palàm dicere non dubitabat, auro magis, quàm armis auctum regnum ſuum.

[m] In hoc argumento ſatis ſupra commorati ſumus n. [B] Olynthiacæ primæ, atque alibi.

[n] Bœotia ab Oriente oppoſitam habet Eubœam interfluente Euripo, ab Occaſu Phocidem, à Borea Ægæum mare, Atticam à Meridie, ut deſcribit Euſtathius, qua tamen ex parte Corinthiacum quoque ſinum attingit. Τριθάλασσον *Trimarem* eam vocat Strabo, quoniam, ut opinor, diſtinguit geminos ſinus, quibus ab Eubœa ſeparatur, quamvis eos conjungat Euripus. Pluribus antea nominibus vocata eſt, Aonia ab Aone Rege Neptuni filio, Cadmeis à Cadmo, cui paruit, Meſapia, Ogygia, Bœotia demum à Bæoto ejuſdem Neptuni filio, qui ab eventu id nomen accepit, ut canit Euphorion apud Euſtathium.

Ὄφρα τε μαντεύοιτο μεθ' υἱάσι Βοιωτοῖο
Τόν ῥα Ποσειδάωνι δαμασσαμένη Τέκεν Ἀρνη,
Βοιωτὸν δ' ὀνόμηνε. Τὸ γὰρ καλέσαντο Νομῆες,
Ὅτλι ῥα παλαιώῃσι Βοῶν ἀποθήκαλο κόπροις.
Ut conſuleret cum filiis Bœoti,
Quem Neptuno ſubacta peperit Arne,
Ac Bœotum vocavit. Sic enim illum Paſtores dixerunt,
Quippe paternis Boum ſtabulis reconditus eſt.

Alii, quos inter Caſtor, à Bove Bœotiam nuncupatam volunt, quo ducente Cadmus in hanc Regionem pervenit, ut eſt apud Ovidium [s].

Bos tibi, Phœbus ait, ſolis occurret in arvis,
Nullum paſſa jugum, curvique immunis aratri.
Hac duce carpe vias, & qua requieverit herbâ,
Mœnia fac condas, Bœotiaque illa vocato.

Provincia totius Græciæ feraciſſima plures habuit Urbes, ſæpius jam à nobis memoratas, quarum [h] nobiliores, ſub Paucorum ſtatu degentes, ſuis legibus, ſuâque utentes libertate in communi totius Bœotiæ Conventu

[s] *Ovid. Metam.* l. iii. [h] *Thucyd.* lib. v.

Rempublicam administrabant. Has undecim fuisse, ex illustri Thucydidis [1] loco satis apertè conjectare mihi videor. Narrat enim, cum in Bœotiam Athenienses infesta tulissent arma, ad eos ejiciendos Tanagræ Bœotiorum exercitum convenisse. Καὶ ἐπειδὴν αἱ ἀπὸ πασῶν τῶν πόλεων παρῆσαν, ἡ ἡθάνουλο τὰς Ἀθηναίους προσχωρεῖνας ἐπ' οἴκου, τῶν ἄλλων Βοιωταρχῶν, οἳ ἐισὶν ἕνδεκα, ὁ ξυνεπαινέσαντων μάχεσθαι, ἐπειδὴν ἐκ ἐν τῇ Βοιωτίᾳ ἔτι εἰσὶ, Παγώνδας ὁ Ἀιολάδου Βοιωταρχῶν ἐκ Θηβῶν μετ' Ἀριανθίδου τοῦ Λυσιμαχίδου, ἡ ἡγεμονίας ἦσης αὐτῷ, βουλόμενος τιὼ μάχιν ποιῆσαι ἐπεισε τὰς Βοιωτὰς ἰέναι ἐπὶ τὰς Ἀθηναίους, ἡ τὸν ἀγῶνα ποιεῖσθαι, λέγων τοιάδε. Χρὴ μὲν, ὦ ἄνδρες Βοιωτοὶ, μηδ' εἰς ἐπίνοιαν τινὰ ἡμῶν ἐλθεῖν τῶν ἀρχόντων, ὡς ἐκ εἰκὸς Ἀθηναίοις, ἰὼ ἄρα μὴ ἐν τῇ Βοιωτίᾳ ἔτι καλαλαβώμεν αὐτοὺς, διὰ μάχης ἐλθεῖν, &c. *Et cum ex omnibus adesſent Civitatibus, audiſſentque, Athenienſes Domum ſuam rediiſſe; cumque totius provinciæ Magiſtratus, qui undecim ſunt, non laudarent, pugnam adverſus illos, utpote qui jam diſceſſiſſent, inire; Pagondas Æoladi filius, qui cum Arianthide Lyſimachi filio pro Thebanis Magiſtratum gerebat, & qui tunc Præſes erat, cupiens prælium committi, Bœotos hortatus eſt, ut irent contra Athenienſes, manuſque conſererent, ita loquutus. Oporteret, Bœoti, noſtrùm nemini, qui Magiſtratum habemus, in mentem veniſſet, certamen cum Athenienſibus ineundum non eſſe, niſi illos in Bœotia comperiamus &c.* Non tamen apud eosdem Magiſtratus ſuprema fuit univerſæ gentis auctoritas; ſed, ut in omni Republica, ipſi erant publici conſilii principes, plurimâque præditi poteſtate; Imperii verò ſumma penes quatuor Senatus reperiebatur, ejuſdem Thucydidis [1] teſtimonio. Περὶ ᾧ τὰς ὅρκους γενέσθαι, οἱ Βοιωτάρχαι ἐκοίνωσαν ταῖς τέτταρσι βουλαῖς τῶν Βοιωτῶν ταῦτα, ἅπερ ἅπαν τὸ κῦρος ἔχουσι. Καὶ πρῶτον γενέσθαι ὅρκους ταῖς πόλεσιν, ὅσαι βούλονται ἐπ' ὠφελείᾳ σφίσι ξυωμοσῖαι. *Antequam verò* fœdus cum Argivis ictum *jurejurando confirmaretur, Bœotorum Magiſtratus de ipſo certiores*

[1] *Thucyd.* lib. iv. [1] *Thucyd.* lib. v.

fecerunt

fecerunt quatuor provinciæ Senatus, apud quos totum Imperium eſt, iiſque ſuaſerunt, ex ipſorum eſſe utilitate juramento ſe obſtringere cum quibuſcunque Civitatibus, quæ Societatem inire vellent. Inter ipſos Bœotios præcipuo quodam Urbis ſplendore, dignitate, viribus Thebani eminebant, qui non aliis præſtare, ſed dominari cum vellent, ſæpius eorum libertatem convellere, ac labefactare ſtuduerunt, ut nos quoque pluribus in locis annotavimus. Tantùm verò in iiſdem Thebanis potuit iſtud imperandi univerſæ Bœotiæ deſiderium, ut eam pacem, quam Artaxerxe pacificatore Græcorum populi ſecum ipſi conſtabilierunt, ſoli Thebani repudiaverint. Quippe ejus conditione cautum fuerat, ut unaquæque Civitas ſuam teneret libertatem; Ipſi autem belli diſcrimen adire, quàm ſponte Bœotiæ cedere maluerunt. Διόπερ ἕκαστοι δοι γενηθέντες ὥσπερ ἦ πρότερον, σωσείχον τὴν Βοιωτίαν ἐν τῇ καθ' αὑτὸς μίᾳ συντελείᾳ. *Quapropter à fœdere excluſi, Bœotiam, ut antea, ſibi tributariam retinebant* [m]. Variante igitur eorundem fortunâ varia etiam fuit Provinciæ ſors, quoad Philippus paullo ante hujus Orationis tempus illam in ipſorum Thebanorum detulit poteſtatem, ut habet hoc loco Demoſthenes.

[o] Quid Macedo in ipſo pacis conſtabiliendæ articulo Athenienſibus facturum ſe promiſerit, & quòd promiſſis non ſteterit, ſatis, ſuperque n. [1] Orat. de Pace dictum eſt. Quare ad mercenarios Oratores, qui iſthic plurimùm divexantur, ſermonem deflectimus. Et primùm quidem mirari ſubit, Athenis tam facilè id crimen patratum fuiſſe, quum illud atrociſſimis legibus prohiberetur. Επὶ ᾧ τῶν δωροδοκηθέντων, ſunt Dinarchi verba [n] δύο μόνον τιμήματα ἐποιήσασιν· ἢ θάνατον, Ἵνα ταύτης τυχὼν τῆς ζημίας ὁ λαβὼν παράδειγμα γένηται τοῖς ἄλλοις· Ἡ δεκαπλᾶν ἃ ἐξ ἀρχῆς λήμματος τὸ τίμημα τῶν δωρῶν, ἵνα μὴ λυσιτελὲς ᾖ τοῖς τᾶτο τολμῶσι ποιεῖν. *Contra homines verò in Republica donis corruptos duas pœnas conſtituerunt; aut Mortem, ut qui*

[m] *a.* 2. *O.* 101. *a.* 1. *O.* 102. *Diod.* lib. xv. *Xenoph. de rebus Græc.* lib. v. [n] *Dinarch. adv. Dem.*

eâ

eâ multaretur, ſe aliis exemplum præberet; aut decuplam accepti muneris pecuniam, ut qui hanc accipere auſi forent, nullum inde fructum caperent utilitatis. Deinde nihil Athenis turpius, nihil ſordidius mercenario Oratore, ſi Demoſthenem velimus [o] audire: *εἴ τις ὑμᾶς ἔροιτο, τὶ πονηρόταλον νομίζετε τῶν ἐν τῇ πόλει πάντων εἶναι; ὅτε τοὺς γεωργοὺς, οὔτε τοὺς ἐμπόρους, οὔτε τοὺς ἐκ τῶν ἀργυρείων, οὔτε τῶν τοιούτων οὐδὲν ἂν εἴποιτε. Αλλ' εἰ τοὺς ἐπὶ μισθῷ λέγειν, ἢ γράφειν εἰωθότας εἴποί τις. Si quis vos interroget; quos viliſſimos in urbe putatis quorumlibet hominum; profectò nunquam Agricolas dicetis eſſe, non Mercatores, non Metallicos, non alios hujuſmodi; ſed eos, qui mercede conducti publicè dicunt, aut vendunt ſuffragia.* Attamen jam olim invaluiſſe Athenis, ut in Reipublicæ adminiſtratione omnia propemodum donis fierent, Xenophontis teſtimonio certum, atque exploratum eſt. Λέγουσι δέ τινες, inquit [p], *ὡῦ τις ἀργύριον ἔχων βουλοίη πρὸς Βελλὼ, ἢ Δῆμον, χρηματίσαι. Εγὼ ἢ τούτοις ὁμολογησαίμ' ἂν ἀπὸ χρημάτων πολλὰ διαπράτ[illegible]εσθαι Αθλώησι, ἢ ἔτι ἂν πλείω διαπράτ[illegible]εσθαι, εἰ πλείους ἐπεδίδοσαν ἀργύριον, &c. Sunt qui dicant, ſi quis argentum habens Senatum, aut Populum adeat, negotium ſuum confecturum. His, qui hæc dicunt, fateor ego multa confici Athenis datâ pecuniâ; plura quoque confici poſſe, ſi plures argentum darent &c.* Demoſthenis autem tempore quantùm ſerperet morbus iſte, quo maximè concutitur ſalus publica, non ſolùm hoc loco, ſed paſſim, & ubique vociferatur.

Priuſquam ab hoc argumento diſcedamus, occaſio libenter arripienda eſt, de Annonæ vilitate loquendi, quam paulò infra Demoſthenes ait Athenis tantam eſſe, ut omnes admirarentur, & meritò quidem, quippe in urbe, ſterili, exilique ſolo poſitâ. Frumento igitur Demoſthenis ætate pretium erat quinque drachmæ in ſingulos Medimnos, quæ menſura congruit cum Etruſcorum Sacco: *εἰσαγαγόντος πλείους ἢ μυρίους μεδίμνους*

[o] *Demoſth. adv. Ariſtocrat.* [p] *Xenoph. de Rep. Athen.*

πυρῶν, διεμετρήσαμεν ὑμῖν τῆς καθεκάστης τιμῆς πέντε δραχμῶν τὸν μέδιμνον. *Adductis pluſquam decem millibus Medimnorum frumenti, illud dimenſi ſumus conſtituto quinque Drachmarum pretio in quemlibet Medimnum*, ut Orator ait [q]. Ejus autem quotannis ad quadringenta Medimnorum millia, quod planè mirum, Athenas advehi, ejuſdem Demoſthenis [r] teſtimonio comprobatur: ἴσε γὰρ δήπου τοῦθ', ὅτι πλείστῳ τῶν ἀπάντων ἀνθρώπων ἡμεῖς ἐπισιτιζόμεθα σίτῳ χρώμεθα. Πρὸς τούτοις ἅπαντα, τὸν ἐκ τῶν ἄλλων ἐμπορίων ἀφικνούμενον, ὁ ἐκ τοῦ Πόντου σῖτος εἰσπλέων ἐστὶν εἰκότως. Et infra: αἱ τοίνυν παρ' ἐκείνων δύο ἀφικνούμεναι σίτου μυριάδες περὶ τετταράκοντά εἰσί. Καὶ τοῦτο ἐκ τῆς παρὰ τοῖς σιτοφύλαξιν ἀπογραφῆς ἔν τις ἴδοι. *Id ſanè vobis compertum eſt, quòd nulla gens advecto frumento utitur adeo, ut nos utimur. Nam præter cætera, & præter ipſum frumentum, quod ex aliis Emporiis, & Ponto maximè huc advehitur &c. Quæ igitur illinc ad nos perveniunt multa frumenti* Medimnorum *millia, ſunt ad quadringenties millia. Id autem è ſcriptura penes horreorum Cuſtodes videri poteſt.* Vini tres Cotylæ uno venierunt obolo. Cotyla Sextarii dimidium, ſextarium ſexta erat Congii pars, Congium prope ad Cadum Etruſcum acceſſiſſe arbitror. Bos quinque drachmis Solonis ætate; ſingulæ Pecudes unâ tantùm, ut Plutarchus in ejuſdem Solonis vita literis conſignavit: Λύκον δ' τῷ κομίσαντι, πέντε δραχμὰς ἔδωκε. Ἀρνίδα δ', μίαν. Ὧν φήσιν ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος τὸ μὲν, Βοὸς εἶναι, τὸ δ', προβάτου τιμήν. *Lupum adducenti quinque drachmas dedit; Lupam verò, unam. Illud, pretium unius Bovis fuiſſe dicit Phalæreus Demetrius; alterum, Ovis.* Et quamvis Lyſias [t] affirmet, Diogitonem, contrà quem orat, agnum ſexdecim drachmis emiſſe in Bacchanalibus; Id vel prodigè feciſſe, vel quadam jactantiâ prædicaſſe patet. Porcus denique Ariſtophanis tempore, tribus drachmis, ut ipſe in Comœdia de Pace Trygæum dicentem inducit.

[q] *Demoſth. in Phorm.* [r] *Idem adverſus Leptinem.* [t] *Lyſias adv. Diogitonem.*

Εἰς

Εἰς χοιρίδιόν μοι νῦν δάνεισον τρεῖς δραχμάς.
Ad Porcellum commoda mihi tres drachmas.

Quæ quidem vilitas annonæ majori foret admirationi, niſi Aſiam eâ vel uberiori floruiſſe, ex ipſo colligerem Ariſtophane, cujus hæc ſunt in Acharnenſibus verba.

Επεμψάμεθ' ὑμᾶς εἰς Βασιλέα τὸν μέγαν,
Μισθὸν φέροντας δύο δραχμὰς τῆς ἡμέρας
Ἐπ' Εὐθυμένους ἄρχοντος.
Miſimus vos ad magnum Regem,
Conſtitutâ duarum drachmarum quotidie mercede,
Cum Prætor fuit Euthymenes.

Quod ſi duæ drachmæ ſatis erant in dies Legatis ad ſeſe, Comitatumque ſuum alendum, dum ad Perſarum Regem magnificè pro majeſtate Reipublicæ proficiſcerentur, profectò incredibili rerum omnium affluentiâ divitem Aſiam credere par eſt.

[p] Hæc obita Trierarchi, Choragique munera, ſuaque in Rempublicam merita ob datam pecuniam, ac Cives aliquos ereptos è Macedonum ſervitute deſcribit Demoſthenes non uno in loco. Trierarchus enim fuiſſe dicit in Midiana, vix è pueris egreſſus. Κρίνω μὲν κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους ἐτριηράρχην, εὐθὺς ἐκ παιδῶν ἐξελθών, ὅτι συμβὰν ἦμεν οἱ τριήραρχοι, καὶ τὰ ἀναλώματα πάντα ἐκ τῶν ἰδίων οἴκων, καὶ τὰς ναῦς ἐπληροῦμεν αὐτοί. *Ego equidem per ea tempora Trierarchatum geſſi, ſtatim ac ſum è pueris egreſſus, duoque fuimus Trierarchi* (in ſingulas triremes,) *omnem è propriis Laribus ſumptum attulimus, ipſaſque* noſtrâ pecuniâ *naves nautis implevimus.* Choragus autem, ſeu Ædilis, ita creatus fuiſſe refert in eadem Oratione: Επειδὴ γὰρ οὐ καθεστηκότος Χορηγοῦ τῇ Πανδιονίδι φυλῇ τρίτον ἔτος τοῦτο, παρούσης δὲ τῆς Ἐκκλησίας, ἐν ᾗ τὸν ἄρχοντα ἐπικληροῦσι ὁ νόμος τοῖς χορηγοῖς τὰς αὐλητρίδας κελεύει, λόγων, καὶ λοιδορίας γιγνομένης, καὶ κατηγορούντων τὸ μὲν ἄρχοντος τῶν ἐπιμελητῶν τῆς Φυλῆς, τῶν δὲ ἐπιμελητῶν τοῦ ἄρχοντος, παρελθὼν ὑπεσχόμην ἐγὼ χορηγήσειν ἐθελοντής. *Cum enim hoc jam tertio anno Pandionia Tribus Ædilem ſuum non conſtituiſſet, & Concio adeſſet in qua lex jubet, Prætorem Tibicines pro ſingulis Choris ſortiri. Multi proinde ſermones fierent, adderen-*

tur

tur convitia, atque invicem ſeſe objurgarent Prætor, Tribuſque Curatores, ego ſponte me curaturum Ædilitatem promiſi. Qua in Ædilitate, ut infra ſubjicit, εἰσίακα τῇ φυλῇ ἐγὼ, καὶ Παναθηναίοις κεχορήγηκα, *Epulum Tribui dedi, Panathenæa curavi.* De collata verò in publicos uſus pecunia, eodem loco ſic loquitur: Ἡγεμὼν συμμορείας ὑμῖν ἐγενόμην ἐγὼ ἔτη δέκα εἰσφέρων, &c. ὑμῖν τριήρη ἐπέδωκα. *Meæ princeps claſſis tributum vobis decem annos perſolvi, &c. vobis triremem donavi.* Rurſus reficiendis Urbis mœnibus de ſuo quid impenderit, quidve ad Sacrificia, ex ipſo Athenienſium decreto[1] audiendum eſt: ἐπὶ ἀρχόντος Εὐθυκλέους, &c. Ἐπειδὴ Δημοσθένης Παιανιεὺς, γενόμενος ἐπιμελητὴς τῆς τῶν τειχῶν ἐπισκευῆς, καὶ προσαναλώσας εἰς τὰ ἔργα ἀπὸ τῆς ἰδίας οὐσίας τρία τάλαντα, ἐπέδωκε ταῦτα τῷ Δήμῳ, καὶ ἐπὶ τοῦ θεωρικοῦ κάλαισθεὶς, ἐπέδωκε τοῖς ἐκ πάσων τῶν φυλῶν θεωρικοῖς ἑκατὸν μνᾶς εἰς θυσίας, δεδόχθαι τῇ βουλῇ, καὶ τῷ Δήμῳ τῶν Ἀθηναίων ἐπαινέσαι Δημοσθένην Δημοσθένους Παιανιέα, ἀρετῆς ἕνεκα, καὶ καλοκαγαθίας, ἧς ἔχων διατελεῖ εἰς παντὶ καιρῷ εἰς τὸν Δῆμον τῶν Ἀθηναίων, καὶ στεφανῶσαι χρυσῷ στεφάνῳ, καὶ ἀναγορεῦσαι τὸν στέφανον ἐν τῷ Θεάτρῳ, Διονυσίοις, Τραγῳδοῖς καινοῖς. Τῆς δ' ἀναγορεύσεως ἐπιμεληθῆναι τὸν Ἀγωνοθέτην. *Prætore Euthycleo, &c. Quòd Demoſthenes Demoſthenis filius Pæanienſis; dum refectionis mœnium Curator eſſet, in id opus è ſuo tria talenta impenderit, eaque Populo donaverit; rurſus Theatralibus ludis præfectus, in omnium Tribuum ludis centum minas dederit ad Sacrificia; viſum eſt Senatui, Populoque Athenienſi laudare Demoſthenem Demoſthenis filium, Pæanienſem, ob virtutem, ac bonitatem, qua ſemper erga Populum Athenienſem uſus eſt; ipſumque aureâ coronâ redimire. Coronam verò proclamari in Theatro, dum Bacchanalibus novæ aguntur Tragœdiæ. Proclamationis ab Agonum Præſide curam geri.* Denique Civium aliquot ſuâ pecuniâ ſe redemiſſe teſtatur in Orat. de falſa Legatione. Nam cum primò Legatus in Macedoniam perrexit, quibuſdam captivis A-

[1] *Demoſth. d. Corona.*

thenienſibus

thenienſibus recepit ſe cum pretio rediturum, ut eos vinculis eximeret. Idcircò ſecundam obiiſſe Legationem dicit, ut fidem ſuam liberaret, nam ſine Legati munere tutò illuc ire non potuiſſet; ſe verò promiſſa feciſſe, & Cives ſuâ ſervaſſe liberalitate, in eadem Oratione, ac non ſemel alibi gloriatur. Verùm Æſchines [u] hanc ipſam liberalitatem elevat, atque ita rem narrat. Ἐπορεύετο δὴ λυσόμενος τὺς αἰχμαλώτυς, ὡς ἔφη, ἦ πρὸς ὑμᾶς ἀρτίως εἴρηκεν, εἰδὼς μὲν Φίλιππον ἐν τῷ πολέμῳ οὐδένα πώποτε Ἀθηναίων λύτρα πραξάμενον, ἄκων δὲ τῶν ἐκείνε φίλων ἀπάντων, ὅτι ἦ τὺς λοιπούς, ἐὰν εἰρήνη γένηται, ἀφήσει. Πολλῶν δ' ἠτυχηκότων, τάλαντον φέρων, ἑνὸς ἀνδρὸς, οὐδὲ τύτυ λίαν ἐυπόρυ, ἱκανὰ λύτρα. *Ibat autem Servos è vinculis diſſoluturus, ut dicebat, & nuper apud vos dixit; non ignarus, Philippum velle captos in bello Athenienſes nullo pretio dimittere; quin & ab ejus amicis certior factus, reliquos etiam, cum pax coaleſcat, libertati reſtituturum. Cum autem plures eſſent hujuſmodi preſſi calamitate, unum talentum attulit, vix unius hominis, nec admodum locupletis pretium.* Minus tamen Æſchini vehementer in æmulum concitato credendum eſt, quàm adeo inverecundum fuiſſe Demoſthenem, ut ſe in falſo beneficio apud Populum jactare auſus fuerit.

[q] Timotheus Cononis filius, clariſſimus Athenienſium Dux in noſtrum ſermonem ſæpius incidit, ejuſque ſplendidiora facinora haud ſemel annotationibus iſtis ornamentum præbuere. Compendiò nunc aſſerimus, quæ de illo refert Cornelius Nepos [x]. *Hic à Patre acceptam gloriam multis auxit virtutibus. Fuit enim diſertus, impiger, laborioſus, rei militaris peritus, neque minus regendæ Civitatis. Multa hujus ſunt præclara facta, ſed hæc maximè illuſtria. Olynthios, & Byzantios bello ſubegit; Samum cepit, in qua oppugnanda ſuperiori bello Athenienſes mille ducenta talenta conſumpſerant. Hanc ille ſine ulla publica impenſa Populo reſtituit. Adverſus Cotyn bella geſſit ab eoque mille ducenta*

[u] *Æſch. de falſa legat.* [x] *Corn. Nepos vita Timoth.*

talenta prædæ in publicum detulit. Cyzicum obſidione liberavit; Ariobarzani ſimul cum Ageſilao auxilio profectus eſt, à quo cum Laco pecuniam numeratam accepiſſet, ille Cives ſuos agro, atque Urbibus augeri maluit, quàm id ſumere, cujus partem Domum ſuam ferre poſſet. Itaque accepit Erichthonem, & Seſtum &c. Corcyram ſub imperium Athenienſium redegit &c. quæ victoria tantæ fuit Athenis lætitiæ, ut tum primùm aræ Paci publicæ ſint factæ, eique Deæ pulvinar ſit inſtitutum. Cives, laudis ut memoria maneret, Timotheo publicè ſtatuam in Foro poſuerunt, qui honos huic uni ante hoc tempus contigit, ut cum Patri Populus ſtatuam poſuiſſet, Filio quoque daret &c. Propter Charetis accuſationem &c. à Populo centum talentis multatus (quod pecuniam à Chiis, & Rhodiis accepiſſet, ſi Dinarcho in Oratione contra Demoſthenem fides habeatur) *exul Chalcidem ſe contulit. Conon filius dedit ſolùm decem in murorum refectionem, quos Conon avus inſtauraverat &c.* Eloquentiæ, ac bellicæ diſciplinæ laudem eidem adſcribit his verbis Romanorum eloquentiſſimus Cicero[7]: *Ut hic idem Africanus eloquentiâ cumulavit bellicam gloriam. Quod idem fecit Timotheus Cononis filius, qui, cum belli laude non inferior fuiſſet, quàm Pater, ad eam laudem, doctrinæ, & ingenii gloriam adjecit.* Hujus præſtantiſſimi Imperatoris argenteum maximæ formæ nummum vidi ſummæ integritatis, atque elegantiæ apud Virum doctiſſimum Joannem Stajum, Sacerdotem Cretenſem, cujus induſtriæ, atque humanitati, ſi quidpiam profecerim in græcis literis, totum debeo; diu ſiquidem eo Magiſtro uſus ſum. Ille verò non ſolùm penitus callet veterem, ac vernaculam, quæ ipſi nativa eſt, græcam linguam; ſed præter Latinam, eique finitimas noſtras Europæas, Turcicam, Sirpamque, ut vocant, quam græci ritus Populi ad Iſtrum incolentes loquuntur. Hæ autem vel ad ſeveriores diſcendas, humanioreſque diſciplinas, in quibus omnibus luculenter verſatus eſt, vel ad propagandam veri Numinis

[7] *Cic.* lib. i. *de Off.*

Religionem

Religionem in Ægæi Maris Inſulis, atque in extrema Dacia, quam Vallachiam dicunt, ubi plures degit annos, ei aditum aperuerunt. Ut ad rem noſtram redeam, iſthæc Euboica expeditio, de qua nunc Demoſthenes loquitur, ea ipſa eſt a. 3. O. 105. ab Athenienſibus ſuſcepta, ob quam ab Eubœenſibus aureâ coronâ donati ſunt, ejuſdem Oratoris teſtimonio [z]: Εὐβοεῖς σωθέντες, καὶ ἐλευθερωθέντες ἐστεφάνωσαν τὸν Δῆμον. *Eubœenſes acceptâ ſalute, ac libertate Populum Athenienſium coronarunt.* Illam nos jampridem deſcripſimus Pag. 128. n. [v] Orat. primæ contra Philippum.

[z] *Demoſth. adv. Timocratem.*

ANNOTATIONES AD PHILIPPI EPISTOLAM.

[A] IN Argumento Orationis de Cherſoneſi rebus oſtendimus Diopithem, Athenienſium juſſu, Colonos in Cherſoneſum deduxiſſe, & cum ad eos recipiendos cogere Cardianos non potuiſſet, (ſiquidem Philippi viribus confirmati [a] ſatis ad reſiſtendum roboris nacti fuerant) adducto in maritimam Thraciæ oram, quæ Macedoni obtemperabat, exercitu, illam ferro, ac flammâ depopulatum fuiſſe, injuriæ vice hoc pacto Regi redditâ. Huc quicquid modò querelarum eſt, referri debet.

[B] Anthemocritus Legationem ab Athenienſibus ad Megarenſes obiens, (qua his Reipulicæ nomine indixit, ut à tellure Deo ſacra, quam audacter colebant, diſcederent, & ni facerent, minas addidit) jure gentium violato, ab iiſdem Megarenſibus imperata facere detrectantibus, necatus eſt. Quamobrem Athenienſes incenſi tanti facinoris indignitate, non modò eam gentem perpetuò ab Eleuſiniis Sacris prohibuerunt, conſtitueruntque ad prodendam Poſteris ſceleris memoriam publicum ante Urbis fores monumentum, ut ſcribit Philippus; ſed perpetuò ab Atticis portubus, & ab omni Foro excluſerunt. Anthemocriti verò memoria decreto publico conſecrata eſt, eique excitatum ex Ærario buſtum in ſacra via [b]. Tantam crimen iſtud infamiam detulit Megarenſibus, ut vel pro-

[a] *Demoſth. Philip. 4. Idem habetur in hac Ep.* [b] *Pauſ. in Attica.*

pterea

pterea καλαρώτοι *execrandi, maledicti* (ut non rarò eos nuncupat Demoſthenes [d]) vocarentur, & commune ſibi Græcorum odium comparaverint. Nec minus ob iſtud ab Hadriano Imperatore, dum prope in veterem ſplendorem Græciam reſtituit, ii tantummodo præteriti ſunt [e].

[c] Hujus Philippicæ querelæ caput, quin totius facti ſeries ab Æſchine petenda eſt in Oratione contra Cteſiphontem. Sic igitur habet. Callias Mneſarchi filius Chalcidenſis, maximæ inter Cives ſuos auctoritatis, inclaruit primùm Philippi familiaritate, in Athenienſes odio. Nam cum iſti in Eubœam tranſmiſiſſent; auxilium Plutarcho daturi, Callias ipſorum exercitum in graviſſimum diſcrimen adduxit, ut n. [D] Orat. de Pace dictum eſt. Injuriam tamen, cum id tempus poſtularet, diſſimularunt, datâ illi veniâ, reconciliatâque amicitiâ. Verùm ille haud contentus Chalcide Tyrannum agere, ad totius Inſulæ imperium viam ſibi munire ſtatuit conciliatâ ſibi Philippi familiaritate. Ad eum profectus, ac voti compos, acceptam à Rege benevolentiam non diu retinuit ob privatas contentiones. Inde Thebanorum patrocinium exoraturus ad eos confugit. Καλλιπὼν ὁ κἀκείνους, ἢ πλείους τραπόμενος τροπὰς τῷ Εὐρίπῳ, παρ' ὃν ᾤκει, εἰς μέσον πίπλει τῆς Θηβαίων ἐχθρᾶς, ἢ τῆς Φιλίππου. *Sed iis quoque relictis*, ut Æſchinis verbis utar, *atque Euripo inconſtantior, ad quem habitabat, in medias incidit Thebanorum, ac Philippi inimicitias.* Igitur cum in ſe paratum iſtorum exercitum intelligeret, & quid ageret æſtuaret, iterum Athenienſium animos, miſsâ Legatione, pertentavit. Tantùm verò profecit, (lucratus muneribus Demoſthenem, alioſque principes Civitatis, ut Æſchines ait; ſeu, ut credere par eſt, demonſtratâ Reipùblicæ utilitate, ſi ſe, atque Eubœenſes adverſus Philippum Socios daret,) ut rurſus cum illis fœdus inierit. Quæ poſtquam geſta ſunt, ipſe Athenis affuit, ac pro Concione Populum hortatus eſt, ut Regem bello peterent; ſeſe è Peloponeſo hanc ipſam ob rem in annos ſingulos

[d] *Demoſth. adv. Ariſtocr. & alibi.* [e] *Pauſ. in Attica.*

talentorum centum collationem obtinuiſſe; ab Achæis, & Megarenſibus, ſexagenûm; quadragenûm ab Eubœenſibus, unde centum triremes, decem peditum millia, equites mille conſcribi poſſent, præter domeſticas cujuſcunque Civitatis Copias. Eadem referebat Demoſthenes nuper regreſſus à Peloponeſiaca Legatione, quin & ad plenilunium Novembris affuturos Athenis earundem Civitatum Legatos. Proinde Athenienſes Calliæ conſilium ſequuti ſunt; decreverunt etiam è Demoſthenis ſententia, ut Eretria, atque Oreum decem illa talenta, quæ utraque Civitas ex æqua parte Reipublicæ, tributi nomine, pendebat, ipſi Galliæ in ejuſmodi negotium ſolverent. Hæc Æſchines. Hinc facilè conjectari licet, illum deinde bellatorum Copias collegiſſe, eaque Philippo damna intuliſſe, quæ iſte hoc loco Athenienſibus commemorat.

[D] Cum Philippus incredibili felicitate quicquid hoſtium habebat vi perfregiſſet, ac plures Græcorum, ad ſuos quique hoſtes profligandos, in ejus partes concederent, Athenienſes in gravi ſervitutis periculo verſabantur. Igitur Demoſthenes, & qui publicæ ſalutis cupidi cum eo ſentiebant, de coeunda cum Rege Perſarum ſocietate ſermones agitare cœperunt: nam hujus quoque nimiùm intererat, Macedonis potentiam coercere, nè Aſiam domitâ Græciâ, ut rei eventus comprobavit, cogitaret. Palam verò ſententiam ſuam aperuit in Philippica, ut vulgò inſcribitur, quartâ, multaſque rationes affert, propter quas ejus amicitia quærenda ſit, ac rem ita concludit: *ὑπὲρ δὴ τούτων ἁπάντων οἶμαι δεῖν ὑμᾶς πρεσβείαν ἐκπέμπειν, ἥτις τῷ βασιλεῖ διαλέξεται*, &c. *Propter hæc omnia puto, Legationem à vobis mittendam eſſe, quæ cum Rege colloquatur*. Hanc autem illicò decretam fuiſſe ex his ipſis Philippi literis patet, quæ paulò poſt laudatam Concionem datæ ſunt, ut infra compertum erit. Id quoque cùm Reipublicæ ratio ſuadet, tum Demoſthenis auctoritas, quæ poſtremis ejuſdem Reipublicæ temporibus, ut Romæ Tullii, fuit maxima. Nam cum prope diſcrimen adeſt, non amplius ſubdolis, ſed bonis creditur Conſiliariis, at id ferè plerumque.

[E] Ochus

[ε] Ochus cognomento Artaxerxes Perſarum Rex bellum, ut jampridem retulimus, adverſus Ægyptios eâ negligentiâ per Imperatorem ſuum gerebat, ut nihil proficeret, quin ſocordiæ opinione ad rebellandum illexit Cyprios, Phœnicioſque. Hoc nuntio veluti admotâ iracundiæ flamma excitatus, ann. 2. Olympiad. 107. maximas ipſe Copias adverſus rebelles duxit; Græcos etiam, miſsâ pecuniâ, ad facienda ſecum ſtipendia ſolicitavit. Conditionem Thebani, aliique, ut olim diximus, acceperunt. Ἀθηναῖοι μὲν, καὶ Λακεδαιμόνιοι τῷ φιλίαν ἔφασαν τῷ πρὸς Πέρσας τηρεῖν, συμμαχίαν δὲ ἀποστέλλειν ἀνέπεσον. *Athenienſes autem, & Lacedæmonii velle ſeſe amicitiam cum Perſis tueri dixerunt, milites autem pro ſocietate mittere repudiarunt*, ut Diodorus ait [f]. Ipſis enim ante oculos verſabatur quotidiè Græcia olim à ſolis Perſis in diſcrimen adducta, eique vitando diſcrimini nihil intereſſe magis, quàm ejus regni potentiam frangi domeſticis diſſidiis, ac labefactari. Sed cum anno 3. ejuſdem Olympiadis bellum Artaxerxi bene ſuccederet, Phœniciâ, atque Ægypto in extremas anguſtias redactis, dubitari nequit, quin hoc tempore decretum Athenienſes de Rege ab illarum occupatione prohibendo fecerint, quod modò à Macedone commemoratur. Mox tamen Phœnicia ſubacta eſt, & inſequenti anno Ægyptus [g]. Id cum ſolertiſſimus Orator adverſaturum cognoſceret ſententiæ ſuæ; qua calliditate omnem eruat ſcrupulum, excludatque metum, profectò audiendus eſt. Καὶ δὴ βάρβαρος, καὶ κοινὸς ἅπασιν ἐχθρὸς, καὶ ἄπαυλα τὰ τοιαῦτα. Ἐγὼ γὰρ, ὅταν ἴδω τινὰ τῶν μὲν ἐν Σάμοις καὶ ἐν Εὐβοίαις δεδοικότα, καὶ κακόνουν εἶναι τῇ πόλει φάσκοντα, ὃς καὶ πρότερον σωτηρίαν ἐμηχανήσατο τὰ τῆς πόλεως πράγματα, καὶ νῦν ἐπαγγέλλεται (εἰ δὲ μὴ ἐνδέχεσθ' ὑμᾶς, ἀλλ' ἀποψηφίσασθε, οὐ τάγε ἐκείνῳ αἴτια). Ὑπὲρ δὲ τῶν ἐπὶ ταῖς θύραις ἐγγὺς οὐσῶν, ἐν μέσῃ τῇ Ἑλλάδι αὐξανομένης λῃστῶν τῶν Ἑλλήνων, ἄλλο τι λέγουσι· Θαυμάζω, καὶ δέδοικα πῦρ, ὅς τις ἐν ἡ ποτ', ἐγώγ', ἐπαιδάν οὐκ ἔστι φίλιπ-

[f] *Diod.* lib. xvi. [g] *Ibidem.*

νον. At Barbarus eſt, & communis omnium hoſtis, & plera-que hujuſmodi. Ego equidem, cum aliquem video ab iſto metuentem, qui Suſis, & Ecbatanis habitat, eumque male-volum eſſe Reipublicæ dicentem, qui & antea iſtam erexit, & nunc opem ferre promittebat (quod ſi vos illam recipere noluiſtis, decretoque veſtro recuſaſtis, neutiquam ipſe in culpa eſt.) Contra verò eundem illum cum video pro Græcorum prædone dicentem, qui adeſt in ſoribus, in me-diaque Græcia, potentiâ ac virium robore augetur; miror profectò, atque Oratorem iſtum timeo, quandoqui-dem Philippum ille haud veretur [b].

[F] Iſtud Piſiſtratidarum negotium quo pacto ſe habuerit, ab Herodoto, ac Thucydide inveſtigandum eſt. Mortuo igitur Piſiſtrato Athenarum Tyranno, Hippias ejus filius natu maximus Rempublicam ſuâ ſolùm auctoritate gerendam ſuſcepit. In ipſum, to-tamque Tyranni domum conjurarunt Harmodius, & Ariſtogiton, ille ob inflictam Sorori injuriam, quam, cum in ſolemni Panathenæorum pompâ foret Cane-phora, publicè ut indignam munere Hippias ſummo-vendam curaverat; alter ob amoris æmulationem cum Hipparcho Hippiæ fratre. Hipparchus Conjuratorum gladiis petitus mortem non fugit. Hippiam dum ca-ſu colloquentem cum quodam eorundem Conjurato-rum vident, veriti ſe detectos, prætereunt, ipſum poſt fratris necem repetituri; qua ille auditâ ſibi cavit. Harmodius, atque Ariſtogiton ſtatim haſtis confoſſi ſunt. Athenienſium plures ab Hippia morte, aut exi-lio multati. Tres deinceps annos Imperium tenuit; verùm ab Alcmæonidis, quos urbe ejecerat, Lacedæ-moniorum auxilio confirmatis, bello victus ſponte dominatu ceſſit, ac primò ad Æantidem Sigei, ac Lampſaci Tyrannum profectus, deinde ad Perſarum Regem Darium ſe contulit, ipſum contra Athenienſes concitaturus. Hinc illum, ac Piſiſtratidas omni decre-torum acerbitate proſciderunt Athenienſes; Tyran-nicidarum verò Poſteris victum in Prytaneo, & à

[b] *Demoſth. Philip. 4.*

publicis

publicis oneribus, præter Trierarchatum, & Collationes, immunitatem decreverunt [l]. Eò magis Hippias exaſperatus ſtuduit Regem in ſuam ſententiam adducere, quod tandem contigit. Illum enim irâ in Athenienſes flagrantem ob Sardes incenſas nunquam inflammare deſtitit, quoad jamdiu enarratam ſuſcepit expeditionem, quæ Marathone profligata eſt, & in qua vigeſimo, poſtquam Athenis exceſſerat, anno Hippias interfuit, ὁρμώμενος ἐς Μαραθῶνα ὕστερον ἔτει εἰκοσῷ ἤδη γέρων ὤν, μετὰ Μήδων ἐστράτευσεν, *profectus in Marathonem viginti poſt annos, jam ſenex cum Medis in Caſtris fuit* [l]. Ibi & pugnæ locum elegit, ejuſque committendæ præcipuus auctor fuit [m].

[G] Kerſobleptem, ac Teren Thraciæ Reges à Philippo in ordinem coactos, & Regno deſpoliatos a. 2. O. 109. annotatum à nobis eſt in notis ad Ol. 1. Pag. 214. Id modò ad hujus loci explicationem addo, verum eſſe, quod ille ſcribit, Kerſobleptem Reipublicæ Fœderatis adſcriptum non reperiri. Quin Demoſthenis calliditate excluſum fuiſſe, Æſchinis teſtimonio certiores reddimur [n]. Λανθάνει, inquit, γὰρ ὁ μὲν Φιλοκράτης ἐν ψηφίσμασι μετὰ τῶν ἄλλων γραμμάτων παρέγραψας· ὁ δ' ἐπιψηφίσας Δημοσθένης, ἐν ᾧ γέγραπται, ἀποδοῦναι τὰς ὄρκους τοῖς πρίσβεσι τοῖς παρὰ Φιλίππου ἐν τῇδε τῇ ἡμέρᾳ τοὺς συνέδρους τῶν συμμάχων. Παρὰ δὴ τοῦ Κερσοβλέπτου συνέδρου οὐκ ἐκάθητο. Γράψας δὴ τοὺς συνεδρεύοντας ὀμνύναι. Τὸν Κερσοβλέπτην δ' συνεδρεύοντα ἐξέκλεισε τῶν ὅρκων. *Siquidem occultè Philocrates in decreto præter cætera ſcripſit, ac Demoſthenes comprobavit, dandum eo ipſo die à Sociorum Aſſeſſoribus jusjurandum Philippi Legatis; Cum interea nemo pro Kerſoblepte conſideret. Igitur dum ille decrevit ab Aſſeſſoribus jusjurandum interponi; quando nemo aderat pro Kerſoblepte, hunc profectò ab jurejurando excluſit*, ac proinde à Fœderatorum numero.

[H] Rem ita ſe habuiſſe, ut narrat Philippus, dubitari nequit; Sed facti ſeries è gemina Æſchinis Oratione cognoſcenda eſt, ne in ſyrtes incidamus. Docet

[l] *Demoſth. adv. Leptinem, & alibi.* [l] *Thucyd.* lib. vi. [m] *Herod. in Erato.* [n] *Æſch. adv. Cteſiphontem.*

itaque in ea, quam habuit de falſa Legatione, Athenienſes, poſtquam ad ſe Legati à Philippo regreſſi fuerant cum ejuſdem Legatis, ac pacis conditiones retulerant, eas ratas habuiſſe, ſtatuiſſeque juramento confirmandas apud ipſos Macedonis Oratores, qui ad illud accipiendum venerant; ſimul autem Legati, qui priori functi erant Legatione, ad exigendum à Rege jusjurandum redirent. Id actum eſt in Concione, ἐν ᾗ Δημοσθένης, &c. λαγχάνει προεδρεύειν. Ἐν ᾗ ταύτῃ τῇ Ἐκκλησίᾳ Κριτόβουλος ὁ Λαμψακηνὸς ἐλθὼν εἰς παρελθὼν, ὅτι πέμψειε μὲν αὐτὸν Κερσοβλέπτης, αἰτοῖτο δὲ ἀποδῦναι τοὺς ὅρκους τοῖς Φιλίππου πρέσβεσιν, καὶ συμπαγραφῆναι Κερσοβλέπτην ἐν τοῖς ὑμετέροις συμμάχοις. Ῥηθέντων δὲ τῶν λόγων τούτων, Ἀλεξίμαχος ὁ Πήληξ δίδωσιν ἀναγνῶναι ψήφισμα τῆς Προέδρου, ἐν ᾧ ἐγέγραπτο ἀποδῦναι τοὺς ὅρκους Φιλίππῳ μετὰ τῶν ἄλλων συμμάχων τὸν ἥκοντα παρὰ Κερσοβλέπτου. Ἀναγνωσθέντος δὲ τοῦ ψηφίσματος, &c. ἀναστὰς ἐκ τῶν Προέδρων Δημοσθένης, φησί, τὸ ψήφισμα ἐπιψηφιεῖν, εἰδὲ λύσειν τινὰ πρὸς Φίλιππον εἰρήνην, οὐδὲ γνώσεσθαι τῶν ἱερῶν. Ἀποδοθῆναι δὲ περὶ τούτων ἑτέραν ἐκκλησίαν. Βοώντων δ' ὑμῶν, καὶ τοὺς πρέσβεις ἐπὶ τὸ βῆμα καλούντων αὐτοὺς ἄκοντος αὐτοῦ, τὸ ψήφισμα ἐπεψηφίσθη. *In qua Demoſthenes &c. Proedrorum præſes eſſe ſortitus eſt. In ipſa verò Concione Critobolus Lampſacenus in medium progreſſus dixit, ſe miſſum à Kerſobleptem, ut jusjurandum Philippi Legatis daret, utque ille inter veſtros Socios conſcriberetur, idque poſtulare. Quæ cum dixiſſet, Alexímachus, cognomento Galea, Proedri legendum præbuit decretum, in quo ſcriptum fuerat, inter alios Socios etiam illum, qui à Kerſobleptе venerat, ad exhibendum Philippo jusjurandum admitti. Perlecto decreto &c. ſurgens à Proedrorum loco Demoſthenes, nequaquam, inquit, facultatem de hoc decreto ſuffragia ferendi ſe Populo daturum; nec* ob hujuſmodi cauſam, *pacem cum Philippo factam diſſoluturum; nequaquam ſe in Sociorum numero illos cognoſcere, qui, veluti in libationibus, Sacrorum tantummodo participes eſſe volunt. Hæc tamen de re alteram Concionem daturum. Reclamantibus vobis ac Proedri ad ſuggeſtum Populum vocantibus, eo quidem invito decretum ſuffragiis permiſſum eſt.* Verùm, ut habetur ex altera Æſchinis

Oratione contra Cteſiphontem maximi hinc tumultus, & contentiones excitatæ ſunt ob aliud pariter decreti caput, quo trium menſium tempus dabatur Græcis, quicunque voluiſſent ſeſe huic fœderi ſimul cum Athenienſibus aſcribere. Nox interceſſit, Poſtridie vocatur Concio; Demoſthenes occupato ſuggeſtu, ab eoque cæteris prohibitis, qui loqui vellent, oſtendit, fruſtra de illo Societatum capite ſermones fieri; niſi compertum foret, an de illo Regis Legati aſſentirentur. Quod ſi diſſentiant, rejiciendum eſſe, neque idcirco à facienda pace diſcedendum. Publicè igitur Legatum Antipatrum ſciſcitatus, quid ſentiret; repudiaretque ille, ut prius convenerant, omnem jurandi, ac fœderis accipiendi moram; tantâ vi Concionatus eſt, ut in ejus ſententiam plebiſcitum factum fuerit, in quo, ut ſupra retulimus, Philocrates Demoſthene auctore addiderat, illicò in ipſa Concione jusjurandum dari; Qua calliditate excluſus eſt Kerſobleptis Legatus, quem animadverterant caſu tunc abeſſe, atque ita res geſta eſt ex ejuſdem Demoſthenis voluntate. Nunc ad primam de falſa legatione Orationem redeundum eſt, ut quid inde factum fuerit, percipiamus. Ὡς δ' ἡ παροῦσα ἐκκλησία διελύθη, ἐξώρκιζον τὰς συμμάχους οἱ τῦ Φιλίππυ πρέσβεις ἐν τῷ στρατηγίῳ τῷ ὑμετέρῳ, κατέλιπε δ' πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν ὁ καλήγορος, ὡς ἀπὸ τῶν ἱερῶν ἐγὼ Κερσοβλεπτον ἀπήλασα τὸν πρεσβεύοντα τὸν παρὰ Κερσοβλέπτυ, παρόντων μὲν τῶν συμμάχων, ἐψηφισμένυ τῷ Δήμυ, παρακαθημένων τῶν στρατηγῶν. *Ut igitur ea Concio dimiſſa eſt, Philippi Legati in veſtro Prætorio à Sociis jusjurandum acceperunt. Accuſator autem auſus eſt ad vos dicere, me* (inquit Æſchines) *à Sacris ejeciſſe Critobulum Kerſobleptis Legatum, cum Socii adeſſent, interpoſitum foret Populi ſcitum, & Imperatores in ſuis ſedibus manerent.* Non enim ejecit; ſed, cum Legatus ille Concioni non interfuiſſet, proindeque decreti vi veluti Athenienſium fœderatus jurare non poſſet, plebiſcito obtemperavit, cujus & Socii, & Duces teſtes aderant. Huc uſque nos inſtruit Æſchines. Facili deinde conjecturâ putandum eſt, Critobulum, ut

ait

ait Philippus, jurare ſaltem voluiſſe, ac pacem cum Legatis ſtatuere ſeorſim ab aliis; prohibitum verò ab iiſdem Ducibus; atque ideo prohibitum, quod Kerſobleptem inimicum eſſe dicerent Reipublicæ, quem à ſua nuper Societate repuliſſet.

[1] Sitalkes Theris filius Odryſarum Rex a. 1. belli Peloponeſiaci, 2. videlicet O. 87. Societatem iniit cum Athenienſibus à quibus non ipſe, verùm Sadochus ejus filius Civitate donatus eſt, ſi Thucydidi credimus [o] ἐλθών τε ἐς Ἀθήνας ὁ Νυμφόδωρος τῷ τε τῷ Σιτάλκᾳ ξυμμαχίαν ἐποίησε, καὶ Σάδοκον τὸν υἱὸν αὐτῷ Ἀθηναῖον. *Athenas veniens Nymphodorus Sitalkem Societate, Sadochum ejus filium, Civem Athenienſem factum, jure Civitatis cum Athenienſibus conjunxit.* An. 1. O. 88. maximam ſuſcepit expeditionem adverſus Perdiccam Macedonum Regem, Athenienſium hoſtem, atque in Regnum Amyntam, Philippo ejuſdem Perdiccæ fratre genitum, inducere conatus eſt; at irrito conatu. Nam Sitalkes, dum illum cedentem infeſtis armis proſequebatur, ſibi à Theſſalis metuens, aliiſque Græcis, quibus Thracum potentia ſuſpecta erat; Seuthi quoque, Sparadochi fratris ſui filio, auſcultans, quem Perdicca, promiſsâ in matrimonium Stratonice Sorore, lucratus fuerat, in Thraciam rediit, pacem inſtauravit [p]. Quod ſanè injucundum accidit Athenienſibus, cauſamque præbuit à Thrace animos alienandi. Denique a. 2. O. 89. in bello cecidit, quod Triballis moverat, eique Seuthes ſucceſſit [q]. Triballos autem Sitalkis interfectores in amicitiam Athenienſium per id temporis veniſſe, ſi hanc ſecernas Philippi Epiſtolam, nemo tradit. At præterquam quod non eſt, cur illi fides non habeatur, conjici ex eo poteſt, quod hoc ipſo anno Athenienſes contra Scionæos in Thracia maximum bellum moverunt [r]. Quare quis eos neget Triballorum fœdus quæſiiſſe, bellicoſiſſimæ gentis, tantæque multitudinis, ut vel ſupra triginta hominum millia in aciem mitterent [s].

[o] *Thucyd.* lib. ii. [p] *Thucyd. ibid. Diod.* lib. xii.
[q] *Thucyd.* lib. iv. [r] *Diod.* lib. xii. [s] *Diod.* lib. xv.

[K] Non

[κ] Non ille hoc loco recenſetur Evagoras à Demoſthene, qui a. 2. O. 97. virtute, induſtriâque ſuâ Cypri Regnum adeptus, ac decem annos contra Artaxerxem tutatus, unius demum Salaminis Imperium tenuit, ejuſdem Regis voluntate. Siquidem jam a. 3. O. 101. vitâ, ac dominatu per inſidias à Nicocle orbatus fuerat, ut eſt apud Diodorum[t]. Verùm alter Evagoras hujus filius, quem pariter ἐν τοῖς ἐπάνω χρόνοις βεβασιλδκότα καὶ τὴν νῆσον, *Superioribus annis Inſulæ Regem fuiſſe* tradit idem Sicilienſis auctor ad a. 2. O. 107. Quo quidem anno è Regno pariter decedere coactum arbitror, dum Cyprus iterum ab Artaxerxe defecit. Id autem quomodo geſtum fuerit ne pigeat ab ipſo Diodoro intelligere; hinc enim haud parum affertur luminis rebus dicendis. Ἐν τῇ νήσῳ ταύτῃ πόλεις ἦσαν ἀξιόλογοι μὲν ἐννέα, ὑπὸ δὲ ταύτας ὑπῆρχε τεταγμένα μικρὰ πολίσματα, τὰ προσκυροῦντα ταῖς ἐννέα πόλεσιν. Ἑκάστη δὲ τούτων εἶχε Βασιλέα, τῆς μὲν πόλεως ἄρχοντα, τῷ δὲ Βασιλεῖ τῶν Περσῶν ὑποτελοῦμενον. Οὗτοι πάντες συμφρονήσαντες, καὶ μιμησάμενοι τοὺς Φοίνικας, ἀπέστησαν, &c. *In hac Inſula novem præcipuæ ſunt Urbes, quæ reliquis minoribus oppidis imperant. Illarum verò ſingulæ ſuum obtinent Regem, Perſarum tamen Regi obtemperantem. Hi omnes communi conſilio, Phœnices imitati rebellarunt &c.* Quamobrem Ochus Artaxerxes ad eos conterendos maximas Copias immiſit, Duce Phocione Athenienſi, atque Evagora, qui Regno pulſus ad eum confugerat. Reliquæ Urbes brevi in ipſius Regis poteſtatem redactæ ſunt. Protagoras tantùm, qui Salamine potiebatur, proximo adhuc anno ab Urbe Evagoram repellebat, qui πατρῴαν ἀρχὴν τὴν Σαλαμῖνος ἀνεκτᾶτο, καὶ διὰ τῆς Βασιλέως τῶν Περσῶν τὴν κάθοδον εἰς τὴν Βασιλείαν ἐποιεῖτο, *paternum ſibi Salaminis Regnum vindicabat, atque in illud Regiis armis ſibi reditum aperiebat.* Verùm Protagoras conciliatâ ſibi Regis amicitiâ, ejus beneficio ſtatum retinuit. Evagoræ Ditio longè amplior in Aſia conceſſa eſt. Quam cum malè adminiſtraſſet,

[t] *Diod.* lib. xvi.

ſibique

ſibique à Rege timeret, in Cyprum fugit, captuſque capite plexus eſt. Hæc omnia quamvis à Diodoro ad memoratum a. 3. O. 107. aſſerantur, tamen ex ipſa narratione conſtat, ſuo deinceps ordine peracta fuiſſe, proindeque tempori convenire, quo nunc ipſum Evagoram exulem à paterno Regno degere Philippus exprobrat Athenienſibus.

Dionyſius, de quo hìc pariter ſermo habetur, non ille celeberrimus eſt Syracuſarum Tyrannus, cujus res geſtas Diodorus, aliique Poſteritatis memoriæ conſignarunt. Sed alter ipſius filius Dionyſius, cui Regnum à Patre acceptum, atque adamantinis, ut ipſe aiebat, vinculis revinctum, ob ignaviam, ſegnitiemque animi è manibus ereptum eſt à Dione Syracuſanorum nobiliſſimo, qui ad Patriam ſervitute liberandam cum paucis Copiis Corintho ſolvens, tantum induſtriâ ac bellicâ virtute profecit, ut adjuncto ſibi ingenti Siculorum exercitu, vocatiſque ad libertatem Civibus, Dionyſianos milites Urbe dejecerit, ac Tyrannum, ex Italico bello ad rerum ſuarum tutelam redeuntem, bello perculſum, fractumque animo coegerit ſolum vertere a. 4. O. 105. Hic igitur, arce firmiſſimo præſidio communitâ, in Italiam regreſſus, ibi vitam traduxit; quoad poſt quatuor annos interempto Dione à Zacynthiis Mercenariis, Callippi hortatu; & hoc poſt tertium decimum menſem Syracuſis pariter pulſo, in Regnum reſtituitur, Hipparini fratris ſui ſtrenuitate. At dum nimiâ ſeveritate, nullâque prudentiâ acceptas injurias ulciſcitur, Cives ad eum iterum detrudendum, Corinthiorum opem, à quibus genus ſuum ducebant, implorarunt. Corinthii Timoleontem cum valida militum manu an. 4. O. 108. ſuppetias miſerunt, ipſiuſque virtute poſt varia rerum diſcrimina, quæ diligenter narrat Diodorus, inſequenti a. 1. O. 109. in extremas anguſtias Tyrannus adductus, arce deditâ, ſponte ſe Regno abdicavit, vitæque reliquum privatus Corinthi degit [a].

[a] *Diod.* lib. xvi.

[L] Vide

[L] Vide quæ de hoc argumento diximus nota [n]. Orationis de Pace.

[M] Haloneſus, id eſt Salinarum Inſula, nunc *Pelagneſi*, Cycladum una, fuit olim Athenienſium. Sed cum parvi momenti eſſet, neglectam reliquerant. A Piratis occupata ſtationem præbebat ipſarum navibus, atque opportunitatem in maritimam Macedoniæ oram invadendi. Quamobrem illos vi Philippus ejecit; Urbis, & Inſulæ potitus eſt. Rem ægrè Athenienſes tulerunt, quippe quibus Macedonis incrementa ſuſpecta forent, & illinc immineret Sciatho, ac Peparetho, duabus Inſulis Reipublicæ. Armis eam repetere, quàm ſponte à Philippo oblatam accipere maluerunt, ſi huic, quam expendimus, Epiſtolæ fides haberi debeat. Negotium Peparethiis datum, qui eorundem Athenienſium ſocietatem, & militum præſidium jam olim amplexati fuerant [z]; feliciter quoque geſtum eſt. Philippus injuriam ulturus, Peparethum, quæ nunc *Seraquino* dicitur, vaſtat, magniſque cladibus afficit. Idque meritò ſe feciſſe his literis gloriatur.

[N] Polycratem Diopithi in Cherſonenſium Colonorum Præfectura ſucceſſiſſe patet ex hoc loco, ipſumque Diopithem tot undique accuſationibus dilaceratum, Magiſtratu tandem ab Athenienſibus abire juſſum, nec ultra illi opem Demoſthenem ferre potuiſſe, cum quo familiaritate conjungebatur.

[O] Maronea, & Strymes Thraciæ Urbes [y]. Thaſus, Pag. 153. ut num. 1. Philippicæ primæ annotavimus, ubi plura quoque de ipſa loquuti ſumus, Ægæi maris Inſula prope Thraciam. Quare nil mirum, ſi cum in oppoſito litore aliquid ſub imperio habere vellet, de Stryme cum Maronitis diſceptaret. Hanc verò controverſiam circa Timothei tempora habitam fuiſſe nullus dubito. Tunc enim Reſpublica longè, latèque per ea loca dominabatur, ac plurimùm Sociis Urbibus ejus judicio ſtare opus erat.

[z] *Diod.* lib. xv. *ad a.* 4. *O.* 104. [y] *Stephanus de Urbibus.*

[P] Legatio,

[P] Legatio, quæ nunc dicitur à Philippo Athenas miſſa, ab ea longè differt, quam nota [I] Orat. de Pace expendimus, quæque hanc alteram quatuor annis præceſſit. Diverſas autem fuiſſe illud maximè argumento eſt, quod illa & recepta ab Athenienſibus fuerit, & quid Legatis reſpondendum eſſet, deliberatum, ut Philippica ſecunda nos monet; nec dubito, quin etiam ipſis reſponſum dederint. Hanc autem ne auditam quidem Philippus his literis queritur. Quanquam & diverſum utrique negotium fuit. Illa enim Philippo Amphictyonicam dignitatem ab Athenienſibus confirmari poſtulavit. Iſta cum mandatis venerat, ut exacerbatos tot injuriis animos propoſitis conditionibus mitigaret, ſeu potius illuderet. Nam Rex à compoſita cum Athenienſibus pace ante annum ſeptimum nunquam deſtiterat illos damnis ad arma provocare. Ea ſiquidem gravia fecerat Reipublicæ, quæ Demoſthenes in ſecunda Philippica, & in Cherſonitana commemorat, ac nuper, ut Philochorus refert in ſexto Atticæ hiſtoriæ libro apud Dionyſium [z], Perinthum obſederat, atque illinc expulſus, Byzantium. Cum autem, ut aliàs diximus, ad Perſicum bellum totius Græciæ nomine ſuſcipiendum aſpiraret, nolebat pacem dirimere, cupiebatque honeſtis, ut loquebatur, conditionibus diſſidia componere. Hinc Athenas ſuos cum Sociorum Legatis Oratores miſit, ut inde faciliùs Athenienſium voluntates permonerentur. Quid actum deinde fuerit, mox referemus.

[Q] Etſi nulla, quæ viderim, antiquitatis monumenta rem, quæ modo narrat Philippus meminerint, attamen Dux nobis non deeſt ad eam inveſtigandam. Dum itaque Thucydides literis diligenter proſequitur Macedonici Regni ortum, atque incrementa, ſcribit Alexandrum Perdiccæ patrem, ac noſtri Philippi avum, ut ab iſto in præſentia nuncupatur, ejuſdemque Alexandri progenitores Temenidas ab Argo oriundos, eam ſolùm tenuiſſe Macedoniæ partem, quæ ad mare

[z] *Dionyſ. Halicar. ep. ad Amm.*

ſita

ſita eſt, unde Pierios expulerant, ac Bottiæos; τῆς δὴ Παιονίας παρὰ τὸν Ἄξιον πολαμὸν ςενλώ τινα καθήκουσαν ἄνωθεν μέχρι Πέλλης καὶ θαλάσσης ἐκτήσαντο. Καὶ πέραν Ἀξίου μέχρι Στρυμόνος, τλὼ Μυγδονίαν καλουμένλω, Ηδωνὰς ἐξελάσανλες, γέμονλαι, &c. *Acquiſierunt etiam Pæoniæ ananguſta quædam ſuperiora loca circa fluvium Axium uſque Pellam, & ad mare. Deinde Imperium dilatarunt trans Axium Strymone tenus, eâ ditione occupatâ, quæ Mygdonia dicitur, ejectis Edonibus.* At Amphipolis, quæ tunc Novem Viæ appellabantur, ad Strymonem jacebat, & ab Edonibus incolebatur, quos illinc rurſus Athenienſes expulerant, cum in eam regionem Agnone Niciæ filio duce, Coloniam deduxerunt. Βράσιδας ἐςράτευσεν ἐς Αμφίπολιν τλὼ ἐπὶ Στρυμόνι πολαμῷ, Αθλωαίων ἀποικίαν. Τὸ δὲ χωρίον τῦτο, ἐφ' οὗ νυῖ ἡ πόλις ἐςὶν, ἐπείρασε μὲν πρότερον ἡ Αρισαγόρας ὁ Μιλήσιος, φεύγων Βασιλέα Δαρεῖον, κατοικίσαι, ἀλλὰ ὑπὸ Ηδώνων ἐξεκρούθη. Ἔπειλα δὲ ἡ οἱ Αθλωαῖοι ἔτεσι δύο, ἡ τριάκονλα ὕσερον, ἐποίκους μυρίους σφῶν τε αὐλῶν, ἡ τῶν ἄλλων τὸν βουλόμενον πέμψανλες, οἱ διεφθάρησαν ἐν Δραβήσκῳ ὑπὸ Θρακῶν. Καὶ αὖθις ἐνὸς δέονλος τριακοσῳῖ ἔτει ἐλθόνλες οἱ Αθλωαῖοι, Αγνώνος τῦ Νικίυ οἰκις ῦ ἐκπεμφθέντος, Ηδώνας ἐξελάσανλες ἔκλισαν τὸ χωρίον τῦτο, ὅπερ πρότερον ἐννέα ὁδοὶ ἐκαλεῖτο. *Braſidas expeditionem ſuſcepit adverſus Amphipolim, Athenienſium Coloniam ad amnem Potamonem. Regionem iſtam, ubi nunc ea Civitas eſt, primùm Ariſtagoras Mileſius, cum fugeret Darium Regem, incolere conatus, ab Edonibus ejectus eſt. Deinde tres, ac viginti ab illinc annos illuc Athenienſes miſerunt decem Colonorum millia partim è ſuis Civibus, partim è quibuſcunque eò ire voluerunt, qui à Thracibus interempti ſunt. Rurſus undetrigeſimo poſt anno Athenienſes regreſſi, Coloniæ deductore Agnone Niciæ filio, depulſis Edonibus oppidum iſtud habitarunt, quod antea novem Viæ nuncupabatur.* Sic enim tradit Thucydides[a]. Alexander, à Philippo memoratus hoc loco, eſt idem ille à Mardonio Per-

[a] *Thucyd.* lib. iv.

ſarum Imperatore ad Athenienſes miſſus, cujus verba ſecimus Pag. 336. Nota [F] Philippicæ ſecundæ, ejuſque, ut Macedoniæ Regis, (in quod poſt ſuſceptam illam à Mardonio Legationem ſucceſſiſſe reputari debet) Herodotus meminit[b]. Fuit autem Perdiccæ, & Amyntæ pater, à quo Philippus.

[R] Huic argumento ſatisfecimus Pag. 121. Nota [m] Orationis 1. contra Philippum.

[b] *Herod. in Calliope.*

ORATIO

ORATIO AD PHILIPPI EPISTOLAM

IN ARGUMENTUM.

[A] QUO Athenis Prætore iſthæc Oratio habita fuerit, ac proinde quo tempore ſuperiores literæ à Philippo venerint, Dionyſius Halicarnaſſæus nequaquam præteriit, Sic enim ſcribit in ſæpius laudata Epiſtola ad Ammæum: ἐπὶ Νικομάχου Θεόφραστος ἄρχων, ἐφ' ᾧ πείθει τὰς Ἀθηναίας γενναίως ὑπομεῖναι τὸν πόλεμον, ὡς καὶ ηγγελκότος αὐτὸν ἤδη Φιλίππου. Καὶ ἔστιν αὕτη τελευταία τῶν καλὰ Φιλίππου δημηγοριῶν, ἀρχὴν ἔχουσα τοιαύτην. Ὅτι μὲν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, Φίλιππος οὐκ ἐποιήσατο τὴν εἰρήνην πρὸς ὑμᾶς, ἀλλ' ἀνεβάλλετο τὸν πόλεμον, πᾶσιν ὑμῖν φανερὸν γέγονεν. *Poſt Nicomachum Prætor fuit Theophraſtus, quo Prætore Athenienſes ad bellum magno, ac generoſo animo ſuſtinendum adhortatus eſt, quod jam ipſis Philippus renuntiaverat. Eaque ultima Concionum eſt ad Populum contra Philippum dictarum. Id habet initium:* Ὅτι μὲν, &c. Cum igitur, auctore Diodoro [c] Theophraſtus a. 1. O. 110. Præturæ munus obierit, iſthinc eadem Oratio removeri nequit. Verùm & quæ in ipſa leguntur, id utique perſuadent. Ibi enim Perinthi obſeſſæ fit mentio, latæque Urbi opis à Perſarum Satrapis. Philippus autem ejuſdem Hiſtorici teſtimonio [d] illam obſidione cinxit a. 4. O. 109. quo exeunte, Perſico auxilio recreata eſt. Cujus auxilii nuntius antequam Athenas perveniſſet, annum primum Olymp. 110. incepiſſe

[c] *Diod.* lib. xvi. [d] *Ibidem.*

nemo ibit inficias, proindeque Demoſthenem non antea hoc tempus dixiſſe Concionem iſtam, in qua hujuſmodi factum exponitur. Neque verò poſt enunciatum annum illam habere potuit; quippe antequam præteriiſſet, pax cum ipſo Rege coaluit, ut ſuo loco dicemus.

IN ORATIONEM.

[B] PHilippus jam eò potentiæ devenerat, ut vel ipſi Athenienſes è re ſuâ non eſſe arbitrarentur armis illum laceſſere; atque eò arrogantiæ, ut ſibi licere vellet, quod luberet. Hinc nullâ pacis habita ratione, quam Prætore Themiſtocle ante ſeptimum annum cum ipſis Athenienſibus fecerat, ut eſt in ſuperiori n. [P]. Pag. 400. multa injurioſa, & gravia patraverat contra Rempublicam, quæ ſummâ dicendi vi recenſet Orator præter alia loca in Oratione de Corona. Hi partim vices rependere. Utrique per literas invicem accuſare; omnia querelis implere. Cum denique Rex Perinthum obſedit, Byzantio machinas admovit. Agebatur de duarum Urbium occupatione, quæ in Boſphori faucibus poſitæ additum à Ponto intercluderent, unde, ut vidimus, major frumenti pars alendis Civibus Athenas advehebatur. Tantæ rei periculum excuſſit illorum animos; quare hujus quoque Orationis facem ſtupidorum lateri Demoſthene admovente, bellum decreverunt, ut è Philochori Hiſtoria his verbis adſtruit Dionyſius [c]: "Θεόφραστος Αλλαιεύς. "Επὶ τούτου, Φίλιππος τὸ μὲν πρῶτον ἀναπλεύσας Περίνθῳ "προσέβαλεν. Απολυχὼν δ' ἐνθεῦτεν, Βυζάντιον ἐπολιόρκει, καὶ "μηχανήματα προσῆγεν." Ἔπειτα διεξελθὼν ὅσα τοῖς Αθηναίοις Φίλιππος ἐνεκάλει διὰ τῆς ἐπιστολῆς, καὶ Δημοσθένους παρακαλέσαντος αὐλὸς πρὸς τὸν πόλεμον, καὶ ψηφίσματα γράψαντος, ἐχειροτόνησε Δημοσθένης, φησί, "τιμὼν μὲν σήλιν "καθελεῖν τιμὼν πρεσβ τῆς πρὸς Φίλιππον εἰρήνης, καὶ συμμαχίας "σαθεῖσαν, ναῦς δ' πληρῶν, καὶ τὰ ἄλλα ἐνεργεῖν τὰ τῦ πολέ-

[c] *Dionyſ. in epiſtola ad Amm.*

μου,

" μυ." " *Theophraſtus Prætor. Hoc Magiſtratum obti-*
" *nente Philippus primùm contra Perinthum navigans,*
" *Urbem adortus eſt. Cum autem res illic malè ſuccederet,*
" *Byzantium obſedit, ac machinas admovit.*" *Narrat deinde* (Philochorus), *quæ Philippus per literas Athenienſibus objurgabat; ac Demoſthenem* " *illos ad bellum ſuadentem,*
" *ac decreta ſcribentem obtinuiſſe, ut feciales columnæ,*
" *quibus conſtituta cum Philippo pax, ac fœdus inſcriptum*
" *erat, diruerentur, naves ornarentur, & quicquid reli-*
" *quum ad arma pertinet, fieret.*" Videbatur enim Philippus jam non callidè, & caſu, ſed apertè, datâque operâ damnum velle Reipublicæ inferre. Hinc patet, quid cauſam dederit huic Orationi, quidve ex illa utilitatis extiterit.

[c] Recenſet hoc loco Demoſthenes Reipublicæ Socios à Philippo everſos, ac labefactatos; Phocenſes nimirum, & Kerſobleptem Thraciæ Regem, de quibus jampridem loquuti ſumus; atque Alenſes, quos ille, dum eſſent in fide, ac tutelâ Athenienſium, Pharſaliis eorum æmulis tradidit. Sic enim habet Ulpianus [f]: Ἅλος, ἢ Φάρσαλος πόλεις Θετταλικαί. Αὗται πρὸς ἑαυτὰς ἐστασίαζον. Καὶ οἱ μὲν Ἅλιοι Ἀθηναίοις φίλοι ὑπῆρχον· Οἱ δὲ Φαρσάλιοι, τῷ Φιλίππῳ. Χειρωσάμενος δὲ τὰς Ἁλίας Φίλιππος παρέδωκε τοῖς Φαρσαλίοις τοῖς φίλοις αὐτῷ. *Alus, & Pharſalus Theſſaliæ Urbes. Alienſes Athenienſium familiaritate utebantur; Pharſalii, Philippi. Hic autem ſubactos Alienſes Pharſaliis dedit amicis ſuis.* Quando autem id acciderit, facilè ex ipſo Demoſthene expiſcari poſſumus. Ait enim: ὅτε γὰρ πρῶτ' ἀπήραμεν πρεσβείαν, πρῶτ' περὶ τῆς εἰρήνης, κήρυκα ὑμεῖς προαπεστείλατε, ὅσις ἡμῖν ἀπείσεται. Τότε μὲν πίνειν ὡς τάχιστα εἰς Ὠρεὸν ἦλθον· οὐκ ἀνέμειναν τὸν κήρυκα, οὐδὲ ἐποίησαν χρόνον οὐδένα. Ἄλλ' ὃν πολιορκημένην διέπλευσαν ὡς τάχιστ'. *Cum enim primam obivimus Legationem pro pace, Caduceatorem præmiſiſtis, qui pro nobis tutum iter paciſceretur: Tunc ſanè* (Æſchines, aliique Legati) *quàm celerrimè Oreum venerunt; non expectato*

[f] *Ulp. in acceſſion. ad enarrat. in hanc Orat. & in enarrat. ad Orat. de falſa legat.*

Caduceatore, nec puncto quidem temporis interpoſito; & quamvis Alus obſideretur illic iter habuerunt. Id contigit a. 2. O. 108. Themiſtocle Prætore, ut ſupra annotavimus, eodemque anno Philippus pacem fecit cum Athenienſibus; verùm antequam illam juraſſet, Phocidis, Thraciæque potitus eſt, ut jampridem n. [1]. Orat. de Pace retulimus, ac tum quoque Alum, qui dudum ariete quatiebatur, in deditionem accepiſſe dubitari nequit. Nunc ut aliquid dicam de utraque Civitate, Pharſalus à Pharſalo Achriſii filio nomen habuit [g], famam verò ab illuſtri pugna inter Cæſarem, & Pompeium. Alus ἀπὸ τῆς ὅλης *ab itineris errore.* Cum enim Athamas viæ dubius caſu in hunc locum perveniſſet, ibi Urbem condidit, & à contingente ſibi errore nuncupavit, ut Stephanus monet. Theon verò Alum ait hoc dictum nomine ab Alo ejuſdem Athamantis famula. Strabo [h] Urbis locum ita deſcribit: ὁ δὴ Φθιωτικὸς Ἅλος ὑπὸ τῷ πέρᾳ κεῖται τοῦ Οἴτης ὄρους, πρὸς Ἀρχίου κειμένῳ τῇ Φθιωτίδι. *Alus in Phthioticis ſita eſt in extremo Odryo Monte, qui ad Boream eſt in Phthiotide.*

Adnotare lubet hoc locò iſtud Orationis initium, quò in Cauſam Demoſthenes ingreditur, à Xenophontis Concione deſumptum fuiſſe, quam ipſe ad milites habuit. Sic enim iſte [i]: Πρῶτον μὲν γὰρ ἡμεῖς μὲν ἐμπεδοῦμεν τὰς τῶν Θεῶν ὅρκους· Οἱ δὲ Πολέμιοι ἐπιωρκήσασί τε καὶ τὰς σπονδὰς, καὶ τοὺς ὅρκους λελύκασι. Οὕτω δ' ἐχόντων, εἰκὸς τοῖς μὲν πολεμίοις ἐναντίους εἶναι τοὺς Θεούς, ἡμῖν δὲ συμμάχους. *Primùm quidem nos conſtanter ſervamus quicquid per Deos juravimus. Hoſtes autem perjurii, fœdus, atque jusjurandum violarunt. Quod cum ita ſe habeat, par eſt Deos ipſos, hoſtibus adverſarios eſſe, ac nobis Socios.* Sic ille: πρῶτον μὲν γὰρ εἰκὸς τοὺς Θεοὺς μεγίστους ὑμῖν ὑπάρχειν συμμάχους καὶ βοηθοὺς, ὧν ἐκεῖνος τὰς πίστεις ὑπερβὰς, καὶ τοὺς ὅρκους ὑπεριδὼν λέλυκεν ἀδίκως τἀμοὶ εἰρωνίᾳ. Ad verbum ſic reddo: *Primùm quidem par eſt Deos nobis maximos auxiliatores eſſe, ac Socios,*

[g] *Urbib.* [h] *Strabo,* lib. ix. [i] *Xenoph. de Cyri exped.* lib. iii.

quorum

quorum ille negligens fidem, juſque jurandum violans, pacem diſſolvit. Non ſemel colores, ac lumina Orationis, quibus Xenophon illuſtratur. imitatum fuiſſe Demoſthenem video; ſed longè pluries à Thucydide mutuatum, quem ita familiarem habuiſſe tradit Lucianus, ut octies ſuâ manu ejus Hiſtoriam deſcripſerit [l]. Profectò plures illius ſententias in ſuas Orationes tranſtulit, quas modò tædio harum annotationum affectus non vacat inter ſe comparare.

[D] Perinthus, Thraciæ Civitas propè Byzantium, inſidet parvæ cujuſdam peninſulæ jugo per ſtadium ſeſe in Mare explicanti. Alii, quos inter Stephanus, eam nomen accepiſſe dicunt à Perintho Epidaurio Oreſtis comite. Alii, ut Ammianus Marcellinus [m] ab altero Perintho Herculis Socio; Herculem verò illam condidiſſe, à quo Heracleam Cives poſtmodum appellarunt. Fuit Thraciæ Metropolis priuſquam tantus Byzantio ſplendor accederet, fieretque ſedes Imperii. Illic Amphitheatrum è ſolido marmore magnificentiſſimum, ejuſque dignitatis conſpiciebatur, ut inter Mundi miracula reputaretur [n]. Urbs modò *Pera* nuncupatur.

[E] Oſtendimus Pag. 342. Nota [v.] Philippicæ ſecundæ Philippum Nicæam, quæ in Pylarum faucibus jacebat, dono Thebanis dediſſe. Cum tamen ſuâ nimiùm intereſſet Thermopylarum tranſitum cuſtodire, quæcunque munitiones iis locorum anguſtiis imminebant, ſuorum denique militum præſidio communire voluit.

Deinde n. [H] laudatæ Orationis diximus, Meſſenios, Arcadas, atque Argivos tunc à Philippo ſtetiſſe, qui eos ad perſequendas privatas cum Lacedæmoniis inimicitias opibus, ac militum robore confirmabat; quare dum reliqui Peloponenſes, adverſus Macedonem conſpirarunt, duos illos populos (Meſſenios et Argivos) in reliquorum ſocietatem adducere nec Demoſthenes Athenienſium Legatus, nec ullus alius potuit, ut eodem loco annotavimus. Id igitur Orator nunc indicat, dum

[l] *Lucian. πρὸς τὸν ἀπαίδευτον*, &c. [m] *Amm. Marcel.* l. xvii. c. 9. [n] *Niger*, l. x. *Geogr.*

ait Regem ad ſe Peloponenſium Legationes traducere nimirum Argivorum, Meſſeniorumque, atque aliorum fortaſſe, qui non ſtatim pro Peloponeſi ſalute cum reliquis ſentirent; ac percuſſa, inquit, olim inter eos Populos fœdera diſſociare; ea nimirum, quæ cum Finitimis utraque ea gens jampridem conſtituerat.

[F] Quid in hujuſmodi re geſtum fuerit diſertis verbis narrat Diodorus °. Φίλιππος δὲ ἀεὶ μᾶλλον αὐξόμενος, ἐπὶ τὴν Πέρινθον ἐστράτευσεν, ἐναντιωμένην μὲν ἑαυτῷ, πρὸς δὲ Ἀθηναίους ἀποκλίνουσαν, συνησάμενος δὲ παντοίαν, καὶ μηχανὰς προσάγων τῇ πόλει καθ' ἡμέραν, ἐκ διαδοχῆς προσέβαλε τοῖς τείχεσιν, &c. *Philippus in dies magis, magiſque auctus viribus, expeditionem adverſus Perinthum ſuſcepit, Urbem ſibi inimicam, in Athenienſes voluntate propenſam. Circumpoſito vallo, machiniſque ad urbem quotidie admotis, muros quatiebat.* Utrinque incredibili ardore pugnabatur; quicquid Macedones die labefactabant, Cives noctu reficiebant. Illinc Turres octoginta cubitorum è ligno compactæ, quæ Perinthiorum turres excederent, extructæ ſunt, ac mœnibus oppoſitæ. Hinc interiori muro Urbs circumdata. Animo Civibus addebat libertatis nomen, pro qua dimicabant; Philippo, triginta millium bellatorum exercitus, atque incredibilis tormentorum copia. Verùm illi longa obſidione defeſſi ceperunt de ſalute ſua deſperare, cum inopinato ſubſidio recreati ſunt. Τῆς γὰρ τοῦ Βασιλέως αὐξήσεως διαβεβοημένης καθὰ τὴν Ασίαν, ὁ Βασιλεὺς ὑφορώμενος τὴν τοῦ Φιλίππου δυνάμιν, ἔγραψε πρὸς τοὺς ἐπὶ θαλάττῃ Σατράπας βοηθεῖν Περινθίοις παντὶ σθένει. Διόπερ οἱ Σατράπαι συμφρονήσαντες ἐξέπεμψαν εἰς τὴν Πέρινθον μισθοφόρων πλῆθος, καὶ χρήματα δαψιλῆ, καὶ σῖτον ἱκανὸν, καὶ βέλη, καὶ τἄλλα παντὰ πρὸς τὴν τοῦ πολέμου χρείαν. *Nam cum per Aſiam percrebuiſſet rumor, Philippum Regem potentiæ incrementa ſumere, eaque Perſarum Regi in ſuſpicionem veniſſent, literas dedit iſte ad omnes Satrapas, qui mari-*

° *Diod.* l. xvi. *a.* 4. *O.* 109.

timis

timis regionibus imperabant, ut omni vi Perinthiis opem ferrent. Quapropter Satrapæ in id ſedulò incumbentes, Mercenariorum militum Copias, grandem pecuniam, frumenti, telorum, aliarumque rerum, quod ſatis eſſet ad bellum ſuſtinendum, Perinthiis miſerunt.

Cum Satrapæ in ſermonem inciderint, æquum eſt de iis pauca diſſerere. Darius Hyſtaſpis filius, qui Perſarum tertius Medicum Regnum tenuit, certa, atque annua tributa in Ærarium inferri voluit, non ut antea, è rerum occaſione, ac neceſſitate ſingillatim imperata. Quamobrem illum Perſæ Mercatorem vocarunt, quod pecuniam auxerit, & quid ejus obveniendum ſibi foret, noluerit ignorare; Veluti Cambyſem, Dominum dixerant; Cyrum, Patrem, quoniam ille in Regni adminiſtratione ſeveritate uſus fuerat; hic paternâ benignitate. Itaque Darius, ut quid ſibi eſſet pecuniæ, quid virium, certò ſciret, Imperium in viginti Provincias diviſit, ac Perſica voce Satrapias nuncupavit. Quos populos unaquæque contineret, quidve tributi penderet, Herodotus [P] diligentiſſimè recenſet, ab eoque, ſi cui lubeat, hujuſmodi deſcriptio petenda eſt. Singulis Provinciis Satrapes præponebatur, qui, dum viveret, eam perpetuò ſummo cum imperio adminiſtrabat, feudali (barbaro verbo ſit venia) propemodum jure. Siquidem & impoſitum tributum quotannis perſolvere; arma, equos, milites, veſtes, aliaque inſtrumenta, ut erat conſtitutum, ad bellum dare; augere ſummam è Regis voluntate; Signa ipſi ſequi, ſi Rex vellet; ac pleraque ejuſmodi agere, iiſdem opus erat. Quin ſi malè regioni moderarentur, aut quidpiam in ſe criminis admitterent adverſus Regem; hujus imperio, ſi morem gererent; vi, ſi reſiſterent, in ordinem cogebantur. Non ſemel Patrum merito, ipſiuſque Regis beneficentiâ, Filii in Præfectura Patribus ſucceſſerunt. Video etiam eaſdem Præfecturas incertis conſtitiſſe finibus, nec ſemper iiſdem, quos Darius deſcripſerat, ſed plures aliquando

[P] *Herod. in Thalia.*

Populos

Populos Satrapiarum uni attributos, aliquando pauciores; Quæ omnia Græcorum hiſtorias diligenter expendenti ſe offerunt.

[6] Bellum Peloponeſiacum indicat, quod a. 2. O. 87. inter Lacedæmonios, atque Athenienſes inceptum, poſt inita, diſruptaque non ſemel fœdera, atque aliquando arma depoſita, demum a. 3. O. 94. captis à Lyſandro Athenis, impoſitiſque urbi triginta Tyrannis confectum eſt. Illud per annos unum, & viginti Thucydides libris octo complectitur; reliquum deſcribit Xenophon in primis Græcarum rerum libris. In hoc igitur bello Tiſſaphernes, Darii Perſarum Regis nomine, ter fœdus iniit cum Lacedæmoniis adverſus Athenienſes, ipſiſque magnam præſtitit opem [q], qua confirmati navalibus prœliis hoſtes ſuperarunt, ac demum Athenis potiti ſunt, ut jampridem relatum eſt. Contra verò cum Pharnabazus, Conone fœderis conciliatore, cum Athenienſibus ſe conjunxit, ejecti ſunt ex hac urbe Lacedæmonii, ac profligati, inſtauratiſque mœnibus iterum Reſpublica oculos attollere viſa eſt, ac celeriter recreari [r]. Quod pariter, cum ſupra annotare non omiſerimus, ſatis hoc loco ſit, leviter attigiſſe ad iſta Demoſthenis verba aliquantulùm illuſtranda.

Cum noſtra annotationes jam prope finem invenerint, nec amplius nobis de Lacedæmoniis ſermo faciendus ſit, aliqua dicere de clariſſima gente neceſſe eſt, præter ea, quæ pluribus in locis, ubi ſe dedit occaſio, in medium proferre non prætermiſimus. Lacedæmonia igitur, Peloponeſi Regio, quæ per ſyncopem Laconia pariter appellabatur, ut inquit Apollodorus apud Stephanum [s], prius Lelegia dicta fuit à Lelege indigena primo ipſius Rege, accepto deinde novo nomine à Lacedæmone ejus pariter Rege, Jovis, & Taygetæ filio. Finitimos habuit ab Occidente Sole Meſſenios; à Borea Arcades, Tegeates, Argivos; ab Oriente, ac Meridie mare. Centum fuit Urbibus

[q] *Thucyd.* lib. viii. [r] *Xenoph. de rebus Græc. l.* 4.
[s] *Steph. de Urbibus.*

illuſtris,

illuſtris, quare ἑκατόμπολις appellata, atque hinc ἑκατόμβαια *centum Boum Sacrificium* ab Homero celebratum; ſiquidem in communi gentis ſolemnitate centum mactabantur Boves, ſinguli pro ſingulis Urbibus. Omnium ſplendidiſſima, & reliquorum Metropolis, ac ferè princeps erat Sparta, quæ & Lacedæmon excellentiæ causâ vocabatur, à Lacedæmone Rege condita, à Sparta ejus conjuge, Eurotæ Regis filiâ nuncupata. Urbis ita ſitum, figuramque deſcribit Polybius [t] σχήματι περιφερῆ, κειμένην ἐν τόποις ἐπιπέδοις, περιέχουσαν καὶὰ μέρος διαφόρους ἀνωμάλους, ἐν βουνώδεσι τόποις. *Figurâ rotundam, jacentem in planitie, circumambientem ex parte loca diverſa, inæqualia, in collibus poſita*: Ædificia, Templa, eorumque ornamenta latè proſequitur Pauſanias [u]. Lycurgi inſtituto mœnibus non cingebatur, rati, civium pectus pro tuenda libertate æneum fore murum. At Romanorum tempore Tyranni, qui ei dominabantur, munitionibus Civitatem cuſtodire non neglexerunt [x]. Lelegibus indigenis plures acceſſerunt Populi, frequentemque regionem reddidere. Primùm Achæorum aliqui. Sequuti ſunt ex Ægypto Sparti cum Cadmo, unde Spartam Stephanus appellatam exiſtimat. Rurſus Minyæ Argonautarum Poſteri, Lemno pulſi à Pelaſgis. Initiò ſuis duntaxat Regibus obtemperavit, quos è caligine vetuſtatis in lucem profert Pauſanias. Eorum aliqui ſunt adhuc in ore hominum, Poetarum verſibus celeberrimi; Caſtor videlicet, ac Pollux; Menelaus, Oreſtes. Hujus filio Tiſameno, qui undecimus regnavit, Heraclidæ ſucceſſerunt, iiſdemque volentibus nonnihil Reipublicæ adminiſtratio commutata eſt. Cum enim Dorienſes, Oxylo Duce, Herculis Poſteros in Peloponeſum, unde olim ipſorum Proavi ab Euryſtheo Mycenarum Rege pulſi fuerant, reduxiſſent, Creſphontem, Temenum, & Ariſtodemum Ariſtomachi filios, ejuſdem Herculis abnepotes, in eorumque poteſtatem redigiſſent Meſſenios, Argivos, Lacedæmonios; Heraclidæ no-

[t] *Polyb. Hiſt.* l. v. [u] *Pauſ. in lacon.* [x] *T. Liv.* l. xiv.

vum

vum inter ſe Imperium ſorte dividere ſtatuerunt. Obtigit autem Creſphonti Meſſene, Argos Temeno, Sparta duobus Ariſtodemi fato dudum defuncti filiis Eurytheni, & Procli. Hinc gemini in poſterum Reges Lacedæmoniis propagati ſunt, & ad finem uſque Reipublicæ perdurarunt. Eurythenes igitur, & Procles retentâ ſibi Regiâ dignitate, belli auctoritate, immunitatibus, nec modico rerum agendarum, jure, cætera Optimatibus adminiſtranda reliquerunt. Verùm deinceps id ægrè ferente, ac tumultuante Plebe, è plebeia gente Ephori quinque, annuus Magiſtratus, creati ſunt, qui ejus tutelam, ut Romæ Tribuni Plebis, ſuſciperent, ipſiſque maxima auctoritas conceſſa eſt. Ita in Lacedæmoniorum Rempublicam triplex Imperii forma[y] inducta fuit, quam Lycurgus Eunomi Regis filius ſapientiſſimis adeo legibus temperavit, ut iis obſervandis, nec unquam vel minimùm commutatis octingentos annos ſteterit Lacedæmon, ut Livius docet[z]; quorum Ciceronis ætate jam ſupra ſeptingenti effluxerant, ut ipſe teſtatur[a]: *Adſunt Lacedæmonii, cujus Civitatis ſpectata, ac nobilitata virtus, non ſolùm naturâ corroborata, verùm etiam diſciplinâ putatur; qui ſoli toto orbe terrarum ſeptingentos jam annos ampliùs unis moribus, & nunquam immutatis legibus vivant.* Etenim in ea fuit Regia poteſtas, Optimatum adminiſtratio, Plebis auctoritas apud Ephoros. Ejuſdem Reipublicæ Magiſtratus, leges, inſtituta ingenti eruditione deſcribit Nicolaus Gragius in lib. de Laced. Rep. Clariſſima Gens quingentos annos totius Græciæ primatum tenuit. Quæ verò fuerit illius gloria, quæ fortuna tam ſæpe dicendo proſequuti ſumus, ut ineptum foret, rurſus in id opus incumbere. Nunc Spartam *Miſitram* vocant; Lacedæmoniam, *Tzacconiam*, ſeu *Braccio di Maina*.

[H] Id ipſum de Macedonibus olim Athenienſium vectigalibus jam antea Plebi in memoriam redegerat Orator in tertia Olynthiaca, ubi & nos pariter Nota [z].

[y] *Plato de legibus*, lib. iii. *Ariſt. Polyb.* lib. ii. *Polyb.* lib. v.
[z] *T. Liv.* l. xxxix. [a] *Cic. pro L. Flacco.*

Pag. 281. rem ſqualore vetuſtatis obſitam aliquo nitore perfundere conati ſumus.

[I] Nihil felicius Philippo accidere potuit hoc bello, quod nunc recenſetur, & a. 3. O. 108. finem habuit. Nam ut ſæpius diximus Thraciam ſubegit, Phocidem vaſtavit, Pylas obtinuit, urbes aliquas in Græcia occupavit, atque univerſæ Provinciæ vincula cepit injicere. Quæ omnia cum jamdiu dicendo peragrati ſimus, non eſt cur ea denuo longioribus verbis complectamur.

[K] Philippo exculptum ſagittâ oculum diximus p. [G] Olynth. III. An alia acceperit vulnera, ignoro. Demoſthenes hoc loco affirmare non veretur, illum καλλελῆφθαι πᾶν τὸ σῶμα, τοῖς Πολεμίοις μαχόμενον, *cum hoſtibus congredientem, toto corpore fuiſſe ſauciatum.* Id oratoriè dictum nemo dubitare poteſt. An verò ex illo unico oculi vulnere, an etiam ex quibuſdam aliis rei amplificandæ occaſionem ſumpſerit, facilè Judicium dabitur.

DE

ORDINANDA REPUBLICA

IN ARGUMENTUM.

[A] HUjus graviſſimæ Orationis Dionyſius haud meminit, proindeque ex ipſo tempus, quo habita fuerit, incertum manet. Ulpianus ante Philippicas omnes dictam fuiſſe arbitratur, ſed vano, atque inutili argumento, arbitratur: ὁ περὶ συντάξεως λόγος, inquit, οὐκ ἔχει προφανῆ τὸν χρόνον· Εἰκάσειε δ' ἄν τις αὐτὸν εἰρῆσθαι πρὸ τῶν Φιλιππικῶν, ἀφεστηκότων μὲν ἤδη τῶν συμμάχων, Ροδίων δ' ὀλιγαρχουμένων. *Oratio de Republica ordinanda non habet manifeſtum tempus, quo dicta fuerit. Conjicitur autem dicta fuiſſe ante Philippicas, cum jam defeciſſent Socii, & Rhodii ſub ſtatu Paucorum viverent* [b]. Verùm Ulpiani pace, hujuſmodi ratione prohibemur quidem illam præferre Socialis defectionis tempori, quæ contigit ann. 3. O. 105. [c], ac Rhodienſis in Republica commutationis; at nequaquam in quælibet poſteriora tempora conferre. Ego equidem poſt omnes Philippicas, ac poſt Philippum à Byzantii obſidione diſcedere coactum, factamque cum ipſo pacem, ſed ante Elateam, Cytiniumque Urbes ab eodem occupatas, proindeque ſub finem a. 1. O. 110. pronuntiatam fuiſſe exiſtimo; idque non levi conjecturâ. Nam primùm tres Olynthiacas, quæ ut diximus, Philippicam primam præceſſerunt, hanc ſubſequutam eſſe nemo inficiabitur; quippe in earum prima, metu legis Eubulo auctore latæ vix initiò obſcurè aliquid dicitur de Theatrali pecunia in militarem transferenda; & in tertia palam profert Orator, ne-

[b] *Ulp. in enar. hujus Orat.* [c] *Diod.* lib. xvi.

quaquam

quaquam ſe adeo temerarium eſſe, ut de hujuſmodi re ſermonem agitet; At verò in iſta, quam nunc expendimus, nullo metu. Eubuli legem diſſolvendam hortatur; cum jam Reipublicæ periculum Civibus ſuaderet, id eſſe non amplius arbitrii, ſed neceſſitatis. Deinde hanc eandem neceſſitatem jam in foribus eſſe, atque inſtare patet ex ipſa Oratione. Nequit igitur ejus urgentis tempus ab eo longè dimoveri, quo verè advenit. Advenit autem anno proximo, nimirum 2. ipſius O. 110. cum Rex captis repentè Elatea, Cytinioque, in Atticam exercitum ducere feſtinabat. Et ſanè tunc Republicâ in extremum diſcrimen adductâ Theatralem pecuniam Athenienſes in Ærarium militare tranſtulerunt, Λυσιμαχίδης Αχαρνεύς. Επὶ τούτου, τὰ μὲν ἔργα τὰ περὶ τὰς ναυσοίκους, καὶ τὴν σκευοθήκην ἀνεβάλοντο διὰ τὸν πόλεμον τὸν πρὸς Φίλιππον· Τὰ δὲ χρήματα ἐψηφίσαντο πάντ' εἶναι στρατιωτικὰ, Δημοσθένους γράψαντος. *Lyſimachides Acharnenſis*, qui Præturam geſſit hoc a. 2. O. 110. [d] *Hoc Prætore diſtulerunt Navalium, atque Armamentarii conſtructionem, belli causâ contra Philippum. Omnem quoque pecuniam decreverunt militarem eſſe, Demoſthene decretum ſcribente.* Eſt Dionyſii teſtimonium [e]. Itaque manet, ut Concio iſta dicta fuerit ſuperiori anno primo. Id etiam ex eo mihi perſuaſum eſt, quod cum Demoſthenes mentis oculos in agendi rationem conjiceret, qua Philippus utebatur, videretque tot damna ab ipſo Reipublicæ illata per ſeptem annos ab inita cum Athenienſibus reconciliatione, Perinthum verò, ac Byzantium nuper obſidione cinctum, unde vi pulſus diſceſſiſſet, ac pacem inſtauraſſet; hæc, inquam, omnia cum Demoſthenes animo volutaret, intelligebat profectò Regem de opprimendis Athenis cogitare, nec aliud niſi opportunum rei gerendæ tempus expectare. Quamobrem hujuſmodi Concione Cives admonet, ut in Rempublicam incumbant, ſibi caveant, civileſque morbos, quibus Reſpublica conflictabatur, adhibitis

[d] *Diod.* lib. xvi. [e] *Dionyſ. Epiſtola ad Ammæum Frontin.* lib. iii. *Stratag. c.* 4.

remediis

remediis curent, publicæque rationem habeant valetudinis.

[B]. Theatralem pecuniam expendimus n. [F]. & [Q]. Olynthiacæ primæ, quæ loca Lector adeat, ſi ejus conſcius fieri velit.

IN ORATIONEM.

[C]. DE Athenienſi Concione, quicquid ad ejus auctoritatem, legitimum decernendi, orandi, præſidendi ordinem, ac politicam, ut ita dicam, formam pertineret, eâ qua potuimus diligentiâ oſtendimus Pag. 100. n. [D]. Orat. primæ contra Philippum. Nunc agendum remanet de forma extrinſeca, ſive de iis, qui Concionem ipſam conſtituebant, de loco, de congregandi, ac ſuffragia ferendi uſu. Itaque Cives omnes, vel qui origine, vel qui Populi beneficio, intereſſe Concioni poterant, dummodo eſſent in Lexiarchicis tabulis inſcripti; in iiſdem verò tabulis inſcribebantur ſolùm, qui decimum octavum annum ſuperaſſent, ut jam olim retulimus. Siquidem, ut eſt apud Plutarchum [f], Solon Magiſtratus Divitibus dedit, univerſæ Plebi ſuffragii auctoritatem. Conventus erat vel in Foro, vel in Pnyce, vel in Theatro. De Foro teſtimonium affero Arpocrationis, qui hoc luculenter affirmat in voce πάνδημος, eamque ob rem ἀγορὰς nomen Concioni quandoque datum. De Pnyce præter Pollucem [g] alioſque, ſint mihi Vades Æſchines, ac Thucydides, quorum ille ſic ait: ἀκούετε, ὁ μὲν Νομοθέτης κελεύει ἐν τῷ Δήμῳ ἐν Πνυκὶ τῇ Ἐκκλησίᾳ ἀνακηρύττειν τὸν ὑπὸ τοῦ Δήμου στεφανούμενον. *Auditis Athenienſes, Legiſlatorem jubere, eum, qui à Populo coronatur, in ipſo Populo proclamari, habitâ Concione in Pnyce.* Sic autem iſte: Ἐπὶ δ' ἂν τοῖς ἠγγελμένοις οἱ Αθηναῖοι ναῦς τε εἴκοσιν ὅμως ἐπλήρουν, ἥ τε Ἐκκλησίαν συνέλεγον, μίαν μὲν ἐυθὺς τότε πρῶτον ἐς τὴν Πνύκα καλουμένην,

[f] *Plutarch. in vita Solonis.* [g] *Pollux Onomaſt. Æſch. contra Cteſiph. Thucyd.* l. viii.

ἔπειτα

ἔπερ ἡ ἄλλοι ἐιώθεσαν. *Quo allato nuntio Athenienſes viginti tamen naves conſcenderunt, Concionemque congregarunt, unam illico, ac tum primùm in Pnyce, ut vocant, ubi & aliàs eam convocare conſueverant.* Pnyce qui fuerit locus, tradit Pollux [h], ut alia Athenienſium plurima. Πνὺξ δὲ ἐκκλησίας πρὸς τῷ ἀκροπόλει καλεῖται διὰ τὸ πυκνάζεσθαι. Αὖθις δὲ τὰ μὲν ἄλλα ἐν τῷ Διονυσιακῷ Θεάτρῳ. Μόνας δὲ τὰς ἀρχαιρεσίας ἐν τῇ Πνυκί. Ἀφ' ἧς τὸν τῆς Δήμου θόρυβον, Πνυκίτην φασὶν οἱ κωμικοί. Ἐκάλουν δὲ τὸν προέδρων ἢ πρώτον ξύλον. Καὶ ἐν τῷ Δικαστηρίῳ, τὸν πρῶτον καθέδραν. Τὰ δ' ὑποστρωννύμενα ταῖς Δικαστικαῖς, ἐπὶ τῶν ἕδρων ψεύδια, ὠνομάζοντο. *Pnyx locus erat prope arcem, conſtructus è veteri ſimplicitate, non ad Theatri ſpeciem. Poſthæc reliqua in Bacchi Theatro peragebantur; Comitia ſolùm in Pnyce. Hinc Populi tumultus, Pnycitem vocant Comici. Suggeſtus ligneus, qui erat ibi, ſubſellium vocabatur, dum habebantur Comitia; Prima ſedes, dum Judicia. Storeæ pariter dictæ, quæ ſub Judicum ſedibus ſternebantur.* Pnyx nomen à ſubſelliorum denſitate, quæ græcè πύκνωσις dicitur, accepiſſe, Arpocration eſt auctor. Ut ad rem noſtram redeam. De Bacchi Theatro Demoſthenes [i]: Τὸς Πρυτάνεις, ſunt Legis verba, ποιεῖν Ἐκκλησίαν ἐν Διονύσου τῇ ὑστεραίᾳ ἐν Πανδίοις. *Prytanes Concionem cogere in Bacchi Theatro poſtridie Jovialia.* Aliquando tamen Populi Conventum habitum in Piræo, in Colono, in Munichia, prout neceſſitas poſtulabat, ab ipſo Demoſthene, Thucydide, Lyſia edocemur [k]. Jam verò Populus privatis negotiis intentus, plerumque magnâ ex parte impellendus erat, ut in indicto Concionis loco conveniret. Ad hanc rem duo remedia adhibebantur. Alterum erat, juſſu Prytaneorum, evertere, comburere quoque tentoria, protegendis Venalibus protenſa, ſub quibus Plebs otii, aut negotii causâ commorabatur, ni fides Oratori noſtro denegare quis velit. Narrat enim quid actum fuerit, perlato Athe-

[h] *Pollux Onomaſt.* l. viii. *de Judiciis, &c.* [i] *Demoſth. adv. Midiam & de falſa legat.* [k] *Demoſth. ut ſupra. Thucyd.* l. viii. *Lyſias adv. Agoratum.*

tum, cum illæ non ſolùm in Græcia, ſed prope cunctis gentibus enitebant, accidere ſunt ſolita, quam moderationem putatis in Phrygia, &c. Cum Romæ, tum Athenis, ſi dum Conventus habebatur aut ſervatum de Cœlo, aut ſignum auditum foret, illico dimittebatur Concio, & ſi quid hoc tempore decretum foret, irritum putabatur. Idque Religionis causâ legibus cautum fuiſſe vulgus exiſtimabat; ſed re verâ, ut, ſi acta in furorem indomita multitudo aliquid perverſum ageret, ei Magiſtratus moderari poſſent renuntiando, quidpiam è Cœlo ſervatum fuiſſe. Rurſus idcirco Jove fulgente, aut tonante Concilium opus erat miſſum facere, ne cum plebs pluviæ metu diſceſſiſſet, pauci ſuo arbitratu negotium abſolverent, ut adnotat Cicero [u]. Denique in utraque Republica poſt Solis occaſum nec quicquam decernere, nec retinere Concionem licuit. Tunc enim, ſi prius non contigiſſet, Prytanes abire populum imperabant. Hæc in rem præſentem de Concione dixiſſe ſit ſatis.

[D] Ærarium Athenis non ſolùm ſummopere exhauriebat duplex ille obolus Theatralis, de quo ſatis multa jampridem annotavimus, ſed Pompæ, Spectacula, Sacrorumque dierum celebritates; quæ quantùm Græcis omnibus cordi eſſent, hinc etiam reputari licet, quod, ſi aliquando aliqua Civitas publicas opes, totamque Rempublicam alicui adminiſtrandam concederet, perpetuò ſumptus in res Sacras, dieſque feſtos exciperet, ut de Pharſaliis illuſtrem Xenophontis locum retulimus Pag. 22. n. [v]. Olynthiacæ primæ. Athenis verò nullus fuit hujuſmodi ſacrorum, profanorumque ſpectaculorum modus, ut non ſemel à Demoſthene commonemur; plauſus magis, quam religionis cupidâ Civitate.

[E] Magna quidem ſententia, conſilii, ac ſalutis plena liberis Civitatibus, maximiſque Regibus, qui bella ipſi adminiſtrare, ſuaque Signa præire nequeunt; nimirum optimos eligendos eſſe Imperatores, iiſque

[u] *Cic. l. ii. de divinit.*

totius

totius rei gerendæ arbitrium permittendum; præmia ſolùm, ac pœnas, prout bene, vel malè rem gerant, iiſdem infligendas ſibi Principes reſervare. Si quidem Imperatorum eſt ſcientia rei militaris, quam ſi ex aliorum ſententia adminiſtrare debeant, perinde foret, ac ſi Diſciplinarum Præceptoribus quis imperitus docendi normam dare vellet. Ne animi perverſitate, aut ignaviâ quid utile negligant, aut ne quid pernicioſum committant, cautio ſit; idque obtinetur, ſi factorum judicium ab iis fiat, apud quos manet publica auctoritas. Hac diſciplina Romani uſi ſunt proſpero bellorum ſucceſſu. Athenienſes autem conſtrictam conditionibus, ad ſuoſque nutus verſatilem agendi poteſtatem plerumque Ducibus dederunt; quæ res quid non ſemel ipſis damni attulerit, græca docet Hiſtoria; Hanc Syrtem fugiendam monet hoc loco Demoſthenes.

[F] Narravimus Pag. 174. n. [1]. de Rhodior. libertate, popularem Statum in hac Republica ab Optimatibus deletum, Mauſoli Cariæ Regis ope, atque auctoritate. Idem Mitylenenſibus obveniſſe Orator nos inſtruit. Et ſanè obveniſſe arbitror factionum diſſidio, nullâque Externorum conjuratione. Urbs enim, & Inſula Athenienſibus obtemperabat, ut Pag. 181. nota [x]. Orat. memoratæ dictum eſt. Cæterum hæc popularis ſtatus in Optimatum commutatio, utpote nullius momenti res ad Poſteros erudiendos, à nemine, quem viderim, traditur præter Demoſthenem, proindeque quid in hujuſmodi re, & quomodo geſtum fuerit, ignoratur.

[G]. Pecuniam indicat à nobis jam olim explicatam, quæ Theatri nomine ἀδιώματις, pauperioribus nempe Civibus, dabatur. De hac nihil modò dicendum eſt. Id autem ex his verbis percipi poteſt, maximum fuiſſe illorum numerum, à quibus acciperetur; quippe qui poſſent ſuffragiis ſuis ejuſdem pecuniæ legem tam gravem, ac pernicioſam Reipublicæ retinere. Hinc pariter non facilè quiſpiam mirabitur, quod in Olynth.

3. Demoſthenes ait, Ærarium hac publicarum opum diviſione propemodum exhauriri.

[H]. De neglectis militaribus Ordinibus Orator deplorat, eoſque ſtudet ad priſtinam formam revocare. Athenis, ut Romæ, & in aliis pluribus Græcorum Civitatibus Milites è cenſu in equites, pediteſve dividebantur. Mos autem inter Athenienſes invaluerat, ut qui nonnihil divitiis affluerent in Caſtra vicarium mitteret. Pauperiores igitur Signa ſequebantur, atque hinc non leve damnum Reipublicæ pariebatur, cum (præter commeatum, qui, ut jampridem admonuimus, frequenter concedebatur) ii ſolùm Cives arma geſtarent, quibus Patriæ dignitas ob inopiam rei familiaris nihil, aut parum cordi eſſet. Hanc auferendam putat conſuetudinem, de ipſaque in præſentia conqueritur. Nec parum video profeciſſe, nam in acie ad Cheronëam, quæ duos abhinc annos contra Philippum inſtructa eſt, in qua tamen de ſumma Republica agebatur, clariores Cives conſtiterunt, *ἡ πανδημεὶ μετὰ τῶν ὅπλων (ἡ πόλις) ἐξέπεμψε τὺς στρατιώτας εἰς τὴν Βοιωτίαν. Τῶν δ' ἅπαν ἀπροθύμως εἰς τὸν ἀγῶνα καταντώντων, ὅτοι μὲν καθ' ὁπωσδήποτε ὁδοιπορήσαντες ἦκον εἰς Χαιρωνείαν τῆς Βοιωτίας. Urbs univerſos milites cum armis in Bœotiam miſit; omni alacriter Juventute in militiam proficiſcente. Hi ſummâ diligentiâ iter dimenſi, Cheronëam Bœotiæ pervenere*, ut habet Diodorus [x]. Inter alios affuit vel ipſe Demoſthenes, qui tamen longè minus armis, quam linguâ valuiſſe oſtendit, ſiquidem fugit abjecto clypeo, ut ſcribit Plutarchus; & Æſchines id nunquam illi deſinit exprobrare [y].

Erit fortaſſe, qui mihi litem intendat, quòd cum ſæpiſſimè in ſermonem noſtrum Athenæ inciderint, nihil adhuc datâ operâ de ipſarum Origine, Conditore, aliiſque ad Urbem, non ad Rempublicam pertinentibus dixerim; has autem annotationes jam propè ad exitum perduxerim. Fateor id egiſſe conſilio;

[x] *Diod.* lib. xvi. [y] *Plutarch. in vita Demoſth. Æſch. adv. Ctesiph.*

cum

cum enim tot locis plura mihi de clariſſima Civitate neceſſariò ad res illuſtrandas dicenda forent, tunc veſtigium in ea mihi faciendum ſum arbitratus, cum ſpectare poſſem, quæ loca jam peragraverim, quæque hactenus mihi ſupereſſent perluſtranda. Itaque Athenæ Cecropem conditorem habuerunt, qui ex Ægypto in Atticam terram appulſus tanta præbuit exempla conſilii, ac fortitudinis, ut Actæus, qui Provinciæ Regiâ auctoritate imperabat, filiam homini peregrino in ſtabile matrimonium collocaverit; nam ibi per eam ætatem fœminæ vago concubitu liberos concipiebant. Cum autem Cecrops regionem videret ſæpius à Bœotis terrâ, à Caribus mari vaſtatam, autor Regi fuit, ut Populos per agros diſperſos, in aliquot vicos colligeret, unde ſe, ſuaſque fortunas tueri ab hoſtibus poſſent. Selecta igitur ſunt duodecim loca, ubi ædes conſtructæ, ac data Vicis hæc nomina, Cecropia, Epacria, Decelia, Tetrapolis, Aphydna, Brauro, Eleuſis, Thoricus, Cytherus, Phalerus, Cepheſia, Sphettus. Cecropi autem cognominem vicum, proximamque regionem Actæus conceſſit; jactaque ab eo ſunt novi Imperii fundamenta [z]. Parvum interceſſit temporis intervallum, cum Cecropii ſeſe Minervæ, quæ Athena græcè dicitur, tutelæ committentes, Deæ quoque nomen oppido, religionis causâ, tradiderunt. Quamquam verum fabulis involventes Poetæ vellent, Minervam ipſam cum Neptuno de Cecropia contendiſſe, victumque Judicio Neptunum; cum Jupiter litis arbitrium duodecim Numinibus dediſſet, & Cecrops adverſus pelagi Dominum teſtimonium diceret. Palladem verò ad triumphi, certæque poſſeſſionis memoriam ſuo Urbem nomine condecoraſſe [a]. Acceſſit deinde Athenis totius Atticæ Imperium, manſitque à Cecrope ad Erycem annos octingentos ſexaginta ſex, primùm à ſeptendecim Regibus habitum, rurſus à duodecim perpetuis Archontibus, denique ab aliis octo decennalibus, quorum nomina, & quot regna-

[z] *Pauſ. in Atticis Strabo*, l. ix. *Trogus*, l. ii. [a] *Apollod. de Deorum origine.*

runt annos, è vetuſtatis tenebris eduxit Sigonius [b], Cecrops autem Urbem, ac Regnum conſtituit, ſex ac nonaginta ſupra ſeptingentos annos ante Romam conditam. Quæ ſanè Urbs initiò ignobile fuit oppidum. Deinde à Theſeo decimo ejuſdem Rege, ut jam olim retulimus, in eam collectis univerſis Atticæ populis, poſt ferè trecentos quinquaginta annos ab die Natali, pomœrium ampliſſimè dilatavit, veteri vico in arcem converſo. Quæ omnia utpote notiſſima teſtium auctoritate communire ſupervacaneum foret. Poſtmodum in ſecundo Perſico bello à Civibus, qui pueros, ac mulieres in Salaminem tranſtulerant, deſertam evertit, incenditque a. 1. O. 75. Mardonius Perſarum Imperator; felici quidem fato. Nam & ipſa, ut in poſterum Roma à Gallis diruta, è rogo veluti redditâ juventute pulchrior emerſit, tantâque fuit Ædium, Templorum, publicorumque Ædificiorum elegantiâ, ac majeſtate ornata, ut per omnem ætatem univerſo hominum generi admirationi fuerit. Nunc etiam immanes illas, celeberrimaſque ſubſtructiones, quas legimus apud Pauſaniam, alioſque, miramur vehementer. Frequens adeo Populus Athenis fuit, ut eas πόλιν πολυανθρωποτάτην τῶν Ελλωνίδων. *Urbem frequentiſſimam græcarum Urbium* vocet Critias apud Xenophontem [c]. Et quidem hinc aliqua frequentiæ ratio iniri poteſt, quod ipſas viginti Civium millia, qui ad Rempublicam poſſent accedere, incoluerint. Sic enim Demoſthenes [d] affirmat; σκοπεῖτε γάρ, εἰσὶν ἐμοὶ δισμύριοι πάντες Αθηναῖοι. Τούτων ἕκαστος ἔν τι πράττων καὶ τὴν ἀγορὰν περιέρχεται, ἢ τοι νὴ τὸν Ηρακλέα τῶν κοινῶν, ἢ τῶν ἰδίων. *Etenim animadvertite; ſunt ſimul omnes Athenienſes viginti millia. Horum ſinguli Forum obambulant, atque aliquid mehercule agunt rerum aut publicarum, aut privatarum.* Nec dubitari poteſt, quin hujuſmodi multitudinem ad eos tantùm referat, quibus fas eſſet Rempublicam capeſſere. Siquidem Plato [e] controverſiam tollit. Τούτῳ, inquit in Critia de Athenienſi-

[b] *Sigon. de Athen. temporibus.* [c] *Xenoph. de rebus Græc.* l. ii. [d] *Demoſth. in Areſtogit.* [e] *Plato in Critia.*

bus,

bus, ἢ καλώκειν τῷ χήματι, τῶν μὲν ἰδίων πολιτῶν φύλακες, τῶν δ' ἄλλων Ελλήνων ἡγεμόνες ἐκόντων, Πλήθος δ' διαφυλάττοντες, ὅτι μάλιστα ταυτὸν ἑαυτῶν εἶναι πρὸς τὸν ἀεὶ χρόνον ἀνδρῶν, καὶ γυναικῶν, τὸ δυνατὸν πολεμεῖν ἤδη καλὰ τὰ ἔτη, περὶ δύο μάλιστα ἔτη μυριάδας. *Hoc pacto incolebant, ipſorum quidem Civium euſtodes, Duces autem aliorum Græcorum, qui eos ſequi vellent. Adhibitâ præcipuè curâ, ut eadem frequentia Civium omni tempore conſervaretur cum hominum, tum mulierum; eorum autem, qui per ætatem arma gerere poſſent, ut viginti omnino forent millia.* Pleriſque tamen paupertas impedimento erat ad ferenda ſuffragia, utpote quibus quinûm Talentûm ſummâ res familiaris nequaquam conſtaret, ut ait Hermogenes; eamque ob rem, Phocionis tempore, plures duodecim millibus jus amiſiſſe Concionis ſcribit in ejus vita Plutarchus: τῶν δ' ἀποψηφισθέντων τὸ πολιτεύματος διὰ πενίαν, ὑπὲρ μυρίους, καὶ διακιλίους γενομένων, οἵ τε μένοντες ἐδόκουν ἀτέλεια, καὶ ἄτιμα πάσχειν. *Ejectis propter paupertatem ab jure adminiſtrandæ Reipublicæ pluſquam duodecim millibus, qui manebant, videbantur gravia, & indigna pati.* At verò qui Athenarum Cives reputabantur? Primùm, Solonis lege, ii omnes, qui ex Attico Cive, quamvis matre peregrinâ nati eſſent. Deinde, Periclis, qui ex utraque parte Atticam originem ducerent. Quamobrem ut nulla fieret de hujuſmodi re dubitatio, ſtatim ac liberi decimum quintum ætatis annum attigiſſent, deducebantur à Patribus, Cognatiſque ad uniuſcujuſque Gentis Curatores, ut in ipſorum tabulis inſcriberentur. Ne verò fraus eſſet, jurati Patres teſtabantur, illum & à ſe genitum, & à Matre Cive. Hæc verò ſolennis inſcriptio fieri conſueverat tertiâ Apaturiorum die. Cum autem illorum ætas ad decimum octavum annum perveniſſet, Tribuum Præfectos adibant, eodemque ritu nomen, Parentes, gentemque ſuam profeſſi, teſtimonium præbente Patre, ipſiſque ſi opus foret, Cognatis, in Tribulium tabulas, quas Lexiarchicas nuncupabant, referebantur, licebatque in poſterum jure

frui

frui Reipublicæ[f]. Et ſanè jus Civitatis tanti fuit apud Athenienſes, dum maximè floruerunt, ut acerbis, ſeveriſque Judiciis in eos inquireretur, quos in Civitatem ſubrepſiſſe ſuſpicarentur; ea verò Peregrinis initiò difficillimè data, & quibus magna forent in Rempublicam merita. Quæ fuerit nobiliſſimæ Urbis fortuna, quæ res geſtæ à præclariſſimis Civibus, quæ bellica virtus, quæ ſcientia, Civiliſque diſciplinæ ratio, nihil frequentius occurrit in iſtis noſtris annotationibus; attamen hæc omnia compendio referre lubet eloquentiſſimi Ciceronis verbis[g]. *Adſunt Athenienſes, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges artæ atque in omnes terras diſtributæ putantur; De quorum Urbis poſſeſſione, propter pulchritudinem etiam inter Deos certamen fuiſſe proditum eſt. Quæ vetuſtate eâ eſt, ut ipſa ex ſeſe ſuos Cives genuiſſe dicatur, & eorum eadem terra parens, altrix, patria dicatur. Auctoritate autem tanta eſt, ut jam fractum prope, ac debilitatum Græciæ nomen, hujus Urbis laude nitatur.*

[1] Ὀπισθόδομον *Poſticum* per ἀνδρωνῖτιν Athenis dicebatur Ærarium, quoniam opes publicæ in Arce poſt Minervæ templum ſervabantur, ut eſt apud Ariſtophanem in Pluto: *ἰδρυσόμεθ' ὅπου ἀὐλίκα, ἀλλὰ πρὸ μὲν τοῦ Πλούτου, ὅπερ πρότερον ἐνῴκει ἰδρυμένος, τὸν ὀπισθόδομον ἀεὶ φυλάττων τῆς Θεοῦ. Statim igitur ſedebimus. Sed expella Plutum, ubi ille priùs ſedebat, ſemper Poſticum Deæ cuſtodiens.* Et apud Ulpianum[h]: Ὀπισθόδομος ἐν τῇ ἀκροπόλει τόπος. Ἔνθα τὸ δημόσιον ἀργύριον ἐφύλαττετο, ἡ ὁ Φόρος, ὑπαθεν τῷ νεῷ τῆς Ἀθηνᾶς. *Poſticum, locus in Arce. Hîc reponebatur pecunia publica, ac Tributa, poſt Templum Minervæ.*

[k]. Nullus dubito, dum remos hîc nuncupat Demoſthenes, de furto in Navalibus, Armamentariiſque commiſſo ſermonem facere. Sic enim hujuſmodi flagitium rectè conjungitur cum publicæ pecuniæ rapinâ, poſtructoque Ærario, de quâ pariter iſthic mentio:

[f] *Schol. Ariſtoph. in Veſpis Demoſth. contr. Eubulid. Neæram, Æſchin. Harpocrat. Suidas, alique.* [g] *Cic. pro L. Flacco.* [h] *Ariſtoph. in Pluto, Ulp. in acceſſion. enarrat. hujus Orat.*

Nam

Nam cur aliàs atrociſſimi criminis exemplum poneret in tenui remorum furto?

[L]. Id ſanè dominandi caput eſt, perficere ne plebs agnoſcat vires ſuas, aut ne ſaltem eas poſſit exerere. Ita Romæ pane, & Circenſibus illecta, ſui oblivionem cepit, ac paucis primùm potentioribus obſecuta, uni deinde obtemperavit.

[M]. Pernicioſam hujuſmodi conſuetudinem, quam hoc loco Demoſthenes tantùm indicat, apertè in Orationibus contra Ariſtocratem, & de productâ præfecturâ navali exponit. Mos enim Athenis obtinuerat, ut quicquid Duces opibus, & viribus Reipublicæ in poteſtatem redigerent, ipſorum eſſet, in eorumque cederet utilitatem. Demoſthenem audiamus[1]: ἴστε γὰρ δήπου τοῦθ', ὅτι πάντες οἱ ξεναγοῦντες ἤδη, πόλεις καλλαμβάνουσι Ἑλληνίδας, ἄρχειν ζητοῦσι. *Id ſanè vobis compertum eſt, quòd omnes iſti Mercenariorum militum Duces græcas Urbes occupare ſtudent, in ſuaque retinere poteſtate.* Et alibi[1]: Ἐπειδὰν γάρ τις μισθωσάμενος τριηραρχίαν ἐκπλεύσῃ, πάντας ἀνθρώπους ἄγει, ἢ φέρει. Καὶ τὰς μὲν ὠφελείας ἰδίᾳ κεκτῆται, τὰς δ' ἀδικίας τούτων ὁ τυχὼν δίδωσιν ὑμῶν. Καὶ μόνοις ὑμῖν ἐξαμάρτειν ἔξεστιν ἀνδρὶ κήρυκείῳ βαδίσαντι, διὰ τὰς ὑπὸ τούτων ἀνδροληψίας, ἢ σύλας κεκλεισθυσαμένων, &c. Δεδώκασι γὰρ τοῖς βουλομένοις ἀδικεῖν, ἐν μὲν λάθρᾳ, ἔχειν· ἐν δὲ λαφθῶσι, συγγνώμης τυχεῖν. *Poſtquam verò aliquis conductâ Triremis præfecturâ navigat; iſte prædas agit, cunctoſque redigit homines in ſervitutem. Hinc autem habet ille, hujuſmodi ſcelerum utilitatem; vos eorundem pœnas datis, ſi quis fortè veſtrûm in eos incidat,* qui damnum acceperunt. *Et ſanè vobis duntaxat non licet uſquam ſine Caduceo progredi, ob prædas ab iſtis factas, ductoſque homines in captivitatem, &c. Permiſiſtis enim quibuſcunque injurias irrogare velint, ut ſi occultò quid rapiant, ſibi habeant; ſi furtum palam ſit, ut veniam impetrent.*

[N]. Satis multa de hoc argumento diximus Pag. 25. nota [U]. Orat. de Claſſibus, quantum per ingenii tenuitatem licuit.

[1] *Demoſth. adv. Ariſtocrat.* [1] *Idem. περὶ συντριηραρχίας.*

[o]. Dum græcam, latinamque Hiſtoriam legendo peragramus, quis incredibilem Athenienſium, ac Romanorum, dum felicior utriuſque Reipublicæ ætas fuit, in conferendis honoribus parſimoniam, ſimul verò maximam eximiè factorum copiam non admiratur. Rectè ſiquidem Viri ſapientiſſimi reputabant, nullum eſſe virtutis præmium, quod rarum non ſit; & quicquid ex hominum æſtimatione pretium habet, frequenter uſurpatum, cum non amplius admirationem habeat, flocci fieri. Id enimverò ſi probè, ac diligentèr conſiderarent, qui benevolentiâ, aliena commendatione, privatiſque commodis inducti, nullâ virtutum habitâ ratione honores impertiunt, pecuniam iſtam, quam inexhauſtam poſſident, jam propè adulterinam reputari non quererentur. Romæ quidem initiò perquàm rarò, nec niſi maximis rebus geſtis, decernebantur Ovationes, Triumphi, Supplicationes. Sequuta ſunt tempora, quibus illa tantâ liberalitate decernebantur, ut hujuſmodi honoribus non amplius Virtuti præmium, ſed hominibus perſolvi officium à Senatu videretur. Nam quis non rideat decretas Ciceroni Supplicationes, quin etiam Triumphum ob captum in Amano monte munitiſſimum oppidum, ut ipſe ait, Pindeniſſum? Iterum, cum non aliter poſſet, aucta ſaltem celebritas eſt dierum numero. Tres olim fuerunt ad ſummum Supplicationum dies, unus triumphi. Deinceps *C. Cæſarem*, utor Ciceronis verbis [m], *Senatus, & genere Supplicationum ampliſſimo ornavit, & numero dierum novem.* Poſtmodum Panſæ, Hirtio, & Cæſari Octaviano, ob victoriam in bello civili adverſus M. Antonium partam, quinquaginta dierum. *Decerno igitur*, idem loquitur Tullius [n], *eorum trium nomine, quinquaginta dierum ſupplicationes, quas ut honorificentiſſimis verbis ipſe conſequi potero, complectar ipsâ ſententiâ.* Denique, ne ſingulis narrandis immorer, ſancitum eſt à Senatu Trajani nomine, devictâ Pannoniâ, *ut triumphos, feſtoſque dies ageret quam-*

[m] *Cic. pro Corn. Balbo.* [n] *Cic. Philip.* 14.

plurimos

plurimos vellet. Quamobrem non immeritò Cornelius Nepos memoriæ hominum prodidit, hujuſmodi honores ætate ſuâ parvo, aut nullo in pretio reputari. *Ut enim,* inquit, *Populi noſtri honores quondam fuerunt rari, & tenues, ob eamque rem glorioſi; nunc autem effuſi, atque obſoleti* [o]. Verùm hæc dicta ſint ad Romanorum cum Athenienſibus agendi ſimilitudinem pleriſque in rebus oſtendendam. Nunc ut ad iſtos me convertam, principiò Athenis honores jejunè admodum dati, nec niſi ob ingentia in Rempublicam merita. Quamobrem Miltiadi auctori Marathonicæ pugnæ, ac Victoriæ, (quem puto præſertim hoc loco ab Oratore noſtro tacitè demonſtrari) nullum æreum ſignum, nullum marmoreum, conſtitutum; ſed vix permiſſum, ut cum Senatus ad prodendam Poſteris clariſſimi prælii memoriam ſtatuiſſet, illud in Pœcile à Paræneo Phidiæ fratre pingi, primus ille inter decem imperatores aſtaret, incendens milites ad pugnam, ut habet Æſchines, & Pauſanias [p]. Ille verò ſic loquitur: Προσέλθετε ἓν τῇ διανοίᾳ ἡμῖν εἰς τὸν ϛόαν Ποικίλην, &c. Ἐνταῦθα ἡ ἐν Μαραθῶνι μάχη γέγραπται. Τὶς ἂν τῶν ϛρατηγός; ἅπαντες μὲν ἐρωτηθέντες ἀποκρίναιθ' ἂν, ὅτι Μιλτιάδης. Ἐκεῖ οὐκ ἐπιγέγραπται. Πῶς; οὐκ ἤτησε τὸν δῆμον ταύτην; ἠτήσατο, ἀλλ' ὁ Δῆμος οὐκ ἔδωκεν. Ἀλλ' ἀντὶ τοῦ ὀνόματος σωτηρίαν αὐτῷ πρώτῳ γραφῆναι παρακαλοῦντι τοὺς ϛρατιώτας. *Mente igitur accedite ad Pœcilem Porticum,* &c. *Hîc picta eſt Marathonica pugna. At quis in ea Dux fuit? Huic omnes interrogationi, Miltiadem reſpondetis. Cur igitur ibi ejus nomen non adeſt? An hujuſmodi honeſtari præmio non quæſivit? Quæſivit quidem; ſed Populus negavit. Conceſſit autem, ut inſcribendi nominis vice, ille primus, milites adhortans, depingeretur.* Sed non minus hujus in diſpertiendis honoribus tenacitatis luculentum eſt alterum exemplum ab ipſo Æſchine in medium prolatum [q]. Ἦσάν τινες καὶ τότε καιροὶ, οἳ πολιτῶν ὑπομείναντες χρόνον, ἢ μεγάλης κινδύνους, ἐπὶ τῷ Στρυμόνι πόλεμῳ ἐνίκων μαχόμενοι

[o] *Corn. Nep. in vita Miltiad.* [p] *Æſch. contra Cteſiph. Pauſ. in Atticis.* [q] *Ibidem.*

Μήδους.

Μήδους. Οὗτοι δεῦρο ἀφικόμενοι, τὸν Δῆμον ἤτησαν δωρεάν, ἣν ἔδοσαν αὐτοῖς ὁ Δῆμος τιμὰς μεγάλας, ὡς τοτ' ἐδόκει, τρεῖς λιθίνας Ἑρμᾶς στῆσαι ἐν τῇ στοᾷ τῇ τῶν Ἑρμῶν, ἔφη τὲ μὴ ἐπιγεάφειν τὰ ὀνόματα τὰ ἑαυτῶν, ἵνα μὴ τῶν στρατηγῶν ἀλλὰ τῷ Δήμῳ δοκῇ εἶναι τὸ ἐπίγραμμα, &c. *Fuerunt aliqua per eadem* Perfici belli *tempora, qui longâ non deſeſſi morâ, ac magna obeuntes pericula, cum Medis congreſſi ad Strymonem fluvium victoriâ potiti ſunt. Hi huc regreſſi præmium à Populo poſtulârunt, magnoſque iiſdem honores Populus dedit, ut per id temporis videbatur. Siquidem in Mercurialium porticu tres Hermas* (lapides erant oblongi, quadrati, ſuperimpoſito capite Mercurii) *collocavit, at nequaquam eorundem inſcriptis nominibus; ne inſcriptio ad Imperatores, non ad Populum pertinere videretur.* Nos duo reliqua Epigrammata, quæ ille refert, omittimus brevitatis gratiâ; unum duntaxat afferimus.

Ἐπὶ τῷ δευτέρῳ ἐπιγράμματι.

Ἡγεμόνεσσι τῇ μισθὸν Ἀθηναῖοι τὸ τῇ δῶκαν.
Ἀντ' εὐεργεσίας, τῇ μεγάλης ἀρετῆς.
Μᾶλλόντις τάδ' ἰδὼν τῇ ἐπιστομένων ἐθελήσει
Ἀμφὶ ξυνοῖσι πράγμασι μόχθον ἔχειν.

In ſecunda ſtatua hæc ſcripta ſunt.

Athenienſes hæc dona dederunt Ducibus præmium
Meritorum, magnæque Virtutis.
Ut ipſa Poſteri conſpicientes velint
Pro repellendis *externis moleſtiis laborem capere.*

Cæterum noluit Reſpublica ipſorum Imperatorum nomina publico monumento Poſteritati prodere, ne acceptam Victoriæ gloriam cum iiſdem communicare videretur. Quod mirificè congruit huic, quod expendimus, Demoſthenis dicto. At verò poſteriori ætate Civibus bene de Republica meritis vel nondum vitâ functis æneæ, ac marmoreæ ſtatuæ cum magnificis inſcriptionibus conceſſæ ſunt, ut ſæpius Æſchines, ac Demoſthenes narrant, ſcribit Pauſanias, aliique. Labente demum Republicâ; extinctâ verò magis magiſque, tantâ adulatione, tantâque facilitate is honor nullo virtutis merito potentioribus Viris datus eſt,

ut

ut Cornelius Nepos [q] haud ſatis pro dignitate ſtomachari non deſinat, Athenienſes Miltiadi vel unam ſtatuam decernere noluiſſe, qui deinde trecentas Demetrio Phalereo collocandas conſtituerint.

[p]. Diodorus Corcyram à Timotheo ſubactam præteriit, & falsò auxilii ferendi provinciam ab Athenienſibus illi datam, dum Civitas à Lacedæmoniis obſideretur, narrat. Quare, & ipſe, & quotquot ipſum ſequuti, è Xenophontis accuratiſſimi, ac σωφρονος Scriptoris auctoritate emendandi ſunt. Timotheus igitur, Chabriâ fraude obtruncato, Claſſis imperium ſuſceperat, quam jam antea Lacedæmoniorum victricem cum per Ionium circumduceret, improviſò ad Corcyram appulſus, Urbem, atque Inſulam obtinuit: ὁ μὲν νυν, ſunt politiſſimi Hiſtorici verba [r], Τιμόθεος περιπλεύσας, Κέρκυραν μὲν τοῦτον τὸν τρόπον ἐκτήσατο. Οὔτε μὲν τὸ ἀνδραποδίσασθαι, οὔτε ἄνδρας ἐφυγάδευσεν, οὐδὲ νόμους μετέθηκεν. Ἐξ ὧν τὰς περὶ ἐκείνην πόλεις εὐνόους ἐποιήσατο. *Et ſanè Timotheus claſſe circumductâ, ſtatim in poteſtatem redegit Corcyram. Non tamen illi ſervitutem impoſuit, nec Viros exilio multavit, nec quicquam ex ipſorum Legibus immutavit. Hinc autem Urbes omnes per ea loca amiciores habuit.* Id geſtum puto ann. 1. Ol. 101. quo plures Cephalleniæ, Acarnaniæ Urbes, atque Alcetam Moloſſorum Regem Dux ille maximus, ac præſtantiſſimus in Athenienſium Societatem adduxit, ut eſt apud Diodorum [s]. Τιμόθεος ὁ παραλαβὼν τὴν ναυμαχίαν, ἐκ πλεύσας εἰς τὴν Κεφαλληνίαν, τάς τε ναῦς τῇ πόλει παρεσκεύασε, καὶ τὰς μετὰ τῶν Ἀκαρνανίων ὁμοίως ἐπιθέσθαι ἀπεπλίνσαι πρὸς Ἀθηναίους. Ἀλκέταν δὲ τὸν Μολοσσῶν Βασιλέα φίλον ποιησάμενος, καὶ καθόλου τὰς χώρας τὰς τῶν περὶ τὸν τόπον ἐκεῖνον πόλεων ἐξιδιοποιησάμενος, ἐνίκησε ναυμαχίᾳ τοὺς Λακεδαιμονίους περὶ Λευκάδα. *Timotheus acceptâ navali Præfecturâ, atque in Cephaleniam navigans, naves Urbi admovit, cunctiſque Acarnaniæ Civitatibus perſuaſit, ut ad Athenienſes animo inclinarent. Alcetæ quoque Moloſſorum Regis comparatâ*

[q] *Corn. Nepos in vita Miltiad.* [r] *Xenoph. de rebus Græc.* lib. v. [s] *Diod.* lib. xv.

familiari-

familiaritate, universâque illarum Civitatum regione sibi vindicatâ, Lacedæmonios prælio navali fudit ad Leucadem. Id utique in causa fuit, ut iidem Lacedæmonii pacem dirimerent, quam per eos dies [t] cum Athenienſibus compoſuerant, captâ à Zacynthiorum querelis occaſione. Hi ſiquidem vi à Timotheo coacti, exules in civitatem recipere, Spartam Legatos miſerunt, qui injurias cum Sociis expoſtularent, atque opem implorarent ad vim repellendam. Claſſem igitur è ſuis, ac Sociorum navibus quàm maximam potuerunt conflatam Mnaſippo dederunt, ut Athenienſium injurias ulciſceretur, ac præſertim Corcyram ex eorum manibus eriperet, quam utpote opportunam ad Sicilienſem in Peloponeſum navigationem impediendam, ad retinendaſque Ionii litoris Urbes, nimium ſuâ intererat Athenienſium non eſſe. Profectus ille Corcyrenſes arctiſſimâ cinxit obſidione, dirâque fame ferè ad incitas adduxit. Sed opportunè affuit ab Athenis Steſicles, quem Cteſiclem vocat Diodorus, cum quingentis militibus. Nam Athenienſes audito Corcyrenſium periculo, ſtatim primum iſtud auxilium tulerant; ſimul verò ſexaginta triremes inſtrui jubent, iiſque Timotheum præficiunt, ut obſidionem ſolvat, perniciemque afferat hoſtibus. Ille ad Nautarum ſupplementum accipiendum in Ægæi maris inſulas navigavit, ut ornatâ Claſſe, tutiùs deinde ageret, quæ ſibi Cives mandaverant. Hi verò, ægrè moram ferentes, Timotheum abdicare ſe Præfecturâ juſſerunt, demandatâ Iphicrati expeditionis curâ; qui Corcyram petens, hoſtes diſceſſiſſe reperit, ingenti acceptâ clade. Cum enim Oppidani eos conſpexiſſent negligenter cuſtodias obire, ac palantes in agris diverſari, confirmati Steſiclis auxilio, in eos effuſi incautos editâ grandi ſtrage conciderunt, qua Mnaſippus occubuit, dum ſuos colligere, in aciemque mittere conaretur. Quamobrem quicquid reliquum Copiarum fuit, relictâ obſidione, convaſavit, ſeſeque Lacedæmonii Leu-

[t] *A.* 3. *O.* 101.

cadem

eadem receperunt. Iphicrates re confectâ Corcyram advenit, & Civibus Victoriam gratulatus, hostes prosequitur, quos denique extremâ perculit plagâ. Ita rem narrat Xenophon [u], cui fides negari nequit, quippe rem suo tempore gestam scribenti. Diodorus [x] autem, Timotheum inquit acceptâ Classe in Thraciam solvisse, cum Plebiscitum esset, Corcyram illico navigandum. Id Populo grave, atque ingratum accidisse, eamque ob rem Iphicratem illi successorem datum. Sed cum prosperos in Thracia successus audivit, adductos captarum Civitatum Legatos, auctamque triginta Triremibus classem vidit, ad sublevandam obsidione Corcyram Imperium Timotheo restituisse, pari cum Iphicrate auctoritate.

[Q] Thrasybulus post assertam Athenienſibus Thraciæ, atque Hellesponti oram, maximasque illatas clades Lacedæmoniis, è vita decesserat, dolo ab Aspendiis interemptus. Ut igitur morte clarissimi Ducis aliquid proficerent Lacedæmonii Anaxibium cum classe, ac militum manu Abydum miserant, rei bene gerendæ opportunitatem aucupaturum. Nec rem suam Athenienses neglexerant misso Iphicrate cum navibus octo, ac Peltatis mille ducentis, *δεδιότες μὴ διαφθερεῖν σφίσιν ἃ κατασκεύασεν ἐν τῷ* Ελλησπόντῳ *Θρασύβουλος, veriti, ne quæ ipsis Thrasybulus adeptus fuerat, cuncta deficerent.* Interea Anaxibius quotquot habebat mercenariorum militum, ducentosque Lacedæmonios, Abydenosque Antandro admovit. Libenter à Civibus exceptus, impositò Urbi præsidio, cum intellexisset Athenienſium Classem in Chersonesum navigasse, sui securus Abydum revertebatur. Verùm Iphicrates, qui prope oppidum insidias redeunti collocaverat, ad easque contegendas Classem navigare jusserat, repentè hostes aggreditur, Anaxibium fortiter dimicantem, ac duodecim aliarum Urbium Præfectos, qui eum sequuti fuerant, occidit.

[u] *Xenoph. de reb. Græc.* lib. vi. [x] *Diod.* lib. xv. *ad a.* 3. *O.* 101.

Οἱ δ' ἄλλοι φεύγοντες, ἔπιπλον. Οἱ δ' ἐδίωκον μέχρι τῆς ἄσεως· Καὶ τῶν ἄλλων ὡς διακόσιοι ἀπέθανον, καὶ τῶν Ἀβυδηνῶν ὁπλιτῶν περὶ πεντήκοντα· Ταῦτα δὴ πράξας ὁ Ἰφικράτης ἀνεχώρησε πάλιν πλοῖ Χερρόνησον. *Et illi quidem fugientes ceciderunt; isti cæteros fugâ elapsos ad urbem usque sunt persequuti. Mercenariorum desiderati sunt circiter ducenti; Abydenſium gravis armaturæ ad quinquaginta. His rebus gestis Iphicrates rursus in Chersonesum discessit*[y]. Gratissima Athenienſibus accidit victoria, cum ob fractas Lacedæmoniorum vires, tum ob retinendi Helleſponti ſecuritatem; quarè non eſt, cur quiſpiam miretur, ob facinus non admodum illuſtre, Iphicratem ſtatuâ fuiſſe donatum. Nam & virtus Imperatoris in eo quàm maximè enituit, & in illa temporum conditione clades iſta inimicis illata non parum profuit Reipublicæ, Geſta res eſt a. 3. O. 97. quo Thraſybulum paulò poſt oppetiiſſe mortem Diodorus prodit[z].

[R] Atrox navale prælium ad Naxum paucis Xenophon, luculenter[a] deſcribit Diodorus, atque ita ſe habuit. Cum Bœoticum bellum produceretur, exiſtimarunt Lacedæmonii moram abrumpi poſſe ſi neceſſitatem Athenienſibus imponerent Thebanorum curam deferendi, ſibique providendi. Claſſem igitur quinque, ac ſexaginta navium inſtruunt, ac Polli ejuſdem Præfecto jubent, commeatus omnes Athenas adductos diripiat Civeſque tranſvecto frumento victitantes fame necet. Nec ſanè opinione decepti ſunt. Poſtquam enim Polles apud Inſulas Andrum, Ceum, Æginam Triremes in ſtatione poſuit; frumentariæ naves ad Geraſtum promontorium appulſæ, non ultra ſe mari committere, ac petere Athenas audebant. Cum igitur Athenienſes Annonæ difficultate premerentur, ad eam ſublevandam tres, atque octoginta Triremes educunt, Imperatore Chabria. Hic ſtatim mare tutum frumentariis navibus reddidit, ac deinde in Naxum navigans, Urbem arctiſſimâ obſidione

[y] *Xenoph. de rebus Græc.* lib. iv. [z] *Diod.* lib. xiv.
[a] *Xenoph. de rebus Græc.* lib. v. *Diod.* lib. xv.

cinxit, eo consilio, ut portu hostes intercluderet. Polles cognito Sociorum periculo, Classem Insulæ admovit opem laturus. At cum nihil proficeret, navale prælium statuit periclitari. Libenter Chabrias occasionem tenuit, eductisque utrinque in aciem triremibus, primùm incerto Marte pugnatum est. Nam utrumque dextrum cornu, quibus supremi Duces imperabant, hostes fudit. Chabrias autem opportunè suos confirmavit submisso auxilio, ingenti ipse pariter editâ cladè Lacedæmonios in fugam vertit, victoriæque potitus est. Classem tamen ab iisdem infequendis cohibuit, maluitque colligendis, sepeliendisque suorum cadaveribus tempus consumere, memor pugnæ ad Arginusas, ubi officium istud neglectum Ducibus, Judicum sententiâ damnatis, vitâ constitit. Κάλλει δὲ τῷ ναυμαχίαν, lubet Diodori verbis narrationem concludere, τῶν μὲν Ἀθηναίων διεφθάρησαν τριήρεις ὀκτωκαίδεκα, τῶν δὲ Λακεδαιμονίων διεφθάρησαν μὲν εἴκοσι ἢ τέτταρες, αὐτάνδροι δ' ἐλήφθησαν ὀκτώ. Χαβρίας μὲν ἐν ἐπιφανῇ ναυμαχίαν νικήσας, καὶ ἐπλοῦσε μετὰ πολλῶν λαφύρων εἰς Πειραιέα, καὶ μεγάλης ἀποδοχῆς ἔτυχε παρὰ τοῖς πολίταις. Μετὰ γὰρ τὸν Πελοποννησιακὸν πόλεμον Ἀθηναῖοι τούτῳ πρώτῳ ναυμαχίαν ἐνίκησαν. Τῷ γὰρ περὶ Κνίδον ἐκ ἰδίας διηγωνίσαντο, τῷ δὲ Βασιλικῷ στόλῳ χρησάμενοι, προετέρησαν. *In eo prælio octodecim Athenienſium Triremes periêrunt; Quatuor ac viginti, Lacedæmoniorum; captæ cum Viris octo. Chabrias igitur victor illuſtris pugnæ, cum ingentibus hoſtium ſpoliis in Piræum navigavit, magnoque Civium plauſu exceptus eſt. Siquidem poſt bellum Peloponeſiacum hanc primam navalem pugnam vicerant Athenienſes. Nam quæ ad Cnidum pugnata fuit, non propriis viribus, ſed Claſſe Regiâ confirmati obtinuerant.* Hæc geſta ſunt a. 4. O. 100.

Tribus hiſce victoriis, quas modò enarravimus, adeo lætos fuiſſe Athenienſes video, ut illæ ſemper in omnium Oratorum atque hominum ore tum temporis verſarentur. Id enim docet Demoſthenes hoc, quod expendimus, loco. Id hujuſmodi verbis

Dinarchus [b], πότε ἡ πόλις ἡμῶν ἰδοὺ μεγάλη, καὶ ἐνδόξος παρὰ τοῖς Ελλησι, καὶ προγόνων ἀξία, μεθ' ὰ γε τὰς ἀρχαίας ἐκείνας πράξεις; Ὅτε Κόνων, ὡς οἱ πρεσβύτεροι λέγουσι, ἐνίκησε τῷ ἐν Κνίδῳ ναυμαχίαν. Ὅτε Ιφικράτης ἀνεῖλε τῶν Λακεδαιμονίων μόραν. Ὅτε Χαβρίας ἐν Νάξῳ καλὴν ναυμάχησε τὰς Λακεδαιμονίων τριήρεις. Ὅτε Τιμόθεος τῷ ἐν Κερκύρᾳ ναυμαχίαν ἐνίκησε. *Quandonam Urbs noſtra ampliſſima fuit apud Græcos, illuſtris, ac digna Majoribus, poſt vetera illa facinora? Cum Conon, ut Seniores dicunt, navale prælium vicit ad Cnidum; cum Iphicrates Lacedæmoniorum Legionem evertit; Cum Chabrias ad Naxum Lacedæmoniorum triremes fudit navali pugna. Cum Timotheum mari hoſtes ſuperavit.* Id rurſus Æſchines tradit: Επερώτησον δὴ τοὺς Δικαστὰς, εἰ ἐγνώσκον Χαβρίαν, καὶ Ιφικράτη, καὶ Τιμόθεον, καὶ τυθὲν παρ' αὐτῶν, διά τι τὰς δωρεὰς αὐτοῖς ἔδωσαν, καὶ τὰς εἰκόνας ἔστησαν. Ἅπαντες γὰρ ἅμα σοι ἀποκρινοῦνται, Ὅτι Χαβρίᾳ μὲν διὰ τὴν ἐπὶ Νάξον ναυμαχίαν, Ιφικράτει δὲ, ὅτι τὴν μόραν Λακεδαιμονίων ἀπέκλεινε, Τιμοθέῳ δ' διὰ τὸν περίπλουν τὸν εἰς Κέρκυραν. *Interroga Judices, an norint Chabriam, Iphicratem, Timotheus, & quam ob cauſam munera ipſis data fuerint, Signa conſtituta? Reſpondebunt ſimul omnes, Chabriæ data fuiſſe, quia prælium navale vicit ad Naxum; Iphicrati ob interemptam Lacedæmoniorum Legionem; Timotheo quia claſſem Corcyræ circumduxit.*

[s] Bellum, quod nunc à Demoſthene indicatur geſtum ad Eionem prope Amphipolim, affirmare non dubito illud eſſe à Thucydide accuratè deſcriptum an. 8. 9. & 10. belli Peloponeſiaci, ab an. ſcilicet 2. octogeſimæ nonæ ad 1. proximæ Olympiadis, quibus per ea quoque loca Lacedæmonii Braſida viro ſtrenuo Duce vim Athenienſibus intulerunt. Nec mihi moleſtiam facit, quod nullus ibi habeatur ſermo de lato iiſdem Athenienſibus auxilio à Menone Pharſalio, de quo nunc pariter Demoſthenes loquitur. Quippe non quicquid minutum habent res geſtæ,

[b] *Dinarch. adv. Demoſth.*

literis

literis mandant graviores ingentium factorum Hiſtorici. Neque verò diverſum puto Menonem iſtum ab eo, qui a. 4. O. 94. cum mille gravis armaturæ, cetratorum quingentis militibus Cyro adverſus fratrem Artaxerxem ſuppetias iviſſe perhibent Diodorus, ac Xenophon [d]. Nam Theſſalus uterque nuncupatur, ſimileſque mores facilè in ambobus comparent. Enimverò quis duodecim talentûm munus à Demoſthenico Menone liberaliter Athenienſibus datum, ab ea ſagacitate derivatum non videat, quam Xenophon Menonem à ſe memoratum habuiſſe dicit, quærendi potentiorum amicitias, ut iis tectus agere poſſet, quod luberet? Quis adductam Cononi, arbitror, Athenienſium Imperatori ducentorum hominum cohortem, quam narrat Orator, ab eo more disjungat conflandi, quæſtus causâ, Mercenariorum Copias, eaſque auxiliares præbendi cuicunque ſtipendium polliceretur, quem morem habuiſſe Menonem ſcribit limatiſſimus Hiſtoricus. Verùm ipſius jam referamus verba, quibus hujuſmodi, aliaque Viri vitæ inſtituta complectitur [e]: Μένων ὁ Θετταλὸς, δῆλος ἦν, ἐπιθυμῶν μὲν πλέ-ττε ἀργυρῶς. Ἐπιθυμῶν δ' ἄρχειν, ὅπως πλείω λαμβάνει. Ἐπιθυμῶν δὲ τιμᾶσθαι, ἵνα πλείω κερδάνοι. Φίλος δ' ἐβούλετο εἶναι τοῖς μεγίσον δυναμένοις, ἵνα ἀδικῶν, μὴ δίδοίη δίκλυ. Ἐπὶ δὲ τὸ καλεργάζεσθαι ὧν ἐπιθυμοίη, σωτομωλάτλω ἐδὸν ᾤετο εἶναι διὰ τᾶ· ἐπιορκεῖν τε, καὶ ψεύδεσθαι, καὶ ἐξαπαλᾶν. Τὸ δ' ἁπλᾶν τε, καὶ ἠλίθιον, ἐνομίζετο ἀνλῷ ἠλιθίῳ εἶναι. Στέργων δὲ φανερὸς μὲν ἦν ἀδένα. Ὅτῳ δὲ φαίη φίλος εἶναι, τάτῳ ἔνδηλος ἦν ἐπιβελεύων. Καὶ πολεμίᾳ μὲν ἀδενὸς κατεγέλα. Τῶν δὲ σωνόνλων πάνλων, ὡς καλαγελῶν αἰεὶ διελέγετο. Καὶ τοῖς μὲν τῶν πολεμίων κλήμασιν ἐκ ἐπεβάλλε. Χαλεπὸν γὰρ ᾤετο εἶναι τὰ τῶν φυλαττομένων λαμβάνειν. Τὰ δὲ τῶν φίλων μόνος ᾤετο εἰδέναι, ὅτι ῥᾷσον ἀφύλακλα λαμβάνειν. Καὶ ὅσας μὲν ἡσθάνετο ἐπιόρκεις, καὶ ἀδίκεις, ὡς εὖ ὁπλισμένας ἐφοβεῖτο. Τοῖς δ' ὁσίοις, καὶ ἀληθείαν ἀσκοῦσιν, ὡς ἀνάνδροις ἐπειρᾶτο χρῆσθαι. Ὥσπερ δέ τις ἀγαλ-

[d] *Diod.* lib. xiv. *Xenoph. de rebus Græc.* lib. i. [e] *Xenoph. ut ſupra*, lib. ii.

λεῖαι, ἢ θεοσεβείᾳ, ἢ ἀληθείᾳ, ἢ δικαιότητι, οὕτω ἢ Μένων ἠγάλλετο τῷ ἐξαπαλᾶν δύνασθαι, τῷ πλάσασθαι ψᾴδῇ, τῷ φίλος διαγελᾶν. Τὸν δὲ μὴ παρέργων, ἀτραφόδυτον ἐνόμιζεν εἶναι, ἢ παρ' οἷς μὲν ἐπιχείρει πρωϊεύειν, φιλίας διαβάλλων τὰς πρώτας ὧδε δεῖν κλήσεσθαι. Τὸ δὲ πειθομένους τὰς σταλιώτας παρέχεσθαι, ἐκ τοῦ φωναδικεῖν αὐτοῖς ἐμηχανᾶτο. Τιμᾶσθαι δὲ, ἢ θεραπεύεσθαι κἄξιος, ἐπιδεικνύμενος, ὅτι πλεῖσα δύναιτο, ἢ ἐθέλοι ἂν ἀδικεῖν. Εὐεργεσίαν δὲ καλέλεγεν, ὁπότε τὶς αὐτοῦ ἀφίσατο, ὅτι χρώμενος αὐτῷ οὐκ ἀπόλεσαν αὐτὸν, &c. *Menon verò Theſſalus palàm fecerat vehementer abripi divitiarum cupiditate, æquè verò imperium exoptaſſe, ut plura prædari poſſet; honores, ut ſibi utilitatem afferrent. Studebat conciliare ſibi Potentiorum familiaritates, ut malè ageret impunè. Ad ea verò perpetranda ſcelera, quæ animo complexus fuerat, compendiariam eſſe viam reputabat, dolo, fallaciis, perjuriis uti. Sincero, apertoque eſſe animo ſtultitiam exiſtimabat. Neminem verè unquam amavit; & ſi quem ſimulatè, certum erat inſidiandi causâ ſimulare. Hoſtium neminem contemnebat; cum familiaribus autem nunquam niſi contemptum præ ſe ferens loquebatur. Inimicorum opibus per inſidias nequaquam inhiabat; nimis enim difficile iis, qui ſibi caverent, furari arbitrabatur; At amicorum fortunas, utpote incuſtoditas, facilè diripi. Qui perjuriis, atque injuſtitiâ ſe conſpurcarent, eos veluti bonis armis contectos reformidabat. Antiqui homines moris, veluti ignavos deſpiciebat; & ut quiſque veritate, religione, juſtitiâ condecorari maximè gaudet, ita Menon inſidiis, falſitate, amicorum contemptu. Qui veterator non eſſet, eum rudem; apud quos principem tenere locum ſtudebat, eorum nobilioribus, amicitiæ ſimulatione, deceptis, ad propriam utilitatem utendum eſſe putabat. Milites curabat ſibi obnoxios retinere improbitatis communicatione. Ab iiſdem honorem, atque obedientiam expetebat, pœnarum metu, quas infligere ſi vellet, ſe poſſe, oſtenderet. Cum quiſpiam ipſum deſereret, id beneficium exprobabat, mortem illi non dediſſe, cum ſecum habuiſſet,*

&c. Verùm & ipſe æquum hujuſmodi moribus fatum invenit. Siquidem poſt Cyri obitum ad inviſenda Perſarum caſtra cum aliis quibuſdam Græcorum Ducibus dolo illectus, à Tiſſapherne capite multatus eſt.

[T]. Herodotus, ac Diodorus [c] diligenti ſermone proſequuntur ingentem illam Perſarum cladem ad Platæas, & quæ ſors reliquiarum exercitus fuerit. Utrique unanimi ſententiâ dicunt, trecenta bellatorum millia in aciem educta à Mardonio fuiſſe, quorum in prælio decem millia cum ipſo Duce interempta fuerint. Quadraginta millia cum Artabazo arreptâ fugâ iter per Theſſaliam, ac Macedoniam in Aſiam habuiſſe, incolumi, atque integro exercitu. Reliquos intra Thebas, ac ligneas munitiones, quas antea conſtruxerant, receptos, ac vi à Græcis ſuperatos morti, aut ſervituti addictos. Igitur ſi Artabazus tutò per Macedoniam progreſſus eſt, nec aliud ullum Perſarum agmen illac retuliſſe pedem quiſpiam dicat, quo pacto id convenit cum illatâ iſtis novâ clade à Perdicca Macedonum Rege, ut habet Demoſthenes non ſolùm hoc loco, ſed etiam in Oratione contra Ariſtocratem? Rurſus eorundem Hiſtoricorum neuter hujus Perſicæ calamitatis tempore, quæ a. 2. O. 75. contigit, Perdiccam Macedoniæ imperaſſe meminit; quin immo Herodotus Alexandrum Amyntæ Regem perhibet. Quid nos ad iſta? Profectò hæret aqua. Non tamen haſtam abjicimus. Cur enim fieri non potuit, (quin propiùs abeſt à vero factum fuiſſe), ut è ducentis quinquaginta millibus, qui Platæenſem ſtragem effugerunt, turma quæpiam præter illam Artabazi non ſeſe intra munitiones concluſerit; aut vallo ab hoſtibus ſuperato, ut in fugam ſe dederit, extremamque plagam à Perdicca acceperit, Macedoniæ fines ingreſſa. Nam quis non reputet Regem hoc beneficio Victricis gentis amicitiam conciliare ſibi voluiſſe?

[c] *Herod. in Calliop. Diod.* lib. ii.

Cum præſertim ex Herodoto [e] intelligam Alexandrum è Regia ſtirpe clam noctu ad Græcorum caſtra acceſſiſſe, ſuamque è Græcis originem, in ipſoſque benevolentiam teſtatum, Duces commonuiſſe, Mardonium poſtridie pugnam velle committere, ejuſdemque conſilium aperuiſſe. Cæterùm, ut aliàs diximus, nec Demoſtheni rei tum notiſſimæ fides negari poteſt, nec mirari ſubit, aliqua minus gravia ab ingentium factorum ſcriptoribus pro Hiſtoriæ majeſtate prætermitti. Quid autem de Perdicca? Hoc nomine tum Regem habuiſſe Macedones nemo quidem negabit; teſtatur enim Demoſthenes, ac de viro à Republica beneficiis affecto teſtatur. At Alexander nuper memoratus? Hunc pariter à Regno non excludimus, freti Herodoti auctoritate. Cur autem duos Reges per ea tempora in Macedonia fuiſſe non fateamur, ſuæ quemque provinciæ parti moderantem? Enimverò Perdiccæ nomen gentilitium erat in Regia ſtirpe ab altero Perdicca derivatum, qui gentis Temenidarum primus, ut nuper annotavimus, Argo in Macedoniam profectus, exile regnum genti ſuæ illic adeptus eſt, jecitque maximi deinceps Imperii fundamenta. Video etiam Perdiccam alium, præter Philippi fratrem, in Macedonia regnaſſe circa O. 85. tempora, ut eſt apud Thucydidem, ac Diodorum [f], qui tamen Alexandri Magni Progenitorum non fuit; (hos autem Pag. 336. nota [r]. Orat 2. contra Philipp. enumeravimus). Illum igitur Perdiccæ noſtri nepotem facilè credam, quippe nomen ſuadet. Minùs quoque à vero diſtat è diverſo regiæ Arboris ramo illum, ac Philippum prodiiſſe; quippe non inter hujus Avos. Hæc dixiſſe in re tam obſcura ſit ſatis.

[v]. Quinque fuerunt Athenis onera publica, quæ ferre unicuique Civi opus eſſet, ſi cenſus foret. Tria pertinebant ad pacis uſum; ad belli, duo. Choragum agere, Epulonem, Paleſtritam, pacis erant. Belli autem, Trierarchatum gerere, conferre ad militares

[e] *Herod. ut ſupra.* [f] *Thucyd.* lib. i. *Diod.* 12.

uſus

uſus tributa. A tribus primis immunitas dabatur, Populi beneficio. A duobus aliis nunquam conceſſa eſt, ne Poſteris quidem Harmodii, atque Ariſtogitonis, quibus, ob interfectum Hipparchum Tyrannum, Poſteritati plurima accepta à Civibus dona tranſmittere jus fuit. Choragi plures creabantur quotannis ab unaquaque Tribu, quorum ſinguli diverſos ducebant Choros in Dionyſiis, & Panathenæis, in quibus Virorum, ac Puerorum turmæ fiſtulis, tibiis, voce modulabantur; aderant quoque Pyrrhichiſtarum, qui ſaltu luderent; alii demum, qui Choreas per gyrum agitarent. Hos igitur Choros magno ſtipendio Choragus ære ſuo conducebat, nutriebat, veſtibus ad pompam accommodatis induebat, ornabat etiam quandoque coronis aureis. Tanta verò contentione ſtudebat unuſquiſque nobiliores Muſicos ſibi aſſerere, ut ſortes dare opus fuerit. Nam qui cæteros ludendi arte pompâ, elegantiaque ſuperaſſent, iis præmia, ac plauſus tribuebantur [g]. Epulones Convivia de ſuo publicè inſtruebant Tribulibus ſuis in celebrioribus Sacrorum, aliiſque communis lætitiæ diebus [h]. Gymnaſiarchi oleum ad publicorum Luctatorum uſum præbebant, atque aliorum, qui ſe palæſtrâ exercerent [i]. Hæc autem munera ingenti pecuniâ ſtetiſſe à Scriptoribus nuper laudatis in iis ipſis, quæ nuncupavimus, locis memoriæ proditum eſt. Quare cum invaluiſſet frequentiores à Populo, quàm antea, immunitates dari; Hinc autem reliquis Civibus ſæpiùs ea munera eſſe obeunda; Leptines legem tulit, qua illas omnibus abrogavit, præterquam Poſteris Harmodii, atque Ariſtogitonis, ac novem Archontibus, qui tunc Magiſtratum gererent, ut ex Orat. Demoſth. adverſus Leptinem patet, eam ipſam legem, veluti injuſtam, inutilemque improbante.

[g] *Lyſias in Orat. de Muner. Demoſth. adv. Mid. Plutarch. in libro de Sapient. Ath.* [h] *Demoſth. & Lyſias, ut ſupra.* [i] *Ulp. in enarr. Orat. Demoſth. in Leptinem.*

Quanti

Quanti verò jus Civitatis fecerint Athenienſes, cum bene moratam Rempublicam habuerunt, facilè ex iis legibus dignoſci poteſt, quæ ad rem iſtam pertinent. Illas enarrantem Demoſthenem lubeat audire [1]. Πρῶτον μὲν γὰρ νόμος ἐστὶ τῷ Δήμῳ κειμένος, μὴ ἐξεῖναι ποιήσασθαι Ἀθηναῖον, ὃν ἂν μὴ δι' ἀνδραγαθίαν εἰς τὸν Δῆμον τῶν Ἀθηναίων ἄξιον ᾖ γενέσθαι πολίτην. Ἔπειτ' ἐπειδὰν πείσθῃ ὁ Δῆμος, κἀ δῷ τινὶ δωρεὰν, οὐκ ἐᾷ κύριαν γενέσθαι τὴν ποίησιν ἐὰν μὴ τῇ ψήφῳ εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἐκκλησίαν ὑπὲρ ἑξακισχίλιοι Ἀθηναῖοι ψηφίσωνται, κρύβδην ψηφισόμενοι. Τοὺς δὲ Πρυτάνεις κελεύει τιθέναι τὰς καδίσκους ὁ νόμος, κἀ τὴν ψῆφον διδόναι προσιόντι τῷ Δήμῳ πρὶν τοὺς ξένους εἰσιέναι, κἀ τὰ γέρα ἀναιρεῖν. Ἵνα κύριος ὢν αὐτὸς αὑτῷ ἕκαστος σκοπεῖται πρὸς αὐτὸν, ὅν τινα μέλλει πολίτην ποιήσεσθαι, εἰ ἄξιος ἐστὶ τῆς δωρεᾶς, ὁ μέλλων λήψεσθαι. Ἔπειτα μετὰ ταῦτα παρανόμων γραφὴν ἐποίησε κατ' αὐτῆς τῷ βουλομένῳ Ἀθηναίων. Καὶ ἔστιν εἰσελθόντα εἰς τὸ δικαστήριον ἐξελέγξαι, ὡς οὐκ ἄξιός ἐστι τῆς δωρεᾶς, ἀλλὰ παρὰ τοὺς νόμους Ἀθηναῖος γέγονε. Καὶ τισὶ τῶν Δήμου δόντος τὴν δωρεὰν, λόγῳ ἐξαπατηθέντος ὑπὸ τῶν αἰτησάντων, παρανόμων γραφῆς γενομένης, κἀ εἰσελθούσης εἰς τὸ δικαστήριον, ἐξελεγχθῆναι συμβὰν τὸν εἰληφότα τὴν δωρεὰν, μὴ ἄξιον εἶναι αὐτῆς, κἀ ἀφεῖλετο τὸ δικαστήριον. Καὶ τοὺς μὲν πολλοὺς, κἀ παλαιοὺς, ἔργον διηγήσασθαι. Ἃ δὲ πάντες μεμνήμεθα, Πειθόλαον τε τὸν Θετταλὸν, κἀ Ἀπολλωνίδην τὸν Ὀλυνθίων πολίτας ὑπὸ τοῦ Δήμου γενομένους, ἀφῃρέθη τὰ Δικαστήριον. *Primum igitur lex Populo impoſita eſt, non licere Civem Athenienſem fieri, niſi ob ſua in Populum merita dignus Civitate videatur. Deinde poſtquam cuipiam dandam eſſe perſuaſum habeat, ac deferat munus iſtud; non tamen ratum erit, niſi in ſequenti Concione pluſquam ſex Athenienſium millia occultis ſuffragiis donum ipſum confirmaverint. Quamobrem lex jubet, Prytanes urnas ponere, ac dare calculos accedenti Populo, antequam Peregrini ingrediantur, ac tabernacula tollere, ut ſit unuſquiſque ſui juris, ac ſolum ſecum ipſe conſideret, illene, qui Civitatem petit, tanti*

[1] *Demoſth. adv. Neær.*

muneris

muneris dignus ſit. Rurſus cuicunque Athenienſium velit, facultatem præbet eum accuſandi violatæ legis, conventiſque Judicibus probare eodem munere indignum eſſe, atque in Civitatem contra Leges irrepſiſſe. Jam verò aliquando accidit, Judices Civitatem aliquibus ademiſſe, quibus, cum neutiquam digni forent, Populus eorum verbis deceptus dederat, ac deinde violatæ legis actio fuerat inſtituta. Operoſum foret plura in medium afferre antiquitatis exempla, ſed omnes memoriâ retinetis, Pitholam Theſſalum, Apollonidem Olynthium, quos Populus Civitate donaverat, eâ fuiſſe à Judicibus deſpoliatos. Viguit Athenis hujuſmodi legum ſeveritas, quouſque ob inopiam Ærarii jus Civitatis vendere, atque inde pecuniam cogere, Cives è Republica eſſe reputarunt. Id ſanè commodè fit, ſi modus adhibeatur.

[x]. Idem repetit, quod olim dixerat in tertia Olynthiaca, quare & ejuſdem n. [y]. Pag. 281. ubi de hac ipſa re agitur, adiri poteſt.

[y]. Huic pariter argumento ſatis ſuperque ſatisfecimus, cum eadem Oratoris verba ſuperiùs expendenda ſuſcepimus.

[z]. Meritò quidem Athenienſes de pulcherrimis, magnificentiſſimiſque ædificiis gloriabantur, quibus Religioni, ſecuritati, publicæque elegantiæ providerant. Quare ſæpius Demoſthenes, iiſdem laudandis, Civium benevolentiam aucupatur. Id agit in tertia Olynthiaca, quò nos ad n. [b]. Pag. 283. Lectorem remittimus; Id in hac Oratione; Id in Orat. adverſus Ariſtocratem his verbis. Τὰ δὲ τῆς πόλεως οἰκοδομήματα, καὶ τὰ καλλισκεύασματα, τηλικαῦτα, καὶ τοιαῦτα, ὥστε μηδενὶ τῶν ἐπιγιγνομένων ὑπερβολὴν λελεῖφθαι, προπύλαια ταῦτα, νεώσοικοι, Πειραιεῖς, τἄλλα, οἷς καλλισκευασμένην ὁρᾶτε τὴν πόλιν. *Urbis verò ædificia, ac ſubſtructiones tales, ac tantæ ſunt, ut nihil ad ea Poſteris adjungendum reliquerint; Hæc nimirum Propylæa, Navalia, Piræus, aliaque hujuſmodi, quibus inſtructam, ornatamque Civitatem videtis.* Id etiam in locis aliis, quæ non vacat referre.

[a]. Me-

[a]. Megarenſes, vel ante initium belli Peloponeſiaci terram Apollini ſacram coluiſſe, eamque ob rem terrâ, marique ab Athenienſibus omni ſecum commercio prohibitos fuiſſe, Thucydide auctore diximus n. [q]. tertiæ Olynthiacæ. Nunc eos ad ingenium rediiſſe credere par eſt, cum nos hoc loco Demoſthenes inſtruat, graviſſimis Athenienſium decretis nuper hujuſmodi flagitio interdictos. Altum de hac re ſilentium eſt apud græcos authores, & cum ab Oratore noſtro tantummodo indicetur, quid iſtud rei fuerit certis teſtimoniis comprobari nequit. Puto autem id actum eſſe, quod in ſecunda ad Philippi Epiſtolam annotatione Pag. 388. retulimus; nempe Anthemocritum Legatum Megaram ab Athenienſibus miſſum, qui Reipublicæ nomine arma, & vaſtitatem indiceret, niſi è ſacris agris abſcederent. Cum Megarenſes nequaquam morem gererent, quin & nefariè Legatum occidiſſent, non Signa in ipſos edicta ſunt, non bellum ſuſceptum, ſed Eleuſinis tantùm, Foris, ac Portubus Atticis prohibitos; quod rectè quadrat huic Demoſthenis loco. Ait enim magnificè decerni; verùm decretis ea longè minora eſſe, quæ conficiantur.

Dum autem complector animo iſtud Athenienſium ſtudium in tuendo Apollinis jure, venit in mentem cogitare, in hujuſmodi re parem fuiſſe in reliquis Græcis religionem. Nam & Phocenſibus, qui Delphicos agros Phœbo dicatos arabant, communi ferè Amphictyonum decreto bellum illatum eſt; & Amphiſſenſes, qui ferebant Cyrrhæos campos eidem ſacratos, ab ipſo Senatu armis conteri juſſum; datuſque in eam rem Philippo exercitus, & auctoritas [m]; Et ſibi Megarenſium, qui terram ei pariter devotam, fortaſſe finitimam exercebant, coercendam temeritatem ſtatuit Athenienſium Reſpublica; laudabili exemplo vel in falſo Deorum cultu, niſi plerumque privatis odiis religionem vindicem adhibuiſſent.

[m] *Demoſth. pro Corona.*

[b]. Iſtud

[b]. Iſtud quoque Phliaſiorum negotium cum nullo, quod viderim, Græcorum monumento Poſteris mandatum ſit, ac vix nunc à Demoſthene attingatur, eſt induſtriâ quadam inveſtigare oportet. Phliaſii, ut Pag. 85. in nota [F]. Orationis de Megalopolitis, ubi de hac gente plurimùm loquuti ſumus, perpetuas, at non ſemper apertas geſſerunt cum Argivis inimicitias, obnitentibus illis libertatem ſuam tueri; iſtis, urbem in poteſtatem redigere, quam intra fines Argidis reputabant. Id aliquando palàm, aliquando inſidiis agere pertentarunt. Iis verò maximum periculum procrearunt ann. 3. Olympiad. 101. Tunc enim Phliaſiorum exules, Cognatorum proditione, qui in Urbe degebant, Patriam Argivis dare moliti ſunt. Igitur nocte intempeſta ipſi cum auxiliariis, facto ſexcentorum militum agmine, mœnibus ſucceſſerunt. Scalis admotis à Proditoribus in arcem recepti ſunt; unde in Urbem invadentes, eam tumultu, cæde, incendiis implerunt. Cives illico ab excubitoribus proditionis admoniti, clamoribus etiam exciti arma ſuſcepere. Interim Arcades, atque Argivi cum ingenti militum globo affuerunt. Manus ubique conſeruntur, feroces alii ob ferè partam victoriam, alii ob libertatis tutelam. Verùm corroboratâ magis magiſque novis bellatoribus Civium acie, hoſtes primùm inclinare, pelli deinde, in præceps agi, ac tandem liberâ Civitate Populares omnem metum deponere, invicem gratulari. Rem geſtam prope ſub oculis ponit Xenophon, memoratque Diodorus [a]. Manſere poſtmodum inimicitiæ, vaſtationes, injuriæ. Quæ ceſſaverintne, an ad proximum hujuſce, quam explicamus, Orationis tempus productæ fuerint; id equidem nullus dubito, Argivos, atque Arcades, Philippi ſocietate, atque opibus recreatos (qua de re jamdudum ſermonem fecimus) Phliaſiis bellum intuliſſe, reductiſque in Urbem exulibus Cives expuliſſe,

[a] *Xenoph. de reb. græc.* lib. vii. *Diod.* lib. xv.

qui

qui ſibi in ſuperiori expeditione adverſati fuerant. Hos proinde ab Athenienſibus opem, præſidiumque poſtulaſſe, magnificaque retuliſſe verba, ac ſalutaria ſibi plebiſcita, quæ nunc à Demoſthene commemorantur, res autem nequaquam verbis conſenſiſſe.

[c]. Siphnus, hodie *Sifano*, Cycladum inſularum una, olim ditiſſima ob auri, argentique fodinas, quas ambitu ſuo complectebatur. Metallorum, quæ illinc effodiebantur Decimam ſibi dari juſſit Apollo Delphicus, tantuſque inde theſaurus Delphis collectus eſt, ut nemini cederet aliorum populorum [o]. Divites illæ Venæ prorſus exaruerant Pauſaniæ tempore, ut ipſe refert, Apollinis vindictâ, cum Siphnii tributum Deo perſolvere jamdiu deſtitiſſent; at re verâ ob exhauſtas fodinas diuturnâ ac frequenti effoſſione. Ea gens ortum ab Athenienſibus habebat [p]; Idcirco Demoſthenes in illa comparationem inſtituit, utpote ejuſdem cum ipſis Athenienſibus originis, ſed non ejuſdem fortunæ.

Hæc ſatis mihi viſa ſunt ad iſtas Demoſthenis Orationes illuſtrandas; aliquis enim rerum dicendarum modus adhibendus fuit, ne anguſtiores excederem annotationum fines. Erit fortaſſe, qui curioſius inquirat quamobrem in Latium transferre omiſerim tertiam, & quartam Philippicam, aliaſque geminas de Haloneſo, ac de fœdere Alexandreo Conciones, quæ primâ Oratoris noſtri Lucubrationum parte continentur, quæque ad Rempublicam pertinent; ejus nimirum generis, quod omne complexi fuiſſe diximus. Huic ego facilè reſponſum dabo. Ab interpretanda quarta Philippica non inconſultè, nec temere abſtinui; nam cum tota ſit compacta è diverſis aliarum Orationum, quas Latio donavimus locis, & ſit veluti verminculatum emblema, non erat cur in ipſa operam perderem. Tertiam pariter Philippicam non attigi; ſiquidem & in eodem, ac reliquæ hujus nomiſis ar-

[o] *Herod. in Thalia Pauſ. in Phocis.* [p] *Herod. in Urania.*

gumento

gumento verſatur, quare nihil ferè habet novi, quod admodum ad eam pervolutandam alliciat; & ut verum fatear, tedio affectus, & ne mihi ſæpius diſplicerem. At verò duas illas de Haloneſo, & de fœdere Alexandreo veluti adulterinas rejeci. Quippe à Demoſthene nihil olent. Deeſt ibi ſermonis elegantia, ſententiarum præcipua quædam gravitas, ac maxima illa dicendi vis, cujus gratiâ à cæteris longè diſtant Oratoris noſtri lucubrationes. Judicium ſuum ad hanc ſententiam aſcribunt Libanius in earundem Orationum argumento, ac Photius in Bibliotheca, nec eſt, cur quiſpiam de re, graviſſimis teſtibus, ac rationibus comprobatâ, dubitare poſſit.

FINIS.